
NAZIONALE
R. BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
8
54 D
18
ROMA







TRACTATVS
DE
MAGNO MATRIMONII SACRAMENTO.

AVCTORE

D. POTITO DE IORIIS
AB ASCVLO IN APVLIA,
V.I.D. Archidiacono, Vicario Generali, ac Capitulari, atque Examinatore Synodali eiusdem Ciuitatis, & ad præsens Confessario Ordinario Monialium Vrbis.



ROMÆ, ex Typographia Joannis Francisci Buagni: *1695*.

SUPERIORUM PERMISSU.

l'A. Cart. Gaffi de n. Julii 2 1604

EX commissione Reuerendiss. P. F. Thomæ Mariæ Ferrari Mag. Sac. Pal. Apost. perlegi Tractatum de Magno Matrimonij Sacramento, Auctore A. R. D. Potito de Iorijs, cumque nihil in eo legatur sanę doctrinæ, bonisque moribus dissonum; immo clarè, & breuiter in ipso explicentur præcipui casus ad idem Sacramentum spectantes, lucem publicam mereri censeo.

F. Iacobbus Riccius Professor Theologiæ in Archigymnasio Romano, Procurator Generalis Ord. Præd. & Examinator Apostolicus Cleri in Vrbe.

EX commissione Reuerendiss. Patris F. Thomæ Mariæ Ferrari Magistri Sac. Pal. Apost. librum, cuius titulus de Magno Matrimonij Sacramento, Auctore A.R.D. Potito de Iorijs ab Asculo in Apulia, diligenter perlegi: & cum in eo sanæ doctrinæ, aut bonis moribus nihil non consentaneum offenderim; quinimò vtilitatis repererim, ac commodi plurimum; eundem proindè prælo dignum existimo.


F. Callistus Lodigerius Sac. Theologiæ humilis Professor Ordinis Seruorum B. M. V. & in Collegio Henrici Gandauensis de Vrbe studiorum Regens.

✠ Im-

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. Patr. Mag. Sac. Palat. Apost.

Sperellus Episc. Interamnen. Vicesg.



Imprimatur.

Fr. Franciscus Maria Forlani S. Th. Mag. & Reuerendiss. P. F. Thomæ Mariæ Ferrari S. Ap. Pal. Mag. Socius Ord. Præd.

MATRI ADMIRABILI
SEMPER VIRGINI
MARIÆ
Cęlitum omnium Reginę.



IBINE, Integerrima Virginum Virgo, quo Te nomine compellat Ecclasia, Opusculum consecrem de Matrimonio?

Quidni autem cum eadem sis Matrum omnium fœcundissima, & in vnica Prole infinitis hominibus infinito excessu pretiosissimum partum edideris?

Nulli ergo Parenti contigit Fructus vberior, ad quem fructum proferendum fuit institutum Sacramentum hoc, quod Magnum dixit Apostolus.

Nempè verò quia illum non à Iosepho Virgine Sponso, sed ab obumbrante Diuino Spiritu, Virginum Regina susceperis; tametsi verum cum eodem Iosepho, mente tamen, & non carne, (Augustini verba sunt) matrimonium contraxisti. *Can. Coniux.* 27. *quæst.* 2.

Quid? cum Ipsa Exemplar institueris mirabilis Coniugij nihil lęsituri Virgineum florem, quod plures deindè sunt imitati.

Tamen consuetis quoque Sponsalibus necessarijs propagationi humani generis adfuisti, simul cum Filio Tuo, ac Domino nostro Iesu, qui in Cana Galileæ Nuptias benedictione Diuina, & præclaro Miraculo illustrauit, conuersa Tuas ad preces in vinum aqua.

Idem-

Idemque Christus nostrę salutis Auctor Naturalem hunc, Ciuilemque Contractum in vnum è Sanctissimis Ecclesię Sacramentis euexit; *Conc. Trident. sess.* 24. *Can.* 1. Cum Ore Diuino pronunciauit *Matth.* 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet*: ex quo tot orta sunt commoda humanæ societati, videlicet Proles, Fides, & Vnionis Christi cum Ecclesia significatio: vt proindè Paulus meritò dixerit; Honorabile Connubium in omnibus, & Torus immaculatus. *ad Hebræos cap. vltimo*.

An non igitur plura me nomina impellunt ad hoc Tibi meorum Auspici ac Patronę laborum Opusculum consecrandum? dum enixis ex Te interim, ac humillimis precibus ò Mater intemerata & Virgo efflagito, Tuum vt apud Filium, nostrumque Dominum, verum Christianarum animarum Sponsum exorare digneris, ne vnquam sinat nos ab illo per iniquitatis diuortium separari.

Immeritus & addictissimus Seruorum tuorum Seruus
Potitus de Iorijs Sanctissimis Pedibus prouolutus. D. D. D.

IN-





INDEX
TITVLORVM.

De



TRA-

TRACTATVS DE MAGNO MATRIMONII SACRAMENTO,

Quod est vnum de septem Sacramentis à Domino Iesu Christo, summo Deo nostro institutum, summaque reuerentia tractandum. *Conc. Trid. Can. 1. sess. 24. de Sacram. Matrimon.*

Arduum, ac sanè perdifficilem totius Matrimonij Tractatum in partibus, & Quæstionibus complectar.

PARS PRIMA.

De Præparatorijs Matrimonij.

QVÆSTIO PRIMA.

SVMMARIVM.

1 *Quæ sint præparatoria Matrimonij.*
2 *In quibus consistit electio Vxoris.*
3 *In Matrimonio spirituali non requiritur tanta perplexitas.*

1 Præparatoria Matrimonij sunt quinque. Primo Electio vxoris, vel mariti. Secundo, Dotis constitutio. Tertio, Sponsalia de futuro. Quarto, Denunciationes, seu publicationes præcedentes in Parochia propria. Quinto, Confessio, & Communio antequam deueniatur ad consumandum matrimonium.

2 Circà electionem; Cum homo ad annos discretionis peruenerit, recognito Dei beneficio cum gratiarum actione, qui ipsum

de nihilo creauit, disponat, & deliberet de vita sua, an scilicet velit esse Sæcularis, siuè Laicus, vel potiùs Ecclesiasticus, siuè Religiosus; si determinet se futurum laicum, & ducturum vxorem, eligendo eam, priùs in electione moretur vt bona sit vxoris electio, quæ principaliter circà tria consistit. Primò vt eligat sibi vxorem paris ætatis, & conditionis, nam si imparem elegerit, vel ætate, vel conditione, multa euenient pericula, quid enim si senex puellam ducat? vel iuuenis vetulam? hinc *Salom.Prouerb. cap.5.* lætare cum muliere adolescentiæ tuæ. Multa de his dixit *Ioan.Faber in rubrica institut de Nuptijs*, etiam *Bartholus in Auth. res quæ, C.communia de legat.*

Secundò, quod eligat vxorem bonæ originis, siuè stirpis, quoniam plerumque similis patri est filius, & matri filia, nec ex bona matre, mala filia nasci potest; nam non potest arbor bona, malos fructus facere, &c. *Arg. iuxtà Glossam notab. circà finem in l.quod si nolit, §.Qui mancipia, ff.de edilitio edicto.*

Tertiò, quod eligat vxorem, quæ sit æqualis sibi in moribus, sanguine, & industrijs, in quantum fieri potest. Et hæc quoad electionem matrimonij carnalis faciendam.

In quo si principalis causa, seù finis fuerit dos, magna pulchritudo, vel fauor affinium, magnatorum, &c. validè contrahit, non autem meretur; Imò peccatur venialiter à contrahente, quia principalis causa debet esse, vt proles generetur, & educetur, *Nauarrus cap.22 num.79.*

Si tamen prædicta fuerint causæ impulsiuæ, siuè secundariæ non peccatur; neque in sacris literis Iacob Patriarcha reprehenditur, quod Rachelem eius pulchritudine illectus, liæ prætulerit; *Gen. 29. & 17.* & quoties prædictæ causæ sunt causa principalis, inter virum, & vxorem, semper sunt discordiæ, lites, & nunquam pax. *Cap 4. Iacobi Apostoli*; Vndè bella, & lites in vobis, nonne hinc? ex concupiscentij vestris, quæ militant in membris vestris. Vide quod dixit *Raphael Archangelus in lib.6. Thobiæ num.16.17. & 22.* prædictus casus clariùs innotescet infrà *par.13. quæst.32. num.3.* Et hæc de facienda electione matrimonij carnalis.

3 Quo ad electionem faciendam in matrimonio spirituali, non fit tanta perplexitas, cum matrimonium spirituale sit meliùs, ac beatius, iuxtà *Concil.Trident.can.10.sess.24. de Sacramento Matrimonij*; cum semper ad Deum tendat; sed electio solum consistit, in eligendo hanc, vel illam Religionem in qua regulariter viuitur, & seruantur Religionis Statuta.

Felix

Felix ille Religiosus: qui iactat cogitatum suum in Domino; qui non deficiet in omnibus necessarijs suis; Religio autem est suaue iugum Christi; Iugum enim eius suaue, & eius onus leue. Et *S. Gregorius in 4. moralium relatus à Diu. Thoma infrà citando*, inquit, quid graue mentis nostræ ceruicibus imponit, qui vitare omne desiderium quod perturbat, præcipit; qui declinare laboriosa mundi huius itinera monet? quod quidem suaue iugum super se tollentibus, refectionem Diuinæ fruitionis repromittit, & sempiternam requiem Animarum. *S. Thomas 2. 2. quæst. 189. art. 9. & 10. Nauarrus cap. 12. num. 49. & seqq.*

Secundum Præparatorium, de Dotis Constitutione.

QVÆSTIO SECVNDA.

SVMMARIVM.

1 *Quibus rationibus constituitur Dos; Et à quo danda est; Et an requiratur consensus Patris; Et ad quem spectet causa matrimonialis.*
2 *An interuentus pecuniæ tam in carnali, quam in spirituali matrimonio sit Simonia.*
3 *An pater teneatur dotare filiam; & etiam spuriam; Et si Hæredes?*
4 *An Clericus teneatur alere, & dotare filiam spuriam ex fructibus beneficij.*
5 *Notantur limitationes quando supradicti non teneantur.*
6 *Differentia inter donationem, & remunerationem inter virum, & vxorem.*
7 *Deciditur notabilis quæstio.*

1 Circa dotis constitutionem, scire opus est, quod dotis constitutio datur marito ad onera matrimonij subeunda; *l. pro oneribus, C. de iure dotium*. Secundo, datur dos vt mulier meliùs à viro tractetur. Tertio, dos constituitur mulieri, vt inuenire possit meliorem virum.

Dos danda est à patre mulieri, quia cum dos succedat in locum legitimæ, *l. quoniam nouella, C. de inofficioso testamento*; Et legitima à patre debeatur filiæ; meritò dos à patre debet proficisci, vel

secundò danda est à patre quia patris onus est dotare filias. *l. qui liberos, ff. de ritu nuptiarum.*

Quæ conclusio ampliatur vt etiam procedat, estò quod filia nupserit patre ignorante, vel inuito, nam adhuc dotis constitutio est necessaria, & hanc pater necesse habet vt constituat; Ratio est quia licèt de iure ciuili requiratur consensus patris ad substantiandum matrimonium filij, vel filiæ; vt in §. *Primo institut. de nuptijs, l. nuptiæ, ff. de ritu nuptiarum*; Tamen de Iure Canonico secus est, & Ius Canonicum est obseruandum, cum contractus matrimonij sublatus sit in Sacramentum, consequenter est causa spiritualis, & pertinet ad Iudices Ecclesiasticos decidere, & Ius Ciuile correctum est per Ius Canonicum, in hac materia. *Conc. Trident. de Sacram. Matrim. sess. 24. Can. 12. Abbas in cap. veniens de Sponsalibus*. De consensu verò parentum vide infrà *de impedimento vis, & metus quæst. 21. num. 16. & 17.*

Igitur quamuis filius, vel filia patre ignorante, vel inuito contraxerit matrimonium, tamen pater tenetur dotem constituere, & dotare filiam, & cogi potest in omni foro. *Boer. decis. 22.* Ratio autem est, quia licèt cesset causa in patre dotandi filiam, eo quia virum sponte sua sibi adinuenerit, tamen non cessat illa causa, vt benè tractetur à viro, qui facilè expellere posset illam à domo sua, propter dotem sibi non solutam; diffusè tractabimus infrà de hac materia.

Est tamen verum, quod semper filia patris consensum venerari debet, & illi reuerentiam præstare, etiam in matrimonio contrahendo, & sic de honestate est, vt patris consensus requiratur. *Can. honorantur 32. quæst. 2.*

Patres quoque in collocandis filiabus festinent, & quam primum nuptui tradant ad euitandum euitanda, & maximè si excedant annum 25; *Glossa in l. Oratione, ff. de ritu nuptiarum ait*, mulieris oportet accelerari nuptias, ne quid committat turpe. Quando verò peccatur à filijs non requirentes consensum, vel consilium parentum, vide *de impedimento vis, & metus quæst. 21. n. 16. & 17.* vt dixi.

2 Nota quod pecuniæ interuentus non vitiat matrimonium, nec est simonia, licèt matrimonium sit magnum Sacramentum; talis enim datio dotis potiùs censetur honor, quam pretium. *Canon. Decimæ 16. quæst. 1.* ac etiam propter onera subeunda à viro. Et certè eadem ratione in matrimonio spirituali pro ingressu Monasterij potest recipi pecunia, propter onera quæ sustinet Monasterium. *Capycius in decis. 193. num. 4. & 5.* inquit, quod dos quæ datur

datur per monialem tempore professionis, censetur data pro ea alimentanda, non quidem ratione matrimonij spiritualis, quod monialis contrahit cum Christo Domino nostro; sed ad instar matrimonij carnalis propter onera subeunda à Monasterio. *Layman in Theologia morali tract. 10. cap. vltimo §. 4. num. 39. titulo de Simonia. Nauar. cap. 27. num. 106.*

3 Ampliatur vt etiam pater teneatur dotare filiam spuriam, siuè adulterinam, dum tamen certum sit suam esse filiam, quia cum eam teneatur alere, & dos in locum alimentorum succedat, sequitur quod illam teneatur dotare.ità *Abbas in cap. cum haberet de eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulter. ità Bartolus in Authen. ex complexu C. de incestuosis nuptijs.*

Ampliatur vt etiam hæredes patris mortui ab intestato teneantur alere, & dotare filiam patris spuriam, & alere filium spurium, quia hoc est onus reale, & sequitur res, siuè bona patris eorum, cum tales filij spurij, & filiæ perire fame non debeant; ità decidit *Capycius in decisione 164.*

4 Ampliatur vt etiam Clericus, & persona Ecclesiastica teneatur alere, & per consequens dotare filiam suam spuriam, & spurium alere etiam de fructibus beneficij sui Ecclesiastici, dum aliunde non habet quo ipsos alat, cum sit debitum naturale alere proprios filios. Ità *Abb. in cap. 1. inhibendum de cohabitat. Cleric. & mulier.* Solum tamen filiæ spuriæ dotem dabit congruam statui; & alimenta congrua statui dabit etiam filio spurio. *Idem Abb.*

5 Hæc conclusio qua asseruimus patrem teneri dotare filiam legitimam, & etiam spuriam.

Primò limitatur vt non teneatur pater filiam etiam legitimam dotare, quando non solum nupsit ipsa filia patre suo inuito, vel ignorante, sed etiam nupsit personæ infami; Nam tunc pater non tenetur dotare filiam, cum magnum attulerit dedecus familiæ; & hæc est Theorica, quæ anteà seruabatur; Verùm hodierna praxis ità interpretatur, vt si talis filia quæ infami nupsit habeat vndè se alat, procedit Theorica, & vera est, vt pater non teneatur dotare; si autem filia inopia, & inedia laboret, tunc pater tantum alimenta præstare debet congrua, quæ de Iure naturæ debentur, in quibus alimentis pater cogi poterit in omni foro, & in foro conscientiæ non debet absolui talia alimenta negans. Ità *Couarruuias in 2. parte de Matrimonio cap. 3. §. 8. in fine*, qui multos citat hanc opinionem tenentes. *Ripa in l. 1. ff. soluto matrimonio nu. 54. Sotus in 4. sententiarum distinct. 27. & 29. quæst. 1. art. 4. ex ratione Text. in cap. cum haberet de eò qui duxit in matrimonium &c.* Se-

Secundo limitatur vt Pater non teneatur dotare filiam, si fuerit valdè pauper, vel si fortè decoxit rem suam, & in hoc casu, in patris defectu, mater dotare tenetur. *l. neque mater C. de iur. dot. & ibi Ripa loc. cit.*

Et deficiente in opibus Patre, & Matre, frater tenetur dotare sororem, etiam si sit Clericus; & si non habeat aliundè, potest ex redditibus sui beneficij dotare sororem. *Syluester in verbo dos num. 6. Abbas in cap. penul. de arbitris.*

Et casu quo pater decoxerit rem suam, Filiæ non possunt surripere bona patris in damnum Creditorum, vt ea sibi in dotem accipiant; quia licèt alimentorum loco succedat dos, & legitima; Tamen illa legitima debetur deducto ære alieno. *l. sub signatum ff. de verb. signif.* & per consequens filiæ si acciperent, restituere tenerentur.

Tertio limitatur vt pater non teneatur dotare filiam spuriam, si eadem habeat, vnde se alat, & dotem iustè quærendo, non iniustè. *Abb. in d. cap. cum haberet in fine*, & est communis opinio, eiusque ratio est; quia quando filia habet vnde se dotet, & alat quærendo iustè; cessat ratio finalis, ob quam pater tenetur dotare, quæ est ne filia moriatur fame, quæ si alimenta à patre non habeat, tempore quo eget, ab eo occisa dicitur. *iuxtà tex. in l. necare ff. de liber. agnoscendis.*

Quarto limitatur, vt pater non teneatur dotare filiam tam legitimam, quam spuriam, si ei fuerit constituta dos à marito suo in remunerationem Nobilitatis, Iuuentutis, vel pulchritudinis &c. quia illa dos à marito data succedit in remunerationem, vel compensationem Nobilitatis &c. quæ à patre proficiscitur; Et talis donatio potest fieri etiam inter virum, & vxorem, quia non est propria donatio, sed remuneratio. Ità *Bartolus in l. si diuortio, & in l. si ità stipulatus in fine ff. de verb. oblig. Iason in l. ex hoc iure num. 55. ff. de iust. & Iure.*

6 Donatio autem strictè accipiendo, est prohibita inter virum, & vxorem, *toto tit. ff. & C. de donat. inter virum, & vxorem*; & ratio est ne mutuo amore se inuicem expoliarent; quæ tamen si fuerit morte confirmata, valet; *l. sed interim, ff. eodem titulo, & C. eodem, l. ante penult.* Secus verò remuneratoria, quæ non est propriè donatio, sed debitum naturale quoddam, quo obligatur quis benefacienti benefacere. *l. sed & si lege §. consuluit ff. de petit. hæredit. Afflictus decis. 159. num. 7.*

7 Ex hoc decidi potest notabilis quæstio. Si Pater Titiæ volebat collocare eam nuptui Antonio, & idem Antonius etiam volebat

bat illam ducere in vxorem, sed pro dote volebat bis mille aureos, Pater verò puellæ volebat dare tantum mille; tandem Amici curauerunt, vt ambæ partes essent contentæ pro mille, & quingentis, & ità fuit conclusum; sed tamen hic gener gloriæ cupidus voluit, vt fama esset, quod ipse accepisset in dotem bis mille aureos, & de hoc fieri fecit instrumentum, in quo asserebatur, quod bis mille aureos præsentialiter recepit, & de hoc iurauit; Tandem hic Antonius gener mortuus est, relictis tantum fratribus suis hæredibus; & vxore sua sine liberis; quæ à fratribus mariti bis mille petit, pro dote sua; & ad suam petitionem fundandam, producit instrumentum dotale prædictum, Fratres verò replicant, quod illa confessio de quingentis receptis, fuit facta ad gloriam, & pompam mundi, nec verè recepit; quod si mulier instaret; Et fratres prædicti à Papa peterent, vt dicitur, significauit, & fulminaretur excommunicatio super tali facto; quæritur quid Iuris.

R. quod ex prædictis apparet resolutio; Quod si illa confessio fuit facta animo recompensandi Nobilitatem, Iuuentutem, pulchritudinem &c. tunc licitè mulier poterit petere illos quingentos, nec legabitur excommunicatione lata à fratribus viri sui, & tuta conscientia esset de illis quingentis aureis, cum illa confessio valeat pro donatione, & remuneratione Nobilitatis &c. Secus autem si non fuit facta illa confessio in remunerationem nobilitatis &c. sed ob honorem mundanum, siuè pompam, siuè fastum, & de hoc constaret; Tunc enim mulier non poterit petere illos quingentos nondum datos, & si reciperet ligaretur excommunicatione, super tali facto lata. *Doctor Afflict. proximè citandus.*

Eo magis si maritus confessus sit se recipisse in remunerationem nobilitatis &c. mulier mortuo marito poterit licitè petere.

Ampliatur vt etiam procedat quando Maritus mortuus esset in matrimonio rato, nondum consumato, nam adhuc mulier petere poterit illos quingentos, quos maritus confessus est recepisse: cum matrimonium ratum perfectum sit matrimonium, ità latè decidit. *Afflictus decis. 61. num. 3. 4. & 5. & id affirmant multi Iuris DD. quos ipsemet citat.*

PARS

PARS SECVNDA.

De Sponsalibus, Denunciationibus, & de Confessione, & Communione Coniugum.

QVÆSTIO TERTIA.

SVMMARIVM.

1 *Quid sint Sponsalia?*
2 *Qui vocentur Sponsi, & Sponsæ.*
3 *Quot modis contrahantur sponsalia.*
4 *Qui sint effectus Sponsaliorum; & an Oscula, amplexus, & tactus prohibeantur, & quæ praxis.*
5 *Quæ ętas requiratur in viro, & quæ in fęmina, vt possint contrahere sponsalia.*
6 *Quale sit vinculum, & obligatio sponsaliorum.*
7 *Quibus modis dissoluantur sponsalia.*
8 *An sponsalia clandestina valida sint, etiam post Tridentinum.*

1 QVid sint Sponsalia.
Resp. Sponsalia sunt promissio mutua futurarum nuptiarum, dicta à spondendo, idest sponte promittendo. *Can. nostrates* 30. *qu.* 5. *l.* 1. *&* 2. *ff. de sponsalibus.*

2 Qui vocentur sponsi, & sponsæ.
Resp. Quod sponsi, & sponsę capiuntur in iure propriè, & impropriè.
Propriè dicuntur ij qui contraxerunt per verba de futuro, ratione futurarum nuptiarum. *cap. sponsam de sponsalibus*, veluti promitto ducere te in vxorem, vel ducam te in virum.
Impropriè verò dicuntur ipsi Coniuges qui contraxerunt per verba de præsenti. *Can. genuit, & Can. priusquam* 27. *quæst.* 2. Vbi dicitur quod inter Ioseph, & Beatam Mariam semper Virginem fuit verum, & legitimum matrimonium, absque vlla coniunctione, & perfectum fuit matrimonium. *Can. Beata; Can. sufficiat, & can. Cum initiatum eadem causa* 27. *quæst.*2.

3 Quot

3 Quot modis sponsalia contrahantur.

Resp. Quod multis modis contrahuntur sponsalia.

Primò quandoque purè, quandoque sub conditione; purè, & absolutè; veluti promitto me ducturum te in vxorem, nulla apposita conditione; Sub conditione, veluti si filius Caij dicat alicui, promitto ducere filiam tuam in vxorem, si pater meus velit; vel si dicat ducam filiam tuam in vxorem, si dederis mihi mille pro dote, hæc sponsalia dicuntur conditionalia, & tunc demum valent, si conditio apposita aduenerit.

Secundo modo contrahuntur sponsalia, vel cum personis incertis, & indeterminatis, vel certis, & determinatis, vt in *cap. vnico de sponsalibus in 6.* Cum personis incertis, & indeterminatis; Veluti si quis dixerit alicui patrifamilias, promitto me ducturum in vxorem vnam ex filiabus tuis, nec dicit primogenitam; nec talem, & isto casu nulla sunt sponsalia ipso iure, & inualida; nec promittens cogi potest ex capite sponsaliorum, (licet obligetur in conscientia ex vi promissionis,) nec talis promissio impedimentum facit in matrimonio contrahendo, hoc est, ex eis non oritur impedimentum Iustitiæ publicæ honestatis. *Cap. 1. de sponsalibus in 6. notat Syluester in verbo sponsalia.*

Cum personis certis, & determinatis contrahuntur sponsalia; veluti si quis dicat promitto me ducturum in vxorem Antoniam vnam ex filiabus tuis primogenitam, vel secundo genitam, illa præsente, & acceptante; vt infrà dicam.

Tertiò modo contrahuntur sponsalia, per seipsos sponsos, vel per internuncium, vel per parentes, vel per literas. *l. vltima ff. de sponsalibus.* Per seipsos quando quis dicit alicui puellæ, promitto ducere te in vxorem, & illa respondet promitto ducere te in virum, & sic ipsimet sponsi faciunt sponsalia sine testibus.

Quartò, contrahuntur sponsalia per parentes, veluti pater sponsæ dat filiam suam in vxorem filio Caij, eamque promittit futuram in vxorem, & Caius pater acceptat, & dat filium suum in sponsum, & virum futurum filiæ illius patris promittentis; Quæ sponsalia an sint valida? Distinguitur, quod aut contrahuntur à patribus, præsentibus, & consentientibus, aut tacentibus filijs, & valida sunt, ac sponsalia tenent, cum taciturnitas habeatur pro consensu. *Bonacina de sponsalibus quæst. 1. punct. 1. num.* 11. Aut contrahuntur à parentibus filio, & filia absentibus, & ignorantibus, & tunc sponsalia non valent. *Cap. vnico de desponsat impuberum in 6.* §. 3.

Quintò per literas contrahuntur, quando alter alteri sponso-

rum scribit, promittens literis ducere ipsam in vxorem, & mulier rescribit, promittendo ducere illum in virum. *l. vltima ff. de sponsalibus*; Et quando aliquid non est dispositum in Iure Canonico, non dedignatur Ius Canonicum sequi Ius Ciuile. Et confirmatur per Cathechismum Romanum de matrimonio *par. 2. nu. 5. Bonacina proximè citandus.*

Sextò contrahuntur sponsalia per Internuncium, siuè per Procuratorem, quando sunt aliqui medij homines, per quos promittitur ab vtroque sponso, tam viro, quam fœmina de ducendo eam in vxorem, quæ etiam per illos, dat verbum ducturam se illum in virum. *Bonacina de natura, & proprietate matrimonij qu. 2. punc. 5. num. 1. & seq.*

Septimò contrahuntur sponsalia tantum nudo consensu, veluti si quis simpliciter dicat, promitto ducere te in vxorem, & vxor futura dicat, & ego promitto ducere te in virum, & hæc sponsalia perfecta, & valida sunt, nudoque consensu perficiuntur.

Octauò, Per subarrhationem Anuli contrahuntur, veluti quando quis promittit ducere in vxorem aliquam puellam, & in signũ matrimonij futuri, dat in digito illius anulum; hæc enim sponsalia firmata sunt per anuli dationem. *Cap. illud de præsumption.* Et hic anulus, positus in digito anulari sinistræ manus sponsæ, significat mutuam fidem inter ipsos præstandam, & amorem cordialem, qui debet esse inter sponsos, vt *in Can. Fœminæ 30. quæst. 5.* habetur ibi sic: in quarto digito anulus idem inseritur, quod in eo vena quædam, vt fertur, sanguinis, ad cor vsque perueniat.

Nonò, contrahuntur sponsalia per dationem arrharum, vt in *l. Arrhis, C. de sponsalibus*; quando quis dicat promitto, me ducturum te in vxorem, & ad firmanda hæc sponsalia ab vna, vel vtraque parte centum, ex. gr. vel mille aurei donantur pro arrhis.

Notandum hic obiter circà arrhas, quod simplex donatio sponsaliorum, intelligitur hodiè ob futuri matrimonij contemplationem facta; & is per quem steterit ne matrimonium fiat, repetere non potest quod dedit, nec mulier sibi datam restituere debet. Est *Text. in l. cum veterum, C. de donat. ante nuptias*, lex loquitur; quando stat per alterum, per pœnitentiam. Verum quasi semper donationes fiunt à sponso sponsæ; raro accidit fieri à fœminis, auarissimum enim genus est mulierum. *l. sed si ego in fine, ff. ad Velleianum, l. si stipulata, ff. de donat. inter virum, & vxorem.* Est alius *Textus in l. si à sponso, C. de donat. ante nuptias*, ibi deciditur, quod quando sponsus donauit sponsæ, & non interuenit oscu-

osculum, repetitur omne datum, sed si interuenerit osculum, repetitur dimidia pars, aliam lucratur sponsa, ratione osculi; Et hoc intelligitur quando per casum, scilicet si sponsus interim moriatur, hæredes sponsi repetere possunt. Quando verò per pœnitentiam, standum est vt supra dixi.

Decimò, contrahuntur sponsalia per fidem præstitam, veluti promittit quis ducere aliquam in vxorem, & illa illum in virum, & ad firmanda hæc sponsalia ad inuicem dant inter se fidem, quæ firmat sponsalia, ac si interuenisset iuramentum. *Cap. 1. de sponsa duorum.*

Vndecimò, contrahuntur sponsalia per iuramentum, veluti quando post promissionem alicuius de ducendo aliquam in vxorem, & post consensum mulieris, iurant inter se ducere in vxorem, & virum; & sic per iuramentum firmantur sponsalia, & dicuntur sponsalia iurata, & alter ex sponsis contraueniens, potest etiam accusari de periurio. *Cap. Ex literis il 2. de sponsa libus. Cap. Requisiuit eodem titulo.*

Quæ autem differentia sit inter iuramentum, & fidem præstitam, declarat *Felin. in cap. Præterea num. 15. de sponsalib. Syluester verbo sponsalia.*

Et hæc sponsalia his modis prædictis contracta valent, & tenent, nec mutata sunt per Concilium Tridentinũ, & cum mutata non sint, stare non prohibentur, validaque sunt. Cathechismus Romanus *loc. cit.*

4 Qui sunt effectus sponsaliorum. Resp. quod sunt tres præcipuè.

Primus est, vt per sponsalia tanquam præparatoria matrimonij deueniatur ad ipsum matrimonium; sponsalia enim quamuis non sint de essentia matrimonij; fiunt ne illotis manibus agatur res tanti momenti, nempè Sacramentum Matrimonij. *Can. Institutum 27. quæst. 2.* Ibi, institutum est, vt iam pactæ sponsæ, non statim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspirauerit sponsus dilatam; ac etiam iuxtà *Glossam ibi*, fructus diù expectatus, gratissimus est.

Secundus effectus est, vt vbi prohibeatur matrimonium, prohibeantur etiam sponsalia. Per regulam quæ dicit, cum quid prohibeatur, prohibentur omnia, per quæ deuenitur ad illud, *l. Oratio, ff. de sponsal; Iason; & Alexander in l. 2. ff. de iurisd. omnium Iudicum.*

Exemplum est huiusmodi, Petrus, & Lucretia sunt in quarto gradu consanguinitatis, vel affinitatis, propter quod contra-

 here

here matrimonium prohibentur; Isti etiam sunt prohibiti contrahere sponsalia.

Hæc regula qua asseritur, cum quid prohibetur, censetur prohibitum omne id, propter quod deuenitur ad illud, vt in dicta *l. Oratio citata*, procedit quando prohibitio est perpetua, non autem procedit quando prohibitio est temporalis. *Textus est in l. solet, ff. de his qui notan. infam. l. si quis officium de ritu nuptiar.*

Exemplum est, Officialis durante officio prohibetur in illa Ciuitate, seu Terra, in qua est Officialis contrahere matrimonium; sed tamen quia prohibitio hæc est temporalis, non prohibetur interim, dum est Officialis, contrahere sponsalia, *dic. l. si quis officium*, sed tantùm prohibetur contrahere matrimonium, dum est in officio, secus finito officio, totum id dispositum est propter libertatem matrimonij.

Secundò fallit prædicta regula in pœnalibus, etiamsi prohibitio sit perpetua, nam cum pœnæ sint restringendæ; Pœna quæ imponitur matrimonio, non censetur imposita in sponsalibus.

Exemplum est consanguinei, vel affines contrahentes matrimonium in gradu prohibito, si scienter contrahant, sunt excommunicati ipso facto. *Clem. 1. de consang; & affin.* Insuper contrahentes cum Monialibus sunt etiam excommunicati. *dict. Clem. 1.* Præterea Religiosi, Moniales, & Clerici in sacris constituti contrahentes matrimonium ipso iure sunt excommunicati; *dict. Clement. 1. de consang; & affin.* Omnes tamen supradicti si contrahant sponsalia non sunt excommunicati in *dicta Clement*; sed mortaliter peccant; Ratiò est quia pœna imposita matrimonio, non extenditur ad sponsalia; *DD. declarantes dict. Clement*; cum in pœnis non sit facienda extentio.

E conuerso notandum, percutientem Clericum fornicantem cum sua sponsa de futuro incidit in excommunicationem Summo Pontifici reseruatam; vti sentit *Glossa* ab omnibus approbata in *cap. 3. de sententia excomm.* Secus dicendum, qui in Clericum cum vxore, matre, sorore, vel filia turpiter inuentum manus iniecerit violentas, non est enim compellendus ad Sedem Apost. accedere. *dicto cap. 3. si verò de sententia excomm. circà finem*; Et ratio est, quia iustum dolorem quis compescere potest? *l. Grauus ad l. Iuliam de adulterijs*, & lex Ciuilis permittit illum sic inuentum occidere, *l. quod ait lex, §. Quod ait, ff. de adulterio*, aliàs ex interuallo non liceret. *ità Glossa in eodem cap. 3. circà finem*. Aliter lex Canonica; tantum enim excusat ab excommunicatione Sedi Apostolicæ reseruata, si manus violentas in eum iniecerit, occisionem verò omninò prohibet, ac damnat.

Secun-

Secundum exemplum est, Clericus beneficiatus si matrimonium contrahat, ipso facto beneficium perdit, & vacat; Si tamen contrahat sponsalia secus est; cum in pœnalibus non sit facienda extentio; Quod perdat beneficium per matrimonium contractum. Est *Text. in cap. 1. de Clericis coniugat.* ità *Abbas in dicto cap. citato, Iason. in l. 2. in fine, ff. de iurisdict. omnium Iudicum, & alij.*

Tertius effectus sponsaliorum est, vt liceant sponsis sine peccato amplexus, oscula & tactus ex beneuolentia. *Caiet. in summa verb. sponsis.* Sicut eadem licent omnibus, secundum consuetudinem patriæ. *S. Thom. 2. 2. quæst. 114. num. 4. & Caiet. ibid.* sunt verò huiusmodi illicita omnibus, etiam sponsis, si sint impudica, aut si fiant causa delectationis; Vndè Alexand. VII. damnauit hanc propositionem. Est probabilis opinio quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur in sponsis, secluso periculo consensus vlterioris, & pollutionis.

In praxi tamen, quia in talibus osculis, & tactibus, quasi semper adest periculum vlterioris consensus in delectatione, siuè pollutionis in vtroque sponso, siue in altero eorum, ideò quasi semper sunt prohibita.

Et prætereca monendi sunt parentes sponsarum, vt nunquam permittant ingredi sponsum in domum suam, ne sponsa ab eo tangatur, amplexetur, & osculetur. Imò tunc magis quando contracta sunt sponsalia, & reperitur impedimentum essentiale impediens, & dirimens matrimonium, propter quod necesse est dispensatio Summi Pontificis, quæ dum interim expectatur, parentes curarè debent ne sponsus omninò veniat in domum sponsæ, ne fortè per oscula, amplexus, & tactus deueniatur ad copulam; cum adhuc sint consanguinei.

Et quia frequentur per amplexus, oscula, &c. inter sponsos adhibita, interuenit copula carnalis, antè matrimonium contractum per verba de præsenti; Ideò in aliquibus Prouincijs est casus reseruatus; Ac etiam lata est excommunicatio ab Episcopis contra patres, matres, & sponsos, ipso facto incurrenda, ne sponsi audeant antè matrimonium contractum per verba de præsenti, copulam habere, ac etiam contrà parentes permittentes vt dixi; ad euitanda stupra, & incestus.

5 Ætas apta quæ requiritur tam in viro, quam in fœmina ad contrahenda sponsalia est septimus annus. *l. in sponsalibus, l. 2. ff. de sponsalibus. Cap. Literas, & Cap. Dissoluendum de desponsatione impuber.* Annus autem septimus, debet esse completus, nec sufficit si fue-

si fuerit inceptus. *Abb. in cap. Iuuenis de sponsalibus, & dicto cap. literas.*

Est tamen verum, quod quando malitia supplet ætatem, sufficit si septimus annus sit quasi completus. Ità *Sotus in 4. sentent. distinct. 27. quæst. 2. art. 2. Couarr. prima par. de sponsal. cap. 2.* qui citat *D. Thomam hanc opinionem tenentem in 4. distin. 27. quæst. 2. art. 2.* vbi dicit referens *Philos. in 2. phis. cum parum deest, nihil deesse videtur.*

Quantum sit illud parum, à quibusdam taxatur tempus sex mensium, puta in septimo anno dimidiato. *l. non tantum, ff. de excusat. Tutor.* Sed meliùs est, vt determinetur secundum contrahentium conditionem, paulò plus, minusuè, quia in quibusdam celeriùs maturescit rationis vsus, quam in alijs. Idem *D. Thom. loc. cit.* Regulariter verò tenendum quod sponsalia contracta ante septennium completum, non valeant ex defectu ætatis, & nulla sint, tamen conualescunt tacito consensu post septennium. *Sotus, & Couarr. locis citatis.* Et est *Textus etiam in cap. 1. de desponsat. Impub. Bonacina de sponsal. quæst. 1. punct. 4 num 5. & 8.*

Hinc etiam infertur, quod si Princeps habens filium ætatis sex annorum faceret sponsalia cum filia alterius Principis, etiam minore sex annis, hæc sponsalia sunt nulla, etiam si filius, & filia Principum fuerint consentientes; Cum sponsalia ex defectu ætatis sint nulla, quæ possint conualidari post septennium, si sponsi consentiunt, vel non dissentiunt; Et ideo *DD.* aiunt quod talia sponsalia non debent fieri, nisi esset magnus Priuceps quia ob bonum publicum, vtpotè pro bono pacis, talis coniunctio, toleratur; Ità *Sotus in 4. sentent. dist. 27. quæst. 2. art. 2.* Et est *Textus in cap. vbi non est de desponsat. impub.*

Octauò dubitatur. Primò, pater tempore quo eius filius erat natus quator annorum, fecit sponsalia pro illo cum filia Petri, & eius filius tunc temporis consentijt sponsalibus, iam est natus decem annis, an teneatur obedire patri suo, & contrahere, seù ratificare dicta sponsalia.

Resp. Quod in isto casu filius non tenetur obedire patri suo de necessitate, sed tantum de honestate, & maximè quando nulla subest causa renuntiandi sponsalibus. Ità est *Text. in cap. 1. de desponsat. impub.* & ibi *Glossa notabilis.*

Secundò, Dubitatur Ioannes natus decem annis contraxit matrimonium de præsenti cum Lucretia eiusdem ætatis; vel Petrus pubes 15. annis contraxit matrimonium de præsenti, cum Susanna minore duodecim annis; Et sic vnus est pubes, alter impubes;

vel

vel ambo impuberes, vt in primo Casu. An inter eos teneat matrimonium.

Resp. Negatiuè, quia non est ætas, tam in primo, quam in secundo casu apta ad matrimonium contrahẽdum, & sic ex defectu ætatis, vel vtriusque, vel alterius partis, matrimonium non consistit; sed iuris interpretatione sponsalia sunt, tam in primo, quam in secundo casu. *Nauarrus infrà citandus.*

Hinc infertur quod inter eos non est licita copula carnalis, cum adhuc sint sponsi, non autem vxor, & maritus; Et hæc sponsalia de iure antiquo secuta copula carnali, transibant in matrimonium. *Cap. Is qui fidem de sponsalibus.* Imò per traductionem sponsæ in domum sponsi, ista sponsalia transibant in matrimonium. *l. Mulierem, ff. de ritu nuptiarum.* Hodie verò ex Decreto *Concil Trid. sess.* 24. *cap.* 1. Ista sponsalia Iuris interpretatione nunquam transeunt in matrimonium, neque per copulam subsequutam, etiam affectu maritali, neque per traductionem sponsæ in domum sponsi, neque per ætatem superuenientem, sed opus est, vt ætate adueniente, ad matrimonium contrahendum ab vtroque sponso, vocetur Parochus, & Testes, & de nouo matrimonium de præsenti contrahant, aliàs in perpetua fornicatione viuerent. *Nauarrus cap. 22. num. 28. in fine.*

6 Vinculum, & obligatio sponsaliorum est, vt sponsus, & sponsa teneantur contrahere matrimonium, & perficere quod promiserunt, ac promissis stare. *Cap. sicut ex literis, cap. requisiuit de sponsalibus.*

Hinc infertur, quod sponsum non liceat pœnitere post sponsalia contracta, & non seruans promissa non potest absolui; Quia non solum tenetur vendere rem, qui pretio accepto, rem possidet, neque adhuc tradidit emptori; sed etiam qui promisit vendere, cogi potest ad vendendum, in omni foro; Itaque qui promisit locare, donare, & huiusmodi, tenetur adimplere quod promisit. *Glossa,* & ibi *DD. in* §. *Perficiuntur institut. de donat. Ripa in suis Responsis, respons.* 144; *Couarr. prima par. de sponsal. cap.* 4. Pariter qui promittit ducere aliquam in vxorem, debet cum ea contrahere matrimonium, & quod promisit adimplere; nec potest pœnitere, sine iusta causa, vt infrà dicetur.

Primò, Ampliatur ista conclusio, quod sponsus teneatur contrahere matrimonium cum sponsa, & adimplere quod promisit, siuè sponsalia sint iurata, siuè nudo consensu, & simplici verbo contracta, siuè fide præstita; semper enim tenetur, & est obligatus contrahere cum ea matrimonium, adimplendo quod in sponsali-

salibus promisit. *Abb. in cap. de illis de desponsat. impub. & idem in cap. 1. de sponsa duorum, & cap. ex literis de sponsal.*

Secundò ampliatur, quod multò magis teneatur sponsus contrahere matrimonium cum sponsa, si interuenerunt oscula, cum per osculum maculatus sit decor virginalis pudoris. Et in *Cap. Regni Neapolit. incipien. Robertus*; mulierem osculans per vim pena vitæ punitur. *Afflict. decis. 276.* Et etiam in *Pragmatica Regni sub titulo de osculantibus mulieres incip. Considerato.* Extrà verò Ciuitatem Neapolis per totum Regnum punitur pœna exilij, & pecuniaria. Verum osculans mulierem de eius voluntate, cum qua anteà fuerat conuentum de matrimonio contrahendo, indè maximè sequuto, nulla pœna de Iure puniri debet. *Idem Afflictus in dicta decisione.*

Tertiò ampliatur, quod sponsus teneatur cum sponsa matrimonium contrahere, estò quod sponsus promiserit, vel iurauerit ducere illam in vxorem animo decipiendi, non animo obseruandi quod promisit, siuè copula secuta, siuè non secuta; semper enim tenetur stare promissis. *Nauarr. cap. 16. num. 18. Couarr. in 2. par' de matrimonio cap. 2. num. 4.* Est verum quod si mulier est inequalis conditionis sponso, quia fortè sponsus est nobilis, tunc sponsus vel ducat, vel dotet eam, alias absolui non debet, nisi aliquo modo partem concordauerit. *DD. proximè citandi.*

Quartò ampliatur, vt etiam Iudex Ecclesiasticus possit compellere sponsum sub comminatione censurarum, siuè secuta, siuè non secuta copula carnali, ad contrahendum matrimonium cum sponsa. *Cap. Requisiuit, & cap. Ex literis il 2. de sponsalibus. Couarr. prima parte de sponsal. cap. 4.* Sed hæc coactio debet esse moderata, vt liberè posteà contrahant. Idem *Couarr. loc. cit.* Et *Glossa in dicto cap. requisiuit*, inquit: priùs est monendus, & nisi acquieuerit, posteà compellendus; quia coactiones difficiles exitus solent habere.

Quintò ampliatur, vt sponsus teneatur cum prima sponsa contrahere matrimonium, etiamsi cum secunda sponsa contraxerit sponsalia cum iuramento, & cum prima sponsa simpliciter; cum prior obligatio præualeat. *Abbas in cap. sicut de sponsalibus*, nec iuramentum est obseruandum in isto casu, cum sit præstitum contrà bonos mores, & in præiudicium salutis æternæ, & proximi, & sic non est obligatorium. *Cap. Non est obligatorium de Regulis Iuris in 6.* Declarat *Sotus in 4. sentent. distinct. 27. quæst. 2. art. 3.*

Sextò ampliatur, vt sponsus teneatur contrahere matrimonium cum sponsa, etiamsi post sponsalia cum ea contracta, cum alia puel-

puella contraxerit alia sponsalia, & copula carnalis sit cum ea secuta, nam adhuc primæ sponsæ redire tenetur, quia prior obligatio præualet, & cum ea matrimonium contrahere tenetur, non cum secunda, nisi concordauerit primam, vel illam dotando, vel alio modo, quo casu, parte prima concordata, ad secundam redire poterit; Quæ regula non procedit in matrimonio; nam si quis sponsalia cum Iuramento contraxit cum aliqua & postea cum secunda matrimonium contraxerit de præsenti; ad primam sponsam non tenetur redire, sed cum secunda manere debet: & ratio est; quia maius est vinculum matrimonij, qua m sponsaliorum. Ità habetur *in textu cap. si inter de sponsalibus*, & illa prima sponsalia erunt dissoluta per matrimonium subsequens cum secunda puella; Tamen iste talis grauissimè peccaret, & ratio est; quia primam fidem irritam fecit, cum præiudicio proximi, & ideò competens pænitentia ei imponenda esset. *Cap. sicut ex litteris de sponsalibus*.

7 Quibus modis dissoluantur sponsalia.

Resp. Multis modis sponsalia dissolui, de qua materia agit *Hostiensis in titulo de sponsalibus in summa; Et Glossa in cap. de illis il 1. de sponsalibus D. Thomas in addit. 3. par. quæst. 43. art. 3. Couar. in prima parte de sponsalibus cap. 5. Sotus in 4. sentent. distinc. 27. quæst. 2. art. 5. Nauar. cap. 22. num. 25. & 27. Syluester & cæteri summistæ in verbo sponsalia*,

Primo igitur modo dissoluuntur sponsalia morte naturali; mors enim omnia soluit. *§. deinceps in Auth. de nuptijs*.

Secundo dissoluuntur sponsalia Morte Ciuili per damnationem ad triremes. *Abbas in Cap. De illis il primo de sponsalibus l. 1. ff. de diuortijs*: quod secus est in matrimonio, quod non dissoluitur per damnationem ad triremes, sed sola morte naturali.

Tertiò sponsalia dissoluuntur mutuo consensu sponsorum, quia omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur. *l. Nihil tam naturale de Regulis Iuris*. Sicut societas, quæ consensu nascitur, consensu dissoluitur. *l. verum §. finali ff. pro socio*, ità etiam sponsalia.

Hæc Conclusio primò ampliatur, vt etiam mutuo consensu sponsalia dissoluantur, estò quod sint iurata. *cap. Prætereà il primo de sponsalibus*, & in hoc casu iuramentum non obligat, & à Iudice in patientia toleratur, ne deteriùs indè contingat. *Iason in l. finali ff. qui satisdare cogantur, vide dic. cap. Prætereà il primo*.

Secundò ampliatur vt sponsalia mutuo consensu dissoluantur, estò quod sint contracta principalitèr ob amorem Dei; veluti iu-

rauit quis ducere in vxorem talem mulierem pauperem ob amorem Dei, & dedit illi fidem de hoc adimplendo; quia adhuc mutuo consensu dissoluuntur. *Nauarrus cap. 22. num. 25. in fine & num. 28.* Sed in isto casu si appositum sit iuramentum debet interuenire sententia Iudicis Ecclesiastici declaratoria, sponsalia esse dissoluta, ad euitandum scandalum Populi.

Limitatur ista Conclusio, vt non procedat quando Parentes sponsorum vellent dissoluere sponsalia contracta per sponsum, & sponsam; Nam mutuo consensu Parentum sponsalia contracta inter filium, & filiam non dissoluuntur, cum requiratur consensus sponsi, & sponsæ ad dissoluenda sponsalia inter eos contracta, non autem sufficit consensus parentum, qui non attenditur, sicut nec patria potestas in spiritualibus, & ad Diuinum cultum pertinentibus, & maximè post pubertatem filiorum, qui etiam inuitis parentibus possunt contrahere sponsalia, & matrimonium. *D. Thomas 2. 2. quæst. vltima art. 6.* Imò quilibet ingenuus post annos pubertatis habet liberam potestatem quoad dispositionem sui status, Iuxtà *Conc. Trid. cap. 1. sess. 24. de Sacramento Matrimonij.*

Tamen maximè hortandi sunt filij familias, vt parentibus, & ijs in quorum fide, & potestate sunt, eum honorem tribuant, vt ipsis inscientibus, nedum inuitis, & repugnantibus, matrimonia non ineant. *Catechismus Romanus parte 2. de matrimonio num. 32. Bonacina de sponsalibus quæst. 1. punct. 4. num. 9.* An peccent filij parentibus inscientibus, contrahendo matrimonium: *vide infrà de impedimento vis & metus num. 17. vt dixi.*

Quarto dissoluuntur sponsalia per subsequens matrimonium de præsenti, vt dixi. *cap. sicut, & cap. Ex literis, & cap. inter de sponsalibus.*

Nec obstat huic Conclusioni Regula: qui prior est in tempore, potior est in iure, quia illa regula intelligitur data paritate terminorum, qui in hoc casu non sunt pares, cum matrimonium sit maius vinculum, quam sponsalia; & ideò si quis cum duabus puellis contraxerit sponsalia, ad primam redire tenetur, quia termini iam sunt pares, vt latè suprà diximus.

Hinc infertur à pari quod si quis duobus rem vendiderit, & neutri rem tradiderit, primo Emptori rem vendere compellitur; si tamen duobus vendidit, & secundo emptori rem tradidit, per traditionem maius est vinculum secundi emptoris, & sic secundus emptor præfertur primo emptori *l. quoties, & ibi; Iason num. 36. C. de rei vendicatione l. si ea res §. fin. ff. de act. empti. Co-*

nar.

uar. in prima par. de sponsalibus cap. 5. *num.* 10. Et præfatum exemplum indiuiduum est, vt faciliùs supradicta intelligantur.

Quinto dissoluuntur sponsalia per superuenientem grauem infirmitatem, scilicet contagiosam, vel notabilem deformitatem in persona vnius ex sponsis; Veluti si post sponsalia contracta de futuro, morbus gallicus, vel lepra, vel Nasi ammissio, vel aliquid turpius superueniat sponso, vel sponsæ, tunc semper dissoluuntur sponsalia. *Abbas in cap. Quemadmodum de iureiurando. cap. litteras de coniugio leprosorum. Nauarrus. Couarr. locis citatis cum Soto.*

Sexto dissoluuntur sponsalia per spiritualem, vel carnalem fornicationem. Per spiritualem; veluti si post contracta sponsalia, alter ex sponsis fiat hæreticus, & hæc est fornicatio spiritualis, quando quis apostatatur à fide *Can. non solum* 28. *qu.* 1.

Dissoluuntur etiam sponsalia per carnalem fornicationem; veluti si post ea contracta antè matrimonium de præsenti, sponsa fornicationem commiserit. Imò patet sponsos esse pares quoad dissolutionem sponsaliorum, quando fornicatio superuenit sponsalibus.

Sed sciendum; quando alter eorum fornicatur post sponsalia, non possunt dissolui à fornicante; nam ipse non debet reportare commodum ex suo delicto in damnum innocentis; si verò innocens vult contrahere, tunc fornicans tenetur contrahere, ità volente sponso innocente.

Quando vterque fornicationem commiserint post sponsalia; tenent. *Bonacina de sponsalibus qu.* 1. *punct.* 8. *num.* 6. *cum Paludano in* 4. *distinct.* 27. *quæst.* 1. *art.* 3. *num.* 17. *contrà Sanchez. lib.* 1. *disp.* 15. *num.* 8. & alios existimantes solum virum posse in eo euentu à sponsalibus resilire. Primi DD. fundant suam sententiam; tum quia delictum vnius compensatur cum delicto alterius; tum quia, quando vterque coniux post contractum matrimonium adulterium commisit, vir non potest facere diuortium, quamuis adulterium fœminæ sit grauiùs adulterio viri; Ergo neque sponsus potest dissoluere sponsalia, quando vterque fornicationem commisit post sponsalia; licèt sponsus maiorem subeat ignominiam per fornicationem sponsæ, quam subeat sponsa per fornicationem sponsi.

Ampliatur etiam, quod sponsalia dissoluuntur, etiamsi antè sponsalia fuisset deflorata sponsa, & post sponsalia id peruenit ad notitiam sponsi, defloratam sponsam fuisse; nam iusta causa est dissoluendi hæc sponsalia; quia si sciuisset sponsus, non contraxisset;

xiſſet; quæ cauſa non attenditur in matrimonio de præſenti, cum matrimonium ſit vinculum indiſſolubile. *Bonacina de ſponſalibus quæſt. 1. punct. 8. num. 17. & 16. & alij apud ipſum*. Ampliatur vt etiam ſponſalia diſſoluantur, eſto quod ſponſa fuerit deflorata per vim præciſam, aut à fidelibus, aut infidelibus. *Gloſa eſt notabilis in Can. Raptor 27. quæſt. 2.*

Septimo diſſoluuntur ſponſalia per ſuperuenientem *Affinitatem cap. veniens, & cap. ex literis* de eo qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ. Veluti quando ſponſus copulam habuit cum conſanguinea ſponſæ in primo, vel ſecundo gradu, poſt, vel antè contracta ſponſalia, nam per huiuſmodi copulam fit affinis ſponſæ; Affinitas autem dirimit etiam matrimonium vſque ad ſecundum gradum, quando procedit ex copula illicita. *Concil. Trident. ſeſſ. 24. de reform. matrim. cap. 4.* Verum tamen eſt requiri copulam naturalem, & perfectam ſaltem ex parte viri, vt inducatur huiuſmodi impedimentum dirimens, vt infrà clariùs dicemus de impedimento Affinitatis. *Bonacina de ſponſalibus quæſt. 1. punct. 7. num. 6. qui multos DD. citat*.

Octauo diſſoluuntur ſponſalia per ſæuitiam, & aſperam naturam ſponſi; quæ ſæuitia ſponſi etiam in matrimonio de præſenti inducit Tori ſeparationem *cap. litteras de reſtitut. ſpoliatorum*.

Nono diſſoluuntur ſponſalia per nimiam abſentiam ſponſi, in partes remotas. *cap. de illis il 1. de ſponſalibus*.

Decimo diſſoluuntur ſponſalia per terminum præfixum matrimonio contrahendo elapſum. *cap. ſicut ex literis de ſponſalibus*. Veluti contraxerunt aliqui ſponſalia cum hac conditione, vt fiat matrimonium de preſenti infrà tres menſes, ſi elapſi ſint tres menſes, & matrimonium non fuerit contractum, ſponſalia ſunt diſſoluta. *dicto cap. ſicut ex literis*.

Vndecimo diſſoluuntur ſponſalia per non adimpletionem conditionis promiſſæ. *cap. de illis de condit appoſitis*; vel per non ſolutionem dotis promiſſæ *dic. cap. de illis*.

Duodecimo diſſoluuntur ſponſalia per votum ſimplex Caſtitatis, vel Religionis, vel Religionis ingreſſum *cap. veniens, & cap. Rurſus qui Clerici vel vouentes*; quia votum Caſtitatis ſimplex, vel Religionis fortiùs eſt vinculum, & gratiùs Deo, ac melioris vitæ, nec expectandum eſt, vt profiteatur alter ex ſponſis in Religione; ſicut eſt in matrimonio rato. *Sotus in 4. ſenten. diſtinct. 27. quæſt. 3. art. 5.* nam ſemper ſponſalia ſunt diſſoluta per votum ſimplex Caſtitatis, vel Religionis, vel Religionis ingreſſum. Ità etiam tanto magis diſſoluuntur per votum ſolemne Religionis,

vel

vel per ordinem facrum fufceptum. *cap. vnicò de voto in 6.*

Decimotertio fponfalia ob defectum ætatis diffoluuntur, imò ipfo iure funt nulla, fi ante feptennium contrahantur, vt diximus fuprà. Si autem matrimonium contrahatur de præfenti coram Parocho, & Teftibus à minoribus, fcilicet ab impuberibus funt interpretatione iuris fponfalia, quæ ætate fuperueniente, vel confirmantur, vel diffoluuntur. *cap. de illis §. fi verò de Defponfat. Impub. vt fuprà diximus.*

Decimoquarto diffoluuntur etiam fponfalia per metum: aut dolum, immò funt ipfo facto inualida.

Aduertendum eft, dolum aliquando dare caufam contractui, aliqnando incidere tantum in contractum; dolus dans caufam contractui, dicitur ille qui, fi cognitus fuiffet tempore contractus, non fuiffet celebratus contractus; Dolus incidens in contractum, dicitur ille, qui fi cognitus fuiffet tempore contractus, nihilominus contractus fuiffet celebratus; In primo, fponfalia funt ipfo facto inualida. In fecundo funt valida.

Exempli gratia Titius celebrauit fponfalia cum Berta deflorata, quæ virginem fe fimulabat, fed ità erat affectus tempore fponfaliorum, quod illa celebraffet, etiamfi illam cognouiffet defloratam, tunc Titius non poffet refilire. *Bonacina de fponfalibus quæft. 2. punct. 9. & alij ab ipfo citati.*

Tandem fponfalia celebrata per metum leuem diffolui poffunt in foro confcientiæ.

Dixi per metum leuem, quia fponfalia facta per metum grauem, funt ipfo facto irrita: *vt infra dicam de matrimonio.*

Dixi in foro confcientiæ, quia in foro externo non datur actio ad diffoluenda fponfalia facta per metum leuem; nam in iure non habetur ratio metus leuis. *l. nec timorem ff. de eo quod metus caufa*, alioquin daretur occafio multis litibus, vt benè ait. *Sanchez. lib. 4. difp. 17. num. 3.*

Vtrum verò qui metu graui celebrauit fponfalia cum iuramento, teneatur ratione iuramenti ftare fponfalibus.

Refpondeo negatiuè, nam quando contractus ob publicam vtilitatem prohibetur, fi iuramento confirmetur, iuramentum nullam inducit obligationem, neque eget relaxatione. *Guttierez cap. 76. num. 9. & 44. Sanchez lib. 4. difp. 20. num. 15. & difp. 21. num. 1.*

An fponfalia clandeftina valida fint, etiam poft Trident.

Refp. Affirmatiuè, & ratio eft, quia lex Tridentini irritans matri-



matrimonium Clandestinum, est correctiua iuris communis, ideoque non est extendenda vltrà casum expressum. *l. Præcipimus C. de appellat*. Ergo cum solum irritet matrimonium clandestinum, non erit extendenda ad sponsalia. Confirmatur; quia est diuersa ratio de matrimonio clandestino, & de sponsalibus; nam illud est prohibitum ad vitandum concubinatum secundę vxoris, cum tamen reuera primum validum esset: Non sic accidit in sponsalibus; nam matrimonium contractum, contemptis primis sponsalibus, validum est. *Filiuccius de Sacramento matrimonij par. 1. cap. 7. de sponsalibus nu. 253. Nauarrus cap. 25. num. 144. & alij citati ab eodem Filiuccio:*

Quartum Præparatorium Matrimonij, sunt Publicationes, siuè Denunciationes.

QVÆSTIO QVARTA.

SVMMARIVM.

1 *Vbi, quando, & quomodo debent fieri Denunciationes.*
2 *Quando sponsus est Exterus, quomodo fieri debeat.*
3 *Si prædicta publicationes omittantur ob iustam causam, an debeant postea suppleri.*
4 *Aliqua dubia scitu digna.*
5 *Quæ sint causæ iustæ ad dispensandum in Denunciationibus.*
6 *An hæ Denunciationes possint aliquando omitti à Parocho absque peccato.*
7 *An matrimonium contractum absque denunciationibus sit validum.*
8 *An sicut Episcopus, ità etiam suus Vicarius generalis possit facultatem dispensandi in denunciationibus alteri delegare.*
9 *An Episcopus alterutrius contrahentis possit cum vtroque contrahente dispensare in denunciationibus, scilicet quando contrahentes sunt diuersæ Diœcesis.*

1 Quar-

1 QVartum Pręparatorium Matrimonij sunt denunciationes, seù publicationes præcedentes in propria Parochia, *vt in Conc. Trid. sess. 24. cap. primo.*

Quæ Denunciationes ter fieri debent, tribus diebus festiuis de præcepto, ità vt populus audiat matrimonium contrahendum esse inter talem, & talem; Etiam hæ publicationes fieri debent inter Missarum solemnia hac forma. Fiet matrimonium inter talem & talem, si quis sciat hoc matrimonium impediri posse aliquo impedimento reuelet, &c.

Fiunt autem hæ denunciationes in re tanti momenti nempè Sacramenti matrimonij, ne fiat illotis manibus, scilicet sine consideratione, vt euitentur scandala, quæ eueniri possunt ex Impedimentis.

Secundo fieri debent hæ publicationes in Ecclesia Parochiali ad maiorem scientiam alicuius impedimenti; Et si sponsus & sponsa sint eiusdem Parochiæ in illa sola fiant denunciationes; si verò sint diuersæ Parochiæ,in vtraque Parochia fieri debent, estò quod sint Parochię eiusdemTerrę, siuè Ciuitatis. DD.cōmuniter.

2 Si sponsus sit exterus, siuè aduena, debent procurari literæ siuè fides ex patria sua; quod aliam non duxerit vxorem. *Conc. Trid. sess. 24. cap. Multi de Matrimonio. Abbas in cap. Cum inhibitio.* Ordinarij verò in re tam graui debent esse oculati propter scandala, quæ sæpè eueniri possunt in matrimonijs,& præsertim personarum vagantium, quæ plures sæpè sæpius ducunt vxores in diuersis locis; Et huiusmodi fides eorum Parochorum; sit authentica, seù legalizata ab ordinarijs locorum, priùs examinatis ab ipsis duobus, vel tribus testibus, quod isti contrahentes sint soluti. Necnon obseruare debent edicta pluries publicata ob officio Sanctæ Inquisitionis super hac materia. Et prædictæ denunciationes seù publicationes etiam antè *Concil.Trid.de Iure antiquo erant in vsu cap. Cum inhibitio de clandestina desponsat.*

3 Quando ob iustas causas ab ordinarijs dispensatum sit super istis denunciationibus, debent suppleri post contractum matrimonium, antequam consumetur. *Conc. Triden. sess. 24. cap. 1.* Ibi; deindè ante illius consumationem denunciationes in Ecclesia fiant, vt si aliqua subsint impedimenta, faciliùs detegantur.

Prætereà si Parochus illas omittat, (absque legitima causa) tam antequam contrahatur matrimonium, quam post matrimonium consumatum,(quando ordinarius dispensauit existente causa legitima)peccat mortaliter;*Bonac. de natura,& proprietatibus matrimonij,q.2.punct.6.n.8.& alij.* Con-

Contrahentes verò consumando matrimonium absque præmissis denunciationibus, peccant toties quoties habent Copulam, ratio est; quia exponunt se periculo fornicationis, non adhibendo diligentiam præscriptam à Sacro Concilio Tridentino, faciendo contrà præceptum Ecclesiæ in re graui; Tum quia ex omissione denunciationum possunt sequi grauissima mala. *Bonacina supra citat. n. 8. & 9. Sanchez. lib. 3. disput. 2. n. 4. & 5. & alij. Filiuccius etiam idem affirmat in tract. 10. cap. 5. par. 1. n. 183.* his verbis: si matrimonium celebretur, non præmissis denunciationbus, etiàm ex iusta dispensatione, peccant mortaliter contrahentes, si consument antè præmissas denunciationes, non modò peccant prima vice si consument, sed etiam toties, quoties, quia semper se exponunt periculo fornicationis. Quamuis alij DD. relati à *Sanchez loco cit. affirmant*, quod tantum prima vice peccant, rationes quas afferunt, vide *apud eundem Sanchez loco cit.*

4 Parochus non debet inter vnam, & alteram denunciationem multos dies interponere. Quinimò eas Parochus denuò præmittere debet, quando post primam peractam, intrà quatuor menses matrimonium non fuit contractum. Neque diebus ferialibus fieri possunt, etiam cum dispensatione Episcopi. Et fieri debent à proprio contrahentium Parocho, vel ab alio de eius licentia.

Parochus, qui sine licentia Ordinarij, omissis denunciationibus, aliquos desponsauit, incurrit pænam triennalis suspensionis ab officio, & beneficio. *cap. Cum inhibitio §. sanè de clandest. desponsat*; quæ suspensio ab Episcopo absolui non potest.

Parochus non debet ad celebrationem matrimonij deuenire, nisi post trium, vel duorum dierum spatium ab vltima denunciatione.

In omnibus assertionibus præmissis, *vide Barbosam in Collectanea, in Conc. Trident. sess. 24. de reformatione matrimonij à num. 19. & sequen; qui alios DD; & Decreta S. Congregationis citat.*

5 Nonnullæ sunt causæ iustæ ad dispensandum in denunciationibus.

Primò disparitas conditionis, etatis, & qualitatis sunt causa dispensandi in denunciationibus, vel vt omninò omittantur, vel saltem vt fiat vna denunciatio pro trina, insuper hę sequentes causæ videlicet.

Articulus, vel periculum mortis in volente contrahere cum Concubina ad tollendam verecundiam; Vel etiam quando Iuuenis contrahit cum Vetula; Vicinitas temporis quo nuptiæ solemnes prohibentur. Quando creditur matrimonium iniustè impedien-

diendum, vel à parentibus, vel consanguineis, vel à nouerca, vel ab iniquis curatoribus. Vel ad maleficia, aut affinium, vel aliorum euitanda. Item, quando Magnates contrahunt non repentè, & occultè: inter quos omnibus est notum si adsit impedimentum. Quando quis vult ducere meretricem, vt à peccato liberetur. Omnes prædictæ causæ sunt rationabiles ad dispensandum ab Ordinarijs. Tamen antè matrimonij consummationem denunciationes in Ecclesia fiant, vt si aliqua subsint impedimenta, faciliùs detegantur, nisi ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciationes omittantur, quòd illius prudentiæ, & iudicio Sancta Synodus relinquit. *Conc. Triden. sess. 24. cap. primo de reform. matrim. In omnibus prædictis. Vide Barbosam Collectanea in Concilium Trident. sess. 24. cap. 1. de reform. matrim. num. 59 & sequen. qui multos DD. citat.*

6 Possunt aliquando denunciationes omitti à Parocho absque peccato; imò licitè absque facultate ordinarij. Accidit quando periculum est in mora, ità vt non possit Episcopum adiri, qui teneretur dispensare.

Vndè quando quis diù distulit matrimonium cum aliqua inire, & posteà in grauem morbum incidit, & petita confessione, velit contrahere; & timetur fore, vt non celebret matrimonium, si conualuerit; tunc potest Parochus in eo casu, absque facultate Episcopi, ad quem commodè adiri non potest, assistere, & celebrare matrimonium. Et ratio desumenda ex benignitate Ecclesiæ, quæ non præsumitur obligare cum tanto incommodo, cum necessitas careat lege. Ità *Sotus, Syluester, Sanchez, Guttierez, & alij apud Bonacinam quest. 2. punc. 6. n. 7. & sequen. de natura, & proprietatibus matrimonij.*

7 Matrimonium contractum absque denunciationibus validum est; Ratio est, quia de Iure antiquo validum erat; & nunc in Iure nouo non statuitur contrarium.

Has publicationes omittendi ex facultate non potest Parochus concedere, sed tantum ordinarius, scilicet Episcopus, vel alter Prelatus, qui habeat iurisdictionem quasi Episcopalem, & non sit subditus Episcopo. Aut etiam Vicarius Generalis, nisi Episcopus hanc facultatem sibi reseruet; nam Vicarius generalis venit nomine ordinarij, *cap. Romana de appellat. in 6.* Potest igitur ordinarius ob iustas causas, quæ sibi iustè videbuntur, dispensare, vel in totum, vel in partem, vel vt fiat vna pro trina denunciatio; Nam Tridentinum remisit hoc negotium prudentiæ Episcoporum, vt dixi, & benè aduertunt. *Henriquez cap. 5. num. 5. Ric-*

cius decis. 150. *Filiuccius Sanchez, Bonacina de matrimonio, quest. 2. punct. 6. de natura, & proprietatibus matrimonij, & alij ab ipso cit.*
8 Episcopus etiam potest facultatem dispensandi in denunciationibus alteri delegare, ità etiam suus Vicarius generalis, non tamen generaliter; Nam quamuis non possit constituere alium Vicarium generalem. *cap. Clericos de officio Vicarij*, nihilominus potest vnam, vel alteram causam delegare. Ità, *Sanchez lib. 3. disput. 7. nu. 20. Guttierez, Reginaldus, Filiuccius, Bonacina loc. cit; & alij.*
9 An Episcopus alterutrius contrahentis possit cum vtroque contrahente dispensare in denunciationibus, quando contrahentes sunt diuersæ Diæcesis.

Respondetur affirmatiuè cum *Sanchez lib. 3. de matrim. disput. 7. num. 7. vers. vltima conclusio, Guttierez de matrim. cap. 46. nu. 10. ad finem, & alij.* Et ratio est, quia sicut alteruter Episcopus potest vtrumque coniugere in matrimonium; ità etiam potest cum vtroque dispensare in denunciationibus. *Bonacina* tamen restringendum putat ad Episcopum in cuius diæcesi celebrandum est matrimonium, vt ipse possit cum vtroque contrahente in denunciationibus dispensare; & ratio quam affert, est, quia Episcopus in cuius diæcesi non est celebrandum matrimonium, nullam habet iurisdictionem directam, vel indirectam erga subditum alterius Episcopi, in cuius diæcesi celebrandum est matrimonium, sed tantummodo potest dispensare cum sibi subdito; tum quia in tantum potest dispensare in denunciationibus cum vtroque contrahente, in quantum ipse, vel alter ab ipso delegatus, aut ei subditus debeat assistere matrimonio sui subditi; Cum autem ipse non assistat; nec alter ab ipso delegatus, nec suus Parochus, inde non potest dispensare; aliter confunderentur iurisdictiones Episcoporum. *Bonacina loc. cit. num. 7. circà medium.*

Quintum Matrimonij Præparatorium est Sacramentalis Confessio, & Communio.

QVÆSTIO QVINTA.

SVMMARIVM.

1 *An requiratur Sacramentalis Confessio, & Communio antequam contrahatur matrimonium de præsenti coram Parocho, & Testibus.*

2 Pa-

2 *Parochus assistens matrimonio cũ conscientia peccati mortalis an peccet.*
3 *Quid de Procuratore matrimonium contrahente nomine alterius in peccato mortali; Et quid de mittente, cuius nomine fit matrimonium.*
4 *Vt præcedat Confessio, & Communio à contrahentibus ante matrimonium contrahendum, an sit de præcepto, vel de consilio; Et an sit necessaria saltem contritio de præcepto.*

1 QVintum, & vltimum præparatorium matrimonij, est Confessio, & Communio. Antequam igitur deueniatur coram Parocho, & testibus, siuè in Ecclesia, siuè domi, contrahendi causa per verba de pręsenti, debet pręcedere Confessio, & Communio Sacramentalis in vtroque contrahente, quia cum per Sacramentum matrimonij noua gratia in Anima contrahentium infundatur, hoc est in illo tunc, quando exprimitur mutuus consensus, ideo opus est, vt contrahentes matrimonium, sint in statu gratiæ, vt hanc gratiam Sacramenti matrimonij recipiant, quam non recipiunt si in peccato mortali sint, imò nouũ peccatum mortale committunt, ponendo obicem ad gratiam; Cum contrahentes sint Ministri huius Sacramenti, & non Sacerdos; Vel saltem debent elicere actum contritionis; cum Minister Sacramentorum debeat esse ingratia, nè illa indignè administret, vel recipiat. *Nauarrus infrà citandus, & DD. comuniter.*

2 Ex his deduci potest, Parochum habentem conscientiam peccati mortalis, non peccare mortaliter assistendo matrimonio; Ratio est quia ipse neque ministrat, neque conficit Sacramentum matrimonij, sed tantum assistit pro conualidatione contractus; alioquin matrimonia clandestina, quæ ante Concilium Tridentinum celebrabantur, non fuissent vera matrimonia, & Sacramenta prout valida erant. *Conc. Triden. sess. 24. cap. primo, Bonacina de matrim. quæst. 2. punct. 5. num. 5; & 6. de natura, & proprietate matrimonij.*

3 Sic etiam procurator non peccat morraliter contrahendo matrimonium nomine alterius in peccato mortali; Sed tantum qui mittit procuratorem ad contrahendum nomine suo, si esset in peccato mortali, tunc temporis, quo probabiliter credit procuratorem contracturum matrimonium; tunc enim ipse suscipit sacramentum, siuè vigilet, siuè dormiat, siuè factus sit amens. Dicendum est enim illum peccasse ante, quando præuidit matrimonium suo nomine contrahendum, & noluit se disponere ad gratiam, dum erat in peccato. *Guttierez Rebell. Coninch. & alij citati à Bonacina loc. cit. punct. 5. num. 12. seq. eodem titulo.*

D 2 4 Tamen

4 Tamen verum eſt, quod vt præcedat Confeſſio, & Communio ante matrimonium contrahendum, eſt tantum de Conſilio, non autem de Præcepto; quia *Conc. Triden. ſeſs. 24. cap. primo dicit, hortatur Sancta Synodus*: Eſt tamen de Præcepto, vt contrahentes matrimonium ſaltem ſint contriti; cum in omni perceptione, ſiuè adminiſtratione Sacramentorum debeat præcedere ſaltem contritio in miniſtro illius Sacramenti, ſi ſit in peccato lethali.

In Sacramento autem matrimonij ipſi contrahentes ſunt miniſtri, & recipiunt illud; &c. *Nauarrus plenè in tractatu de pœnitentia diſtinct. 5. in principio num. 33; & 39. & communiter DD.* Hinc dolendum eſt, à pleriſque hoc magnum Sacramentum celebrari abſque nulla præparatione, & ideò non ſeruarur mutua pax, & mutuus amor inter coniuges, nec conſequuntur gratias ſaluberrimas huius Sacramenti.

Dixi; in omni perceptione, ſiuè adminiſtratione Sacramentorum debeat præcedere ſaltem contritio in miniſtro illius Sacramenti ſi ſit in peccato lethali.

Animaduertendum tamen eſt, quod in perceptione Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, non ſufficit tantum contritio, ſed neceſſariò præmittenda eſt confeſsio, ab eo, qui eſt grauatus aliqua culpa lethali, ne tantum tremendum Sacramentum indignè, atque ideò in mortem, & condemnationem ſumatur. *Concil. Trident. ſeſs. 13. Can. 11. de Euchariſtia. Ibi*: Statuit, atque declarat Sancta Synodus illis quos conſcientia peccati mortalis grauat, quantumcunque etiam ſe contritos exiſtiment; habita copia confeſſoris, neceſſariò præmittendam eſſe confeſsionem ſacramentalem; Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſserere, ſeù etiam publicè diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.



PARS

PARS TERTIA.

De Natura, & Proprietate Matrimonij.

QVÆSTIO SEXTA.

SVMMARIVM.

1 *Quibus, & quot modis considerari possit matrimonium in communi.*
2 *Matrimonium carnale consideratur vt officium naturæ, & dicitur contractus ciuilis.*
3 *Matrimonium consideratur vt propriè est Sacramentum Ecclesiæ.*
4 *Effectus gratiæ huius Sacramenti.*
5 *Quid significet Fdes, Proles, & Sacramentum.*
6 *Matrimonium est de omni Iure.*
7 *Quid sit matrimonium, & declaratur Definitio.*
8 *Vnde dicatur matrimonium.*
9 *Quotuplex sit Matrimonium.*

1 PRimò quibus, & quot modis considerari possit matrimonium.

Resp. Quod matrimonium in communi potest considerari dupliciter, propriè, & similitudinariè.

Propriè est coniunctio maris, & fœminæ, vt infra dicetur.

Similitudinariè verò est coniunctio Episcopi cum sua Ecclesia; quod vocatur matrimonium spirituale, ad similitudinem matrimonij carnalis; quia quemadmodum vir tenetur sustinere onera matrimonij; Ità Episcopus onera Ecclesiæ suæ sponsæ sustinere tenetur. *cap. Inter corporalia de translatione Episcopi*. Pari ratione, matrimonium spirituale contrahitur inter Parochum, & Ecclesiam parochialem, cui præest. *Can. Sicut alterius*, § *fin.* 7. *q. prima, vide Glossam in fine*. Eadem ratione, matrimonium spirituale contrahitur inter Clericum quemlibet priuatum, vel beneficiatum, & Ecclesiam cui est adscriptus. *Can. Neminem* 70. *distinct.* Strictè verò solus Episcopus, *dic. cap. De translactione Episcopi*. Largo modo Parochi, & alij Clerici, *cap. Sicut in vnaquaque* 21. *q.* 2. *Abbas in cap. Dudum il* 2. *num.* 33. *de electione*.

Hinc etiam est, quod matrimonium spirituale contrahitur inter Religiosum professum, & Religionem quam professus est:

Can.

Can. Quæ Christo spiritualiter nubunt 27. *quæst.* 1. *refert D. Antoninus in* 3 *par. Summæ theologicæ tit.* 1. *cap.* 1. §. 1.

2 Matrimonium verò carnale propriè, dupliciter potest considerari; Primò vt officium naturæ; Secundò vt Sacramentum Ecclesiæ; Ità, *D. Thom. in addit* 3. *par. quæst.* 41. *art* 1.

Quatenus consideratur vt officium naturæ, cum officio naturæ deseruiat, dicitur contractus ciuilis, scilicet do, vt des, intelligendo potestatem corporis, & fit per mutuam corporis traditionem, & sic ciuilis contractus vocatur. Vel secundò dicitur ciuilis contractus, quia consentit vir, quia vxor consentit. Vel tertiò dicitur ciuilis contractus, scilicet permutatio; Cum corpora ad inuicem permutentur, hinc dicitur virum non habere potestatem sui corporis; & ità etiam vxorem &c. Talique modo consideratum matrimonium, tamquam ciuilis contractus, habet locum etiam inter infideles, inter quos matrimonium non est vt Sacramentum Ecclesiæ, quia cum careant Baptismo Sacramentorum Ianua, sine quo nulli Sacramento locus datur, *cap. Veniens de presbytero non baptizato ministrante*. Ideò matrimonij Sacramento carent.

3 Secundò modo consideratur matrimonium, vt propriè est Sacramentum Ecclesiæ, & ità consideratum, habet locum inter Christi fideles. Et est Sacræ Rei signum. Significatur enim per matrimonium, vt Ecclesiæ Sacramentum, coniunctio Christi cum Ecclesia, *hinc D. Paulus ad Ephæsios* 5. *Sacramentum hoc, magnum est, &c. ità Textus in cap. Debitum de bigamis, & cap. Gaudemus de diuortijs*, & tamquam Sacramentum Ecclesiæ, matrimonium confert gratiam, dummodo non adsit obex, siuè impedimentum ad gratiam, quæ tunc confertur, quando mutuus consensus inter coniuges profertur, coram Parocho, & Testibus, non autem quando à Parocho benedicuntur.

4 Primus effectus huius Sacramenti est gratia vt dixi; quæ gratia, (non inueniens impedimentum) sanctificat sponsos, vt seruent mutuam pacem, & sincerum amorem inter eos.

Secundò hæc gratia efficit, vt onera grauissima matrimonij leuiùs ferantur,

Tertiò, vt inter coniuges sint illa tria bona, nempè fides, proles, & Sacramentum. Et hi sunt effectus huius Sacramenti. *Can. Omne* 27. *quæst.* 2.

5 Fides significat, vt sponsus aliam non cognoscat fœminam, & sponsa alium non cognoscat virum, *hinc D. Paulus ad Hebræos, cap.* 13. *Honorabile connubium, in omnibus, & Torus immaculatus.*

Proles

Proles significat, vt ambo concorditer vacent proli procreandæ, filijsque procreandis, Christianèque educandis, & instituendis.

Sacramentum significat vinculum indissolubile, idest vt nunquam possint separari; hinc Christus dixit: quod Deus coniunxit, homo non separet; intelligendo hoc, nisi per mortem. Quæ omnes gratiæ, vt supra diximus, conferuntur statim atque mutuus consensus exprimitur de matrimonio, coram Parocho, & Testibus; dummodò in gratia coniuges reperiantur; propterea Concilium Tridentinum hortatur, vt coniuges priusquam mutuum consensum expriment de matrimonio contrahendo, confiteantur, vt securiùs has gratias saluberrimas consequantur.

6 Matrimonium propriè, & carnale de omni iure est; Est enim de iure Diuino, quoad institutionem, cum sit vnum ex septem Sacramentis Ecclesiæ. *Concil. Trid. sess. 24. de Sacram. matrim. Can. 1. Ibi*: si quis dixerit matrimonium non esse verè, & propriè vnum ex septem legis Euangelicæ Sacramentis à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inuentum, neque gratiam conferre; Anathema sit.

Secundum *DD.* est duplex institutio matrimonij. Prima est, ad prolem procreandam, & illa fuit facta in statu innocentiæ, antè peccatum primi hominis; *Genesi cap. 1.* ibi, masculum, & fœminam creauit eos, dixitque illis: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, &c. Alia institutio matrimonij est, ad euitandam fornicationem, & illa fuit facta post peccatum Adæ. *Glossa in cap. vnico de voto in 6. num. 60. prima pagina.*

Secundo matrimonium est de Iure naturali. *Cap. Ius naturale prima distinct.* Naturaliter enim omnia animalia, non solum homo, ex instinctu naturæ inclinant ad conseruationem sui. Verum quia omnia animalia morte consumuntur, propterea datur quædam species immortalitatis, vt id quod non potest conseruari in indiuiduo, conseruetur saltem in specie. *Couarr. in 1. par. de sponsalib. cap. 1. num. 6. in Authent. de nuptijs in princip.* Ibi dicitur præcipuè: Religiosus est mortuus mundo, quia non relinquit filium, viuit autem Deo. *Can. placuit 16. quæst. 1. Glossa in cap. de voto in 6. pag. 2.*

Tertio matrimonium est de Iure gentium, quoad consensum, in quo præcipua & principalis pars matrimonij consistit, *l. nuptias de regulis iuris, cap. Cum locum de sponsalib. l. ex hoc iure, ff. de iustitia, & iure.*

Quarto matrimonium est de Iure Ciuili, quoad modum contrahen-

trahendi, & paciſcendi dotem, pacta dotalia, donationem propter nuptias,&c. Nam dotem marito promiſſam conſtitui, æquum eſt; Dotem ab hæredibus viri, vxori reddi, iuſtum eſt; *vt toto titulo ſoluto matrimonio. C. & ff. de pactis dotalibus, fundo dotali, donat. propter nuptias, &c.*

Nota ſi maritus conueniatur ab hæredibus vxoris pro reſtituenda dote, non tenetur, niſi in quantum facere poſſit, id eſt quatenus facultates eius patiuntur, itaque ſi dotis quantitati concurrant facultates eius, inſolidum damnatur: ſi minus, in tantum, quantum facere poteſt. Propter retentionem quoque dotis repetitio minuitur. *In Auten.inſtitut.Imper.Iuſtin.in* §.*Item ſi de dote de actionibus num.*30.

Facta ſola tori ſeparatione, maritus non cogitur reſtituere dotem, ſed ſolum vxori alimenta præſtare; *Rota apud Farinacc. tom. 2. deciſ. 39 num. 6.* vide *Nicolium in verb. Filius.Clarius infrà par.13.quæſt.31. circa finem.*

Quinto matrimonium eſt de Iure Canonico, quoad formam, & formales ſolemnitates, quoad impedimenta illius, quoad validitatem, quoad prolis legitimationem; ſi quum celebratur matrimonium adfuerit Parochus, & teſtes; Et ſic quoad formam Ius Canonicum diſcernit, & decernit, an valeat matrimonium, vel nè; ſic etiam ſi filij ſint legitimi. *Felinus in Rubrica cap.* 1; *& cap.Preterea de ſponſalibus.*

Et ſciendum quod cauſæ matrimoniales ſpectant ad Iudicem Eccleſiaſticum, vti cauſæ ſpirituales. *Conc.Trid.ſeſs.24.de Sacram. Matrimon. Can.* 12. *ibi*, ſi quis dixerit cauſas matrimoniales non ſpectare ad Iudices Eccleſiaſticos, Anathema ſit. Et impedientes, vel auocantes eas, incidunt etiam in excommunicationem in Bulla Cœnæ contentam. Ibi: omnes Iudices ſeculares auocantes ad ſuum Tribunal ſpirituales cauſas: Et ſub eadem pœna damnat eoſdem Iudices laicos impedientes, vel prohibentes Iudicem Eccleſiaſticum ſua vti iuriſdictione. *DD.communiter.*

7 Quid ſit Matrimonium.

Dico quod varijs modis matrimonium definitum reperitur; nam vno modo in §.1.*Inſtitut.de patr.poteſt.* Alio modo *Inſtitut. in princip.de iure naturali*; Alio modo in *cap.illud de præſumptionibus.* De quarum definitionum varietate tractat *Nauarr. cap.22.nu.29; & 30.* Omnes tamen complectendo, hæc matrimonij definitio tradi poteſt. Matrimonium eſt Sacramentum Eccleſiæ, quo fit mulieris, & viri coniunctio maritalis, inter legitimas perſonas, indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens.

Dici-

Dicitur primò Sacramentum Ecclesiæ; quoniam vnum ex septem Sacramentis Ecclesiæ est matrimonium. *Conc. Trid. de Sacramento matrimonij sess. 24. Can. 1.*

Dicitur, quo fit mulieris, & viri coniunctio; nam hic est effectus ex matrimonio resultans. Dicitur viri, & mulieris coniunctio, & non dicitur maris, vt excludatur coniunctio brutorum; Dicitur etiam viri, & mulieris in numero singulari, significans in matrimonio vnum debere esse virum, & vnam mulierem, vno eodemque tempore; nam duas vxores vir, vel duos viros mulier, eodemque tempore nequit habere.

Dicitur quoque viri, & mulieris coniunctio, significans inter Angelos non stare matrimonium; Et quod legitur in *Genesi 6.* Videntes Filij Dei, filias hominum, &c. intelligitur de viris qui erant de familia Seth; non autem de Angelis, inter quos non stat, neque consistit matrimonium, cum sint incorporei; vide *Glossam in Decreto cap. primo 35. quæst. 1. in fine lit. C.* ibi, Filij Dei dicti sunt qui descendebant à familia Seth; qui successit loco Abel, & non colebant Idola, sed Deum verum; Ideò concessum fuit eis, vt acciperent vxores de Tribu sua. Filij vero Cain qui colebant Idola dicti sunt filij hominis. Filij ergo Seth, qui dicebantur filij Dei, videntes filias hominum, quod essent pulchræ, hoc est filias de Tribu Cainicæ, acceperunt illas in vxores, & præuaricati sunt; propterea Deus deleuit eos cum diluuio. *Genesi 6.* vide *Glossam in dicto cap. 1.*

Dicitur demum viri, & mulieris coniunctio, ad denotandum, matrimonium propriè, & verè consistere inter sexus discrimen, & in sexu differentes; non autem inter eundem sexum, scilicet, masculum, & masculum, fœminam, & fœminam; quia inter eos esset diabolica coniunctio, non matrimonium, vt in *l. cum vir, C. de adulterijs.*

In definitione quoque dicitur maritalis coniunctio, significando non solum corporum inter eos esse coniunctionem, sed etiam animorum.

Dicitur etiam maritalis, significans non debere esse coniunctionem adulterinam, vel fornicariam, sed inter coniuges.

Dicitur inter legitimas personas, excludendo per hoc verbum omnia impedimenta, quæ matrimonium impedire valeant, cum quibus matrimonium fieri nequit, nec est legitimum, & maximè si sit impedimentum essentiale.

Dicitur tandem inter legitimas personas, ad excludendum consensum clandestinum, qui personas reddit suspectas, & non legitimas.

E Dici-

Dicitur postremò indiuiduam vitæ consuetudinem retinens, significans, quod maritus, & vxor in vita semper sint indiuisibiles, & quoad torum, & quoad habitationem, & etiam quoad sepulchrum, *Can. vnaquæque 13. quæst. 2.* vel ex hoc vt nullus vir præsumat vxorem domi perpetuò relinquere, ipse autem vagari, sed tantum causa iusta interueniente, vt infrà dicam, & tunc tenetur, saltem ter, vel quater in anno visitare suam vxorem; cum sola mors possit eos separare.

Est tamen verum quod aliquando iusta ex causa, & rationabili fit tori separatio inter virum, & vxorem, quod fit mediante, & præuia Iudicis sententia, veluti si vir esset adulter, vel si morbo laboraret gallico, tunc separatio tori inducitur; Ità quoque è conuerso, si vxor adultera esset, vir autem bonus.

Sic etiam iusta ex causa fit quoque separatio habitationis, si vir nulla ex causa iusta, magnam habeat sæuitiam in vxorem, eam acerbissimè verberando; vt in *Cap. literas de restitut. spoliat.* quæ separatio fit etiam Iudicis præuia sententia; si tamen vir mores mutauerit, & vxorem secum habitare petit; tunc licitum est vxori fideiussores petere à viro, ne malè ab ipso tractetur, & crucietur; Et in his casibus potest fieri separatio tantum quoad torum, & habitationem, non autem quoad vinculum matrimonij; & per hoc si vxor commiserit adulterium, vir non poterit aliam ducere vxorem; & è conuerso si vir fuerit adulter, vxor non potest alium ducere virum, quia matrimonium quoad vinculum est indissolubile; & fundatur *Matth.* 19. Ibi: quod Deus coniunxit, homo non separet.

Nec obstat huic conclusioni, quod per ingressum Religionis, matrimonium separatur, postquam fecerit professionem, itaùt, vir separatur ab vxore, & quoad torum, & quoad habitationem, & quoad vinculum quoque matrimonij; vt in *Cap. Ex publico de conuers. coniug.*

Nam ille Textus procedit, & loquitur antè matrimonium consumatum; Quo casu matrimonium non separatur ab homine, sed à Deo, ministerio Religionis, quæ gratior Deo est; & sic remanet, quod Deus coniunxit homo non separet, sed solus Deus per mortem, vel per Religionis professionem. *Cap. verum de conuers. coniug.* Et alteri remanenti in sęculo, licitum est ad secunda vota transire. *dict. cap. verum.*

Secus tamen est post consumatum matrimonium, quod nequit separari per ingressum, & professionem Religionis, altero ex coniugibus renuente; vtroque vero consentiente, & ingrediente

Reli-

Religionem, matrimonium separatur, estò consumatum; sed tantum quoad torum, & habitationem, non autem quoad vinculum: vide *Syluestr. verb. Diuortium num. 2. cap. 1. & cap. cum sis de conuers. coniugatorum*, *Bonacina de impedim. matrim. in tit. de impedim. voti quæst. 2. punct. 4. num. 11.*

Sed notandum quando post matrimonium consumatū, vir vellet ingredi Religionem & profiteri, non sufficeret tantum consensus vxoris, sed vt etiam ipsa voueat continentiam, sciente Episcopo, *Cap. 1. de conuers. coniug*; Et etiam sit ea ætate, quod sine suspicione turpitudinis possit in seculo permanere. Et *Glossa in cap. Prætereà de conuers. coniug.* dicit, quod si vxor est senex, sufficit eius licentia interueniente auctoritate Episcopi, & ipsa voueat, & remaneat in sæculo; si autem sit iuuenis, quæ non possit esse in sæculo sine suspicione fornicationis, non sufficiunt prædicta, nisi & ipsa similiter conuertatur, hoc est ingrediatur Religionem, & in ea profiteatur.

Insuper dico vouentem hoc modo continentiam, nec licitè nec validè posse transire ad secunda vota, scilicet ad secundas nuptias; Quod licitè non possit, patet quia detinetur vinculo castitatis; Quod nec validè possit, probatur ex dispositione iuris irritantis huiusmodi matrimonium. *Cap. Quia sunt, distinct. 28.* ibi, *Glossa verbo fuisse, & cap. seq. cap Seriatim distinct. 32.* ità *Abb. in cap. Constitutus num. 6. de conuers. coniug. Sanchez lib. 7. disput. 40. num. 2. & sequent.* & alij *DD. ab ipso citati*. Et non potest nec eo viro viuo, nec eo defuncto qui professus est in Religione, vel sacris ordinibus initiatus; vt in dictis Iuribus.

8 Vnde dicatur matrimonium.

Resp. Quod matrimonium dicitur à matre, quasi matris munium, siuè munus; Non autem à patre: & hoc pluribus rationibus. Primò quia patrimonium dicitur facultas à patre quæsita, ad quem spectat facultates quærere pro alendis filijs; Ad matrem verò pertinet concipere, parere, & nutrire filios, & per hoc dicitur matrimonium, & non patrimonium; In partu enim mater est dolorosa, antè partum onerosa, & post partum laboriosa: Et ideo Iustinianus Imperator dixit, quis earum non misereatur? loquendo de priuilegijs mulierum. *l. finali, C. qui priores in pignore habeantur. cap. final. de conuers. infidel.*

Secundò dicitur matrimonium, & non patrimonium, à fine ipsius matrimonij, cuius finis est, vt mulier mater fiat.

Tertiò dicitur matrimonium, quia certior est mater, quàm pater.

Quartò quia partus sequitur ventrem; & filij, matris sequuntur conditionem, ità quod si mater est ingenua, filij ingenui sunt; si serua, serui sunt filij. *l. Et seruorum, ff. de statu hominum.* Licèt quoad dignitatem, familiam, & originem, filij patrem sequantur. *l. Cum legitimè, ff. de statu hominum.*

Quintò dicitur matrimonium, quia per primum triennium à tempore natiuitatis filij, mater filium alere tenetur. *dict. cap. final. de conuer. infidel. l. nec filium, C. de patria potestat.* Et hoc procedit etiam in matre fornicaria, quæ filium suum tenetur per primum triennium nutrire, estò quod filius sit spurius. ità *Abbas in cap. cum haberet de eo qui duxit in matrim; quam polluit per adult.*

In hoc benè aduertant Confessarij, quærendo à matribus si filios suos sine causa alijs alendos tradant; dum per seipsas eos nutrire, & lactare debeant; tantò magis, si mulier esset humilis conditionis, non ità licebit. Admonendo maximè eas, quod si nulla fuerint causa impeditæ, debent per seipsas, eos nutrire; Cum ità Leges Canonicæ, & Ciuiles præcipiant. Et quod maius est malum vitandum, quod aliquandò infantes traduntur nutricibus morum, vitæque pessimis, ac infantes earum lac sugendo, earumque sanguine propaginati, per sæpè imitantur earum mores.

Versus

Mater alit puerum trimum, trimoque minorem;
Maiorem verò pascere, Patris erit.


9 Quotuplex sit matrimonium carnale.

Resp. Quod matrimonium carnale duplex est; Clandestinum, siuè illegitimum; Et solemne, seù publicum. Clandestinum, seù illegitimum est, quod contrahitur secretò inter Sponsum, & Sponsam, sine Parocho, & Testibus, prætermissis etiam denunciationibus: Et hoc matrimonium clandestinum antè Concilium Tridentinum validum, & verum erat matrimonium; & ratio erat quia matrimonium non consistit in publicationibus, præsentia Parochi, & Testium, sed in consensu. *l. nuptias de regulis iuris.* Sed hodiè per *Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. de reformat. matrim.* Matrimonia clandestina nulla sunt, & irrita: & ratio affertur ad euitanda maiora mala, & scandala; Nam multi clam consentiebant ducere vxorem, & postea deserta illa aliam ducebant in vxorem, & cum ista, in perpetuo statu damnationis permanebant. Ad euitanda igitur hæc scandala, & concubinatus plurimos; Statuit *Concil. Trident. loc. citat.* Clandestinum matrimonium nullum esse,

sed

sed debere contrahi in facie Ecclesiæ, hoc est coram Parocho, & Testibus, præmissis in Ecclesia denunciationibus, siuè publicationibus, antè matrimonium contrahendum, vel consumandum.

Solemne, publicum, seù legitimum matrimonium est, quod non solum contrahitur mutuo consensu viri, & mulieris, verum etiam coram Parocho, & Testibus. Prætereà vt dicatur legitimum matrimonium requiruntur denunciationes faciendæ in Ecclesia ad inueniendum si adsit aliquod impedimentum illius matrimonij consumandi; quæ denunciationes trina vice faciendæ sunt in tribus Festis de præcepto; vt in *Conc. Trid. loco cit.* Nec istæ publicationes prætermitti debent antequam consumetur matrimonium, nisi dispenset super his Episcopus Ordinarius ex iusta causa, vt in *Trid. loc. cit.* si tamen omittantur sine dispensatione Episcopi Ordinarij, matrimonium sanè validum est, & legitimum; Cum hæ denunciationes non sint de necessitate matrimonij, sed tantum de præcepto, & solemnitate Ecclesiæ; quas si Parochus omittat, peccat quidem, & punitur, vt infrà dicam.



PARS

PARS QVARTA.

De Parocho.

QVÆSTIO SEPTIMA.

SVMMARIVM.

1 *Qua pœna puniatur Parochus omittens publicationes.*

2 *Parochus, post factas publicationes, non debet ad celebrationem matrimonij deuenire, nisi post trium, vel duorum dierum spatium.*

3 *Parochus interdictus, suspensus, irregularis, vel excommunicatus non toleratus, an validè assistat matrimonio.*

4 *Parochus non Sacerdos, an validè matrimonio assistat.*

5 *An Vicarius Generalis Episcopi, Vicarius Capitularis Sede vacante possint matrimonijs interesse, & alijs interessendi licentiam concedere.*

6 *Archiepiscopus dum actu visitat Diœceses Suffraganeorum, an possit matrimonio interesse, & alijs interessendi licentiam concedere.*

7 *Quomodo intelligenda sint illa verba:* In facie Ecclesiæ. *Et an matrimonium domi celebrari possit.*

8 *Parochus dolosè adductus, vel vi detentus, si benè intelligat, an validè assistat.*

9 *Vicarius Episcopi qui non est Sacerdos, an possit assistere matrimonio, vel licentiam concedere.*

10 *Parochus vtriusque contrahentis, an sufficiat ad validitatem matrimonij.*

11 *Matrimonium nullum ex publica causa, noua indiget præsentia Parochi, & Testium.*

12 *Matrimonium quando fuit nullum, ob impedimentum dirimens occultum, obtenta dispensatione, non est necessarium, vt iterum coram Parocho, & testibus celebretur.*

13 *Modus seruandus, quando impedimentum dirimens post contractum matrimonium est occultum, & quid agendum, obtenta dispensatione Apostolica.*

14 *An matrimonium Infidelium ante baptismum, vt fiat Sacramentum, sit necessaria noua ratificatio coram Parocho, & testibus.*

15 *Parochus tenetur habere librum, in quo describat coniuges, testes, locum, contractum, annum, mensem, & diem.*

16 Si

16 *Si Parochus nouerit in Sacramento Confessionis pœnitentem habere impedimentum dirimens, an possit illi denegare suam assistentiam in matrimonio.*

17 *Vtrum Parochus teneatur petere licentiam à pœnitente, vt illum admoneat extrà confessionem de impedimento dirimente.*

18 *An illa verba Parochi, scilicet:* Ego vos coniungo in matrimonium, *sint de essentia matrimonij.*

19 *Præsentia Parochi est necessaria in matrimonio, non tanquam materia, & forma; sed vt personæ contrahentium sint legitimæ.*

20 *Requiritur vt Sacerdos coram quo matrimonium contrahitur, sit proprius Parochus, vel alius de licentia Parochi, aut Ordinarij loci.*

21 *Quando contrahentes sunt ex duabus Parochijs, quis Parochus præfertur in matrimonio contrahendo.*

22 *An validè matrimonio assistat Parochus, qui non haberet Bullas Parochiæ, nec iustum titulum.*

23 *An validè possit contrahi matrimoninm coram Parocho, ad cuius Parochiam aliquoties in anno quis diuertit relaxationis gratia.*

24 *Quinam Parochus possit interesse matrimonio vagorum.*

25 *Resoluitur dubium.*

26 *Qua pœna puniretur Sacerdos sæcularis, vel regularis, qui auderet coniungere non sibi subditos, aut benedicere.*

1 PArochus propria auctoritate omittens publicationes, suspendendus est ab officio per triennium. *Cap. cum inhibitio de clandestina desponsatione;* hoc tamen intelligendum est, modò Parochus eas omiserit absque legitima, & iusta causa. Sed si moribundus vellet ducere concubinam, vt filij legitimentur, & non possit tam breui tempore adiri ad Episcopum; tunc validè, & licitè assisteret. *Barbos. infrà citandus.*

Et præfatæ denunciationes possunt fieri tam à Parocho, quam ab alio Sacerdote de eius licentia; sicut etiam ad validitatem matrimonij sufficit præsentia Parochi, vel alterius Sacerdotis de licentia ipsius Parochi, vel Ordinarij. *Concil. Trident. cap. 1. sess. 24. de Sacramento matrimonij.*

2 Parochus post factas publicationes, non debet ad celeb rationem matrimonij deuenire, nisi post trium, vel duorum dierum spatium ab vltima denunciatione, vt liceat vnicuique de impedimentis cogitare, eaque aperire, nisi temporis angustia prematur, scilicet instantis Aduentus tempore, siue Quadragesimæ. *cap. cum inhibitio de clandestina desponsatione. Barbosa Collectanea in Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. num. 33.*

3 Pa-

3 Parochus interdictus, suspensus, irregularis, vel excommunicatus non toleratus, modò non sit actualiter depositus, validè, sed non licitè matrimonio assistit. Idem *Barbosa loc. cit. & alij DD.* ab eodem citati, resoluentes, Parochum excommunicatum assistentem matrimonio non effici irregularem, tamen grauiter peccaret.

4 Parochus non Sacerdos validè matrimonio assistit; puta cui collata fuit Parochia, non tamen ordinatus Sacerdos; tenent *Nauarrus Consil. 30. sub tit. de sponsalibus in antiquis, aliàs Consil. 9. sub tit. de desponsat. Impub. in nouis. Henriquez, Ledesma de matr. qu. 45. punct. 3. dub. 3. Columna 3. & alij.*

5 Addo Vicarium Capituli, sede vacante posse, sicut & Vicarium generalem Episcopi, matrimonijs interesse, & alijs interessendi licentiam concedere; quia succedit Episcopo quoad iurisdictionem ordinariam, cui est annexa dicta facultas. *Resoluunt Ægidius da Coninch. disp. 27. num. 17. Guttierez de matrim. cap. 66. num. 5. & alij.*

6 Addunt etiam, Archiepiscopum dum actu visitat diœceses Suffraganeorum posse hanc licentiam interessendi matrimonijs concedere, circà subditos prædictorum suorum Suffraganeorum; Non tamen extrà dictam visitationem, quia tunc non est Ordinarius illorum, & ideò nec posse assistere, neque licentiam concedere.

Et etiam posse, quando nolente Suffraganeo aliquos maritaliter coniugi, & ad ipsum Archiepiscopum super ea re appellatur; tunc enim ad ipsum deuoluitur iurisdictio ordinaria. *Petrus de Ledesma in summa par. 1. de sacramento matrimonij cap. 4. Conclus. 4. dub. 17. Sanchez. lib. 3. disp. 28. Suarius tom. 4. de pænitentia disp. 25. sec. 1. num. 15. & alij apud Barbos. in Collectanea in Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. de reform. matrimonij num. 103. & seq.*

7 Matrimonium domi celebrari potest; Illa autem verba: *In facie Ecclesiæ*, non impediunt, quin domi matrimonium celebrari possit, & præsertim inter Nobiles; celebrata prius Concilij forma, scilicet præmissis publicationibus; obtenta semper licentia Episcopi, seu Ordinarij loci ad id faciendum. Tamen cum maximè deceat, vt matrimonia in Ecclesia celebrentur; Ordinarij, & Parochi debent id hortari. Referunt decisum. *Francus Leo in thesauro fori Ecclesiast. par. 2. cap. 9. num. 279. & alij.*

8 Parochus etiam vi detentus, si intelligat consensum contrahentium validè assistit matrimonio. *Ledesma de matrim. quæst. 45. art. 6. punct. 3. dub. 2. vers. quo supposito. Aloysius Riccius in praxi*

xi rerum fori Ecclesiastici resolut. 431. tom. 2. in 2. editione. Sanchez. lib. 3. disp. 39. num. 9.

Imò etiam Parochus renuens, vel dolosè adductus, si benè intelligat, & audiat verba contrahentium validè assistit, dummodo saltem adsint etiam duo testes. Idem *Riccius loc. proxim. cit. Bonac. de natura, & propriet. matrim. quæst. 2. punct. 8. nu. 20.*

Præterea præsentia Parochi sufficit ad matrimonium, etiamsi ad alium finem vocetur, vel casu præsens sit, quamuis Parochus nulla verba proferat. *Nauar. consil. 20. nu. 1. de sponsal. in antiquis, & Consil. 11. sub tit. de clandestina desponsat. in nouis. Guttierez cap. 63. num 3. & seq.* Excipiunt aliqui, nisi Parochus claudens aures affectatus esset non intelligere. Sed contrarium dicit declaratum à Sacra Congr. modò verè intelligat *Bonac. de natura, & propriet. matrim. quæst. 2. punct. 8. num. 20. qui citat Rebell.*

Parochum tamen vi adigere, aut dolo inducere, vt matrimonio intersit, quippe qui personam Ecclesiæ representat, est graue peccatum *Coninch. disput. 27. dub. 4. in fine Layman lib. 5. tract. 10. par. 2. cap. 4. num. 6. vers. esset.*

9 Vicarius Episcopi, qui Sacerdos non est, licentiam matrimonij contrahendi præstare potest; sed minimè interesse potest; sed Sacerdotem delegare debere. *Nauarrus Consil. 1. de officio Ordinarij in antiquis; Aliàs Consil. 10. de Clandestina desponsat. in nouis, & alij.*

10 Parochus vtriusque contrahentis sufficit ad validitatem matrimonij; Et ideò DD. infrà citandi resoluunt sufficere Parochum Viri, etiam in Parochia mulieris, & è conuerso; quia Concilium Tridentinum in præsenti videtur voluisse præsentiam Parochi, & Testium, ad tollendam Clandestinitatem.

Sed frequenter matrimonium solet contrahi in Parochia, vbi vxor habitat. *Aloysius Riccius in Praxi rerum fori Ecclesiastici resolut. 431. in secunda Editione tom. 2. num. 1. Sanchez. lib. 3. disput. 19. à num. 1. Rota apud Farinaccium decis. 390. num. 6. par. 2. recent. Layman. in Theologia morali lib. 5. tract. 10. par. 2. cap. 5. nu. 2.*

11 Matrimonium nullum ex publica causa, noua indidiget præsentia Parochi, & testium, ad illud contrahendum, & non sufficit dicere fuisse ratificatum, per copulam subsequutam. *Asserit Aldanus in compend. Canon. decisionum lib. 1. titulo 8. num. 22. attestans decisum in Balneoregien. 8. Iunij* 1619. Vbi addit dici notorium, & reputari publicam causam, si constet ex libro baptizatorum, aliquem ex contrahentibus tempore matrimonij non fuisse legitimæ ætatis, vel matrimonium fuisse clandestinum absque

que Parocho, & Testibus, vel fuisse inter eos impedimentum dirimens, omnibus notum. *Barbosa in Collectanea in Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. num. 132.*

12 Matrimonium celebratum coram Parocho, & testibus, quando fuit nullum ob impedimentum occultum; non esse necessarium ad reualidationem illius, quod iterum coram Parocho, & testibus celebretur; Resoluunt *Nauarrus in Manuali cap. 22. num. 70. in fine. Ledesma quæst. 45. art. 5. conclus. 2. antè vltimum dubium. Bonac. de natura, & proprietatibus matrimonij qu. 2. punct. 9. num. 10. & alij ab ipso citati.*

13 Vnde obtenta dispensatione Apostolica, non teneri iterum coram Parocho, & testibus contrahere; quamuis tunc coram eis inualidè contractum sit propter impedimentum occultum dirimens, vt dixi. Idem *Barbos. loc. cit. num. 136. multosque citat.* Nec denuò benedictiones recipiendæ sunt, quia periculum esset scandali, eas denuò recipiendo DD. vt suprà. Sed quando in dispensatione dicitur: Iterum coram Parocho, & testibus celebretur, vel contrahatur; Id omninò seruandum est.

14 Matrimonium infidelium ante Baptismum, vt fiat Sacramentum post baptismum, non est necessaria facienda expressio, & ratificatio consensus, coram Parocho, & testibus: & ratio est, quia Concil. Trident. requirit præsentiam Parochi, & testium, vt Contractus validè celebretur.

Nos verò supponimus contractum infidelium validè celebratum fuisse antè baptismum; Sed videtur sufficere expressio noui consensus, vel ratificatio præcedentis per mutuam cohabitationem; qua posita, fit Sacramentum matrimonij, & recipitur gratia sacramentalis. Ità *Rebellus quæst. 6. num. 5. Sanchez. Rodriquez. Guttierez. cap. 42. num. 6. Nauarrus Consil. 4. in fine sub titulo de pactis in antiquis, alias Consil. 2. in fine sub tit. de conuersione infidelium in nouis.*

15 Parochus tenetur habere librum in quo coniuges, testes, locum, contractum, diem, mensem, & annum describat *per decretum Concil. Trident. sess. 24. de reform. matrim. cap. 1. vt supra diximus.*

16 An Ordinarius, vel Parochus, siuè alius Sacerdos ab eisdem deputatus, qui in Sacramento Confessionis nouit impedimentum dirimens matrimonium; Volentibus contrahere possit, & teneatur assistere, vel denegare assistentiam matrimonij.

Resp. Non posse illi denegare, & assistere teneri matrimonio; Non enim potest extrà confessionem vti scientia in confessione habita,

ne

pe confessio reddatur odiosa, & onerosa.

Vndè confessarius extrà confessionem perinde se debet gerere, ac si nihil sciret in hoc, & similibus casibus, in quibus pænitens posset subire pudorem, & confusionem, si denegaretur sibi matrimonium, propter impedimentum in confessione cognitum, ac offenderetur sigillum confessionis; propterea in hoc casu deberet intrà confessionem admonere pænitentem, ne contraheret, quia maneret in statu damnationis. At si pænitens persisteret in sua obstinatione, & post confessionem vocaret Parochum ad assistendum matrimonio, Parochus non posset extrà confessionem illum admonere; si aliter faceret, quamuis non frangeret sigillum secretò loquendo cum ipso pænitente extrà confessionem de auditis in confessione, absque illius licentia; Nihilominus offenderet sigillum, vt benè aiunt *Sotus in 4. sentent. distinct. 18. qu. 4. art. 6. Syluester verbo confessio 3. num. 7. Bonacina de natura, & proprietatibus matrimonij quæst. 2. punct. 9. num. 10. Paludanus 4 distinct. 21. quæst. 3. art. 3. num. 60. Sanchez. lib. 3. de matrim. disp 16. per totam.*

17 Altera difficultas est; Vtrum Parochus teneatur petere licentiam à pænitente; vt illum admoneat extrà confesionem de impedimento dirimente, vt abstineat, ne contrahat.

Respondeo non teneri, saltem si commodè nequeat petere, vel admonere. Ità *S. Thomas 4. distinct. 21. quæst. 3. art. 1. quæst. 1. ad 3. Syluester, Sanchez. locis citatis. Guttierez. cap. 60. num. 11. vsque ad finem & alij.* Et ratio est tum quia ex auditis in confessione non cogitur confessarius ad aliquid præstandum, vel omittendum, vel ad remedium exhibendum extrà illam; Notitia enim confessionis ordinatur solum ad forum confessionis, & pænitentiæ; Tum quia pænitentes ægreferunt à se peti huiusmodi licentiam, nec vellent sibi quemquam loqui de peccatis confessis. DD. citati.

Existimo tamen in huiusmodi casu hanc regulam obseruari posse ne anima illius esset semper in statu damnationis, & in ea moreretur; scilicet si talis pænitens redeat ad iterum confitendum, cautè de illius matrimonio confessor loquatur, vt tribuatur ei ansa consulendi idemnitati animæ illius; & quando id non sufficiat, ab illo licentiam in illo foro pænitentiæ petat consulendi causa Animæ suæ, exhibendo se sine expensis impetrandi Breue pro dispensatione illius impedimenti in Pænitentiaria secreta, in quo Tribunali omnia gratis expediuntur; Et sic talis pænitens non ægreferret, sed potius grates ageret; & sic animæ

illius consuleretur, & confessio priùs facta non redderetur odiosa, nec onerosa.

Dispensatione in hoc casu obtenta; non tenerentur Coniuges præfati iterum coram Parocho, & testibus contrahere. Iam enim semel coram eisdem contraxere; (inualidè tamen propter impedimentum dirimens:) & ratio est, quia impedimentum fuit, & est occultum. DD. citati.

Dubitatur quando contrahitur matrimonium coram Parocho, & testibus, quis ex Coniugibus debeat priùs interrogari, vir an fœmina?

Respondeo quod in hoc seruanda est consuetudo locorum. *cap. si inter de sponsalibus, & ibi Abbas.* Et à quocunque incipiatur, semper matrimonium tenet, & valet; Est verum, quod semper meliùs esset incipere à fœmina, eiusque consensum explorare priùs, deinde Viri, nam si priùs interrogetur Vir, deindè fœmina, quæ si non consentiret, magnum dedecus afferretur Viro, qui nunquam solet variare, sed fœmina semper est varia, & mutabilis, & ad vitanda scandala incipitur à fœmina in aliquibus locis; tamen in hoc vt dixi, seruanda est consuetudo loci, cum ab vno magis incipere, quam ab alio, non sit de essentia. Idem *Abbas in dicto cap. si inter de sponsal. ac etiam in cap. licet de sponsa duorum.*

18 An illa verba Parochi, scilicet ego vos coniungo in matrimonium, sint de essentia matrimonij.

Respondeo negatiuè, sed solum de solemnitate; & sunt quoddam sacramentale, siuè quædam cæremoniæ, & solemnitates Ecclesiæ, & propterea *Concil. Trident. sess.* 24. *cap.* 1. dicit Sacerdos dicat hæc vel alia verba; quia si essent de essentia, non possent mutari, & propterea mutari possunt, quia non sunt de essentia. *Sotus in* 4. *senten. distinct.* 26. *quæst.* 2. *art.* 3. *Bonacina proximè citandus num.* 39.

19 Præsentia Parochi est necessaria in matrimonio, non tamquam materia, siuè forma matrimonij, sed vt personæ contrahentium sint legitimæ, & habiles ad matrimonium contrahendam, & ideò sola eius persona requiritur, non autem eius consensus, sed tantum eius præsentia moralis, vt audiat, & videat quid agatur inter contrahentes; si autem dormiret, non diceretur præsentia moralis. *Bonacina de natura, & proprietatibus matrimonij quæst.* 2. *punct.* 8. *num.* 19. *l. coram Titio* 209. *ff. de verb. signif.*

Propterea vt matrimonium sit validum requiritur. C

Pri-

Primò vt fiat coram Parocho, & testibus.

Secundò vt contrahentes exprimant mutuum consensum, non solum coram Parocho, sed etiam testibus.

Quod si Parochus sponsos non interrogauerit, sed solum consentientes ad inuicem de matrimonio audiuerit, adhuc interesse matrimonio dicitur, cum præsentia illius moralis sufficiat, nec illius consensus est necessarius, vt suprà diximus.

20 Requiritur demum vt Sacerdos coram quo matrimonium contrahitur, sit propriè, siuè proprius Sacerdos, vel alius de licentia eiusdem proprij Sacerdotis, vel Ordinarij loci. Propriè siuè proprius Parochus is dicitur, qui est Sacerdos curatus administrans Sacramenta in Parochia, in qua domicilium habent sponsus, & sponsa; Et ideò si quis velit contrahere matrimonium in Parochia aliena, vel non sua, nullum est matrimonium; Requiritur enim Parochus proprius illius parochiæ, in qua sponsi habitant, siuè habent domicilium. *Bonacina loco supra citato.*

21 Si autem sponsus contrahat matrimonium in Parochia sponsæ præfertur Parochus sponsæ; si autem contrahatur in Parochia viri, præfertur Parochus viri; Si autem contrarium fiat, puta, matrimonium contrahatur coram Parocho viri in domo sponsæ, matrimonium adhuc validum est, quia sufficit si interuenerit alteruter Parochus, vel viri, vel mulieris, in quauis Parochia contrahatur matrimonium; in aliquibus locis consuetudo est, vt aduocentur ambo Parochi tam viri, quam mulieris, quando Parochiæ sunt vicinæ, sed vt plurimum matrimonium celebratur in parochia mulieris, & interuenit tantum Parochus sponsę. *Bonacina de matrimonio quæst. 2. punct. 8. num. 7.*

Et ità declarauit Congregatio Cardinalium teste *Rebell. lib. 2. quæst. 8. & lib. 4.* Ratio est, quia Tridentinum dixit, matrimonium contrahendum esse coram Parocho, & non magis expressit Parochum viri, quam fæminæ.

22 Hic proprius Parochus qui debet matrimonio interuenire, quamuis non sit verè Parochus, quia fortè non habet Bullas Parochiæ, vel neque habet iustum titulum beneficij parochiæ; si sit communi errore populi: & habuerit titulum coloratum, dicitur proprius Parochus in omnibus matrimonijs, in quibus interfuit, & in omnibus confessionibus quas audiuit; quia sufficit aliquis titulus coloratus parochiæ cum communi errore populi; Cum error communis cum titulo colorato faciat ius; *l. Barbarius. ff. de officio prætoris*; Et in tali casu Ecclesia supplet iurisdictionem. *Caietanus in summa, verbo absolutionis impedimenta. Nauarrus cap. 9. num.*

num. 11. *Bonacina loc. cit. num.* 24. *&* 31. Secus si non haberet vllum titulum, siuè bonum, siuè malum;eius enim præsentia,vel absolutio nihil valeret. *Nauarrus loc. cit.*

23 Si aliquis haberet Villam in aliquo Castello, & in aliqua Ciuitate haberet habitationem ordinariam, cum domo, & familia sua; & vellet ducere Antoniam in vxorem, illamque duceret ad illam Villam, vbi Antonia neque habitauit, neque esset parochia sua; An posset Parochus illius Villæ interuenire huic matrimonio.

Respondeo negatiuè, & ratio est; quia non est proprius Parochus, neque viri, neque mulieris, & matrimonium esset inualidum, hoc probatur in simili *in cap. is qui de sepulturis in 6.* ibi, in Villa moriens, in Ciuitate sepelitur, vbi tenet domicilium. Ità *Nauarrus Consil. 7. de clandestina desponsat.* Ità etiam intelligendum est, si ipsi supradicti per annum habitarent in illa Villa, nec trastulerunt maiorem partem suorum bonorum in eadẽ, nec haberent animum permanendi perpetuò; cum nec Parochus Villæ esset proprius Parochus istorum; intelligendo dummodo mulier non sit eiusdem parochiæ, in qua est Villa; tunc enim Parochus Villæ diceretur proprius Parochus fæminæ, & matrimonium valeret. DD. communiter.

24 Quæritur quomodo se gerere debeat Parochus inter Vagum, & Vagam.

Respondetur quando huiusmodi personæ vagantes veniunt in aliquam Ciuitatem, nullo modo à quouis Parocho ad matrimonium contrahendum admittantur, nisi priùs habeant licentiam, ab Episcopo, vel alio Ordinario loci, qui antequam concedant huiusmodi licentiam de contrahendo, diligenter inquirant, & literas habere studeant, & fidem, quod vir aliam non habeat vxorem, nec fæmina alium maritum; Id sæpè declaratum fuit à Sac. Congregatione Sanctæ Inquisitionis; & ità habetur in *Concil. Trident. in cap. multi de reform. matrim. sess.* 24. *cap.* 7. Et hoc factum fuit ad euitanda scandala, quæ per sæpè inter tales personas emergunt.

Neque Canonicus Cathedralis, neque quilibet Sacerdos potest interuenire matrimonio, nisi habeat delegationem à proprio Parocho; licentia autem Parochi sufficit, si verbis fuerit concessa, meliùs autem esset in scriptis illam habere, ad euitandas discordias, & denegationes, quæ possent oriri inter Parochum delegantem, & Sacerdotem delegatum; sed vt plurimum hæc licentia dari solet ab Ordinario loci; ab vtroque enim concedi potest.

Con-

Concil. Trident. cap. 1. sess. 24. de reformat. matrim.

25 Sed quæritur; quidam miles prodiens ad bellum contrà infideles, secum Concubinam ducebat, qui cum esset in medio maris, factus est infirmus ad mortem; & priusquam moreretur, voluit Concubinam suam in vxorem sibi desponsare, vt eam honoratam relinqueret, & contraxit matrimonium per verba de præsenti, coram Sacerdote non Parocho, & duobus testibus, qui Sacerdos in Triremi similiter erat, vt adiuuaret milites, in casu necessitatis, vt mos est in huiusmodi Triremibus; At verò contraxit matrimonium, salua ratihabitione proprij Parochi, qui in medio maris non poterat accersiri; An hoc matrimonium sit validum?

Respondeo negatiuè, quia in matrimonio contrahendo non sufficit ratihabitio, neque licentia tacita, vel interpretatiua; sed debet esse expressa proprij Parochi, vel Ordinarij loci. *Conc. Trid. loc. cit. quæst. 7. nu. 27.*

Neque obstat huic conclusioni, simplicem Sacerdotem in articulo mortis posse deficiente proprio, ministrare confessionem, Eucharistiam, & extremam vnctionem.

Resp. enim, esse disparem rationem; quia Eucharistia, & Pænitentia, sunt Sacramenta necessitatis: Præterea est simplex præceptum Ecclesiæ iubentis, vt extrema vnctio à proprio Parocho ministretur. At verò matrimonium est Sacramentum voluntarium, atque ipsum celebrari coram Parocho, & testibus, continet formam substantialem ipsius matrimonij; Et est decretum irritans matrimonium aliter contractum. *Sanchez. lib. 3. disput. 17. num. 5. in fine.*

26 Imò Sacerdos Sæcularis, vel Regularis, qui auderet coniungere, non sibi subditos, aut ipsos benedicere, sine Parochi, vel Ordinarij loci licentia, incurreret ipso iure suspensionem, donec absolueretur ab Ordinario ipsius Parochi, vt patet ex *Trid. sess. 24. cap. 1. de reformat. matrim.* ità *Sanchez. lib. 3. disput. 52. num. 4. Bonacina de matrimonio quæst. 2. punct. 8. num. 12. & alij communiter*. Iure tamen antiquo incurrebant in Excommunicationem. *Clem. 1. in fine de priuilegijs*, sed illam modò sublatam esse sustinet. *Rebell. in declarat. Card. post. 4. lib. sec. 3. num. 83. & alij.*

De

De Testibus.

QVÆSTIO OCTAVA.

SVMMARIVM.

1 *Qui testes sint habiles, & sufficiant ad validitatem matrimonij, & quæ præsentia requiratur.*
2 *An dormientes, Infantes, Ebrij, furiosi sint Testes habiles.*
3 *An Pater, & Mater, familiares, infideles, excommunicati sint testes habiles.*
4 *An sit necessarium, vt testes sint rogati.*
5 *Quid si testes sint præsentes per violentiam.*
6 *Quid de testibus transeuntibus.*
7 *An contrahentes inualidè sine Parocho, & testibus, possint posteà inter se, vel cum alijs iterum contrahere; adhibito Parocho, & testibus.*

1 TEstes quicunque rationis compotes, quamuis impuberes, consanguinei, domestici, fęminæ, aut infames sufficiunt pro matrimonio; horum autem præsentia debet esse moralis, & humano modo, vt scilicet aduertant id quod agitur *l. coram Titio ff. de verb. & rerum signif.* Præterea debet esse simultanea præsentia, & non sufficit successiua, vt colligitur ex eodem Tridentino, & DD. citatis.

2 Hinc colligi potest, dormientes, amentes, ebrios, furiosos quamdiu carent lucido interuallo, non esse testes idoneos ad matrimonium, quia non possunt esse præsentes humano modo. Ità *Guttierez. cap. 69. num. 2. Sanchez. Coninchus, & alij communiter.*

3 Colligitur etiam, quascumque personas doli capaces posse esse testes in matrimonio; Et non excluduntur pater, mater, neque familiares, neque infideles, neque excommunicati; Quamuis istæ personæ non admittantur tamquam testes idonei in alijs rebus; Nihilominus admitti possunt in matrimonio; Ratio est, quia Tridentinum nullos testes excipit; materia enim matrimonij est fauorabilis. Sustinent *Ledesma quæst. 45. art. 5. Riccius decision. 182. & DD. communiter.*

4 Addo cum *Sanchez. lib. 3. disp. 40. Guttierez. cap. 55. num. 9.* Non esse necessarium, vt testes sint rogati, nullo enim iure requi-

quiritur iſta ſolemnitas in matrimonio, ſed ſufficit, vt ſint adhibiti ad contractum matrimonij.

5 Colligitur validum eſſe matrimonium contractum coram teſtibus, præſentibus per violentiam; nam iſti dici poſſunt præſentes moraliter, ſi aduertant quod agitur. Ità declarauit S. Congreg. Cardinalium, quam citat *Ledeſma quæſt.* 45. *art.* 5. *dub.* 5. *verſ. tertia verò pars*, *&* *alij*.

6 Non videri validum matrimonium coram Parocho, & teſtibus tranſeuntibus; nam tranſeuntes non videntur præſentes humano modo, nec formaliter, ſed tantum materialiter. Sed ſi benè aduertant, matrimonium valeret. *Bonacina de natura*, *&* *propriet. matrimonij quæſt.*2.*punct.*8.*num.*46.*Sanchez.lib.*3.*diſput.*39. *num.* 11.

7 Contrahentes inualidè ſine Parocho, & teſtibus, poſſunt poſteà inter ſe, vel cum alijs iterum contrahere, adhibito Parocho, & teſtibus; ſic declarauit Sac. Congreg. Card. nec Tridentinum hoc prohibet. Ità *Ledeſma quæſt.* 5. *art.* 5. *Guttierez. cap.* 61. *num.* 2. *&* *cap.* 75. *num.* 4.



PARS QVINTA

De Causis Essentialibus, seù Substantialibus Matrimonij.

QVÆSTIO NONA.

SVMMARIVM.

1 *Quæ sint causæ essentiales, siuè substantiales matrimonij.*
2 *Declarantur singulatim causæ necessariæ.*
3 *An matrimonium possit fieri per Procuratorem.*
4 *An Procurator peccet mortaliter contrahendo matrimonium nomine alterius, in peccato mortali, & quæ verba adhibenda sint à Procuratore in contrahendo.*
5 *An matrimonium possit fieri per literas.*
6 *Vtrum matrimonium sit verum, & legitimum, per responsionem parentum sponsorum.*
7 *An matrimonium sit nullum ex defectu alicuius causæ essentialis.*
8 *Consensus in matrimonio quatuor modis contingere potest, in quibus tamen matrimonium est nullum.*
9 *Casus in hac materia resoluitur.*
10 *Quando matrimonium est nullum ex defectu causæ accidentalis.*
11 *Notantur limitationes in hac materia.*
12 *Matrimonium est nullum ex dolo, vel fictione alterius coniugis.*
13 *Casus in hac materia de consensu resoluitur.*
14 *Si Professus careat consensu interiori; illa professio est nulla, & quid agendum.*
15 *Matrimonium est nullum ex facto alterius hominis, extrà Coniuges.*
16 *Exemplum in hoc casu.*
17 *Quid si metus leuis sit.*
18 *Ex defectu causæ materialis, matrimonium est nullum.*
19 *Ex defectu causæ formalis, nullum est matrimonium.*
20 *Ex defectu causæ finalis, nullum est matrimonium. Causæ finales matrimonij duplices sunt primariæ, & secundariæ, & quæ faciunt irritum matrimonium.*
21 *Obseruationes valdè necessariæ.*

1 Cau-

1 CAusæ essentiales, seù substantiales matrimonij, sine quibus actus corruit, sicut in quolibet actu requiruntur, sunt quinque, omissis longis disputationibus; scilicèt causa efficiens, essentialis, materialis, formalis, & finalis, de quibus causis D. Thomas *in addit. par. 3. quæst. 42. 44. & 45. per totum. Sotus in 4. sentent. distinct. 1. quæst. 1. art. 6. & distinct. 26. quæst. 2. art. 1. & Couarr. de matrim.*

2 Causa igitur efficiens matrimonij est Deus; nam ipse o mnium Sacramentorum est institutor, auctor, & causa principalis. *Textus est in cap. finali de Frigid. & malefic.*

Secunda causa essentialis sunt personæ contrahentium matrimonium; Et est consensus verus, & legitimus contrahentium matrimonium. *l. nuptias ff. de Regulis iuris.* Imò hic consensus est causa substantialis matrimonij, sine quo matrimonium non tenet. *cap. tua nos de sponsal.*

Tertia est causa materialis, quæ dupliciter est. Prima est remota, Secunda est proxima. Remota, sunt ipsi Sponsi matrimonium contrahentes; Proxima verò sunt verba coniugum exprimentia consensum interiorem, qui actus exprimendi verba, est materia proxima matrimonij: quæ materia debet esse habilis, & legitima, vt ei dari possit forma; hoc est, vt homo, & fęmina sint apti, & habiles ad contrahendum matrimonium, id est vt sint puberes ambo, non sint consanguinei, & sint legitimæ personæ; si hæc materia sit illegitima, potest fieri legitima aliquando ex dispensatione Summi Pontificis.

Causa formalis matrimonij sunt verba coniugum respondentium, quæ actum matrimonij informant; & sic verba exprimentia consensum primi coniugis sunt materia, verba autem secundi coniugis similiter consensum interiorem exprimentia, sunt ipsius matrimonij forma, & rationem formæ habent, quæ informant materiam legitimam. *Abbas in cap. si inter de sponsalibus, & in cap. 1. ac in cap. licet de sponsa duorum.* Ideò diximus formam matrimonij esse verba secundi coniugis respondentis, & acceptantis, quia vt plurimum secundus coniux solet respondere verbis, aut nutu, aut signo. Et per hoc infertur, quod si secundus coniux nutu, vel signo aliquo exteriori, consensum interiorem exprimat: adhuc matrimonium est validum; Et ille nutus, & signum est loco formæ informantis actum matrimonij, & materiam.

Imò coram Deo sufficit consensus interior, ad hoc, vt matri-

monium valeat. *cap. Tua nos de sponsalibus.* Et quamuis consensus ille interior dicatur legitimus; Verum quia Ecclesia de occultis non iudicat; Ideò ad hoc vt matrimonium sit validus contractus, consensus interior vtriusque coniugis exprimi debet, siuè verbis, siuè nutu, siuè aliquo signo exteriori.

Hinc infertur, quod si mulier annuens capite responderit, acceptans coniugem in virum, qui eam acceptauit in vxorem, adhuc matrimonium est contractus verus, & legitimus. *Bonacina de natura, & proprietatibus matrimonij, quæst. 2. punct. 1. num. 3. qui multos DD. citat.*

Ex his patet, quod forma matrimonij non consistit in verbis præcipuè, & restrictiuè secundi coniugis, nam nutus, & signum visibile habent rationem formæ in matrimonio, & sufficiunt ad matrimonium contrahendum; Aliàs surdus, & mutus matrimonium contrahere non possent; quod esset contrà. *Textum in cap. Cum apud de sponsalibus*, Vbi surdus cum muta, matrimonium signis contrahunt, & validè: & sic verba in matrimonio non capiuntur strictè, sicut in cæteris Sacramentis, in quibus forma in verbis consistit, sine quibus Sacramenta non tenent. *Sanchez lib. 2. disp. 30; & Bonacina loc. cit.*

Taciturnitas regulariter non sufficit ad exprimendum consensum matrimonialem, iuxtà regulam Iuris: qui tacet neque consentit, neque dissentire videtur.

Dixi regulariter; quia Ius aliquando accipit taciturnitatem pro expressione consensus, vt accidit quando Parochus interrogat fœminam, quæ tacet coram patre, & matre, & ipsi repromittunt pro ea. Eadem ratio non militat, quando extraneus repromitteret pro ea: Et ratio est, quia matrimonium est contractus, debet autem contractus necessariò signo aliquo externo manifestari; tum quia matrimonium est Sacramentum, de ratione autem Sacramenti est, aliquod signum externum sensibile, siuè per nutus, & signa manifestari. *Sanchez, & Bonacina locis citatis, vide infrà clariùs num. 6.*

3 An matrimonium possit fieri per Procuratorem.

Resp. Affirmatiuè, *cap. vltimò. De procuratoribus in 6*; & est in vsu, vbi dicitur, quod Procurator debet habere speciale mandatum. Secundò, quod talis procurator non substituat, nisi ad hoc mandatum habeat. Tertiò, quod si talis procurator reuocatus sit, etiamsi ignoranter contrahat, non tenet matrimonium. Quartò, quod coram Parocho, & testibus contrahere debeat. *dic. cap. vltimo de procuratoribus in 6.*

Ad-

Aduertendum demum,quod dictum mandatum speciale factum sit cum certa, & designata persona, veluti cum Antonia tali,&c. Et è conuerso cum certo viro: Nec satis est generale mandatum ad negotia. Insuper vt ipse Procurator exprimat consensum de præsenti,nomine sui principalis constituentis,non de futuro,veluti si procurator diceret,quod Ioannes suus Dominus promittit se habiturum in vxorem ipsam Antoniam; hoc modo erunt sponsalia, non autem matrimonium; Cum in matrimonio consensus expressus de præsenti requiratur.*Sotus in 4.sent.distinct.29.q.2.art.3.*

Diximus; quod si talis procurator reuocatus etiam ignoranter, &c. significat: Quod Dominus constituens procuratorem ad matrimonium contrahendum cum certa, & determinata persona, sit semper eadem voluntate, quando procurator nomine ipsius matrimonium contrahit cum illa muliere; Vel è conuerso. Nam si se constituisse procuratorem pœnituerit, & consensum suum reuocauerit, præmissa protestatione, quod eum illam in vxorem ducere noluerit, quam cum procuratore voluit, tunc matrimonium contractum per procuratorem, nullum est; Nam constituens potest consensum suum reuocare ante matrimonium contractum per procuratorem, etiamsi in procuratorio iurauerit se non esse reuocaturum: Et hoc verum est, etiamsi reuocatio mandati, seù contrariùs consensus non innotuerit procuratori, aut sponsæ, adhuc enim matrimonium est inualidum, defect u consensus, sine quo non subsistit matrimonium (quicquid sit in alijs contractibus) *dicto capit. vltimo De procuratoribus. in 6. cap. Sufficiat* 27. *quæst.* 2. Ità, *Sanchez, Guttierez, Coninch. Filiuccius, Bonacina de natura, & proprietat. matrimonij, quæst. 2. punct. 5. num.* 7. Neque etiam subsistit matrimonium in foro conscientiæ, si solum interius reuocauerit consensum.

4 An Procurator peccet mortaliter contrahendo matrimonium nomine alteriùs, in peccato mortali.

Resp. Negatiuè. Ratio est quia non pertinet ad ipsum ex officio ministrare, vel recipere huiusmodi Sacramentum, nec ipse est minister ad hoc munus; Ipsi verò contrahentes, qui mittunt procuratorem ad contrahendum suo nomine matrimonium, tenentur sub mortali esse in gratia; quia ipsi matrimonium principaliter contrahunt, & debent se disponere ad gratiam, & præsertim tunc temporis, quo probabiliter creditur procuratorem contracturum matrimonium, tunc enim ipsi suscipiunt Sacramentum, siuè vigilent, siuè dormiant, siuè amentes sint facti, & tunc confertur ambobus gratia Sacramentalis matrimonij, etiam absen-

sentibus ; quod est mirabile in matrimonio. Ità, ***Couarr. 2. parte de matrimonio, cap. 4. in principio.***

Et à Procuratore in contrahendo adhibenda sunt hæc verba: accipio te in vxorem nomine Titij; vel Titius accipit te iu vxorem, me mediante. Similiter fœmina respondere debet; Ego te mediante, duco Titium in meum maritum. ***Sanchez lib. 2. disp. 6. num. 4; & disp. 11. num. 12; & alij.***

5 An matrimonium possit fieri per literas; ità vt literæ vtriusque legantur coram Parocho, & Testibus.

Resp. Hunc modum contrahendi hodiè non esse in vsu, (sed tantum in sponsalibus) benè tamen per Procuratorem vt suprà dixi, quamuis ***Sanchez lib. 2. de sponsalibus disp. 12. num. 3. Bonacina, de natura, & proprietat. matrim. quæst. 2. punct. 5. num. 1; & alij affirment***, posse fieri, & esse validum matrimonium; Contrà Bartholomæum à Ledesma, ***dub. 18. de matrim. à fol. 1286. & alios permultos quos citat.*** Idem ***Sanchez loc. cit; His negantibus ego adhęreo.*** Iure tamen antiquo erat in vsu, vt in *l. mulierem ff. de ritu nuptiarum, l. sufficit ff. de sponsalibus*, vt docet *Glossa, cap. Nec illud 30. quæst. 5. verbo vxor.*

6 Vtrum sit matrimonium verum, & legitimum per responsionem parentum sponsorum.

Resp. Affirmatiuè ex *cap. primo, §. vltimo, De desponsat. Impuber.* Veluti si mulier iterrogata à Parocho, an velit ducere in virum talem; Et illa ratione verecundiæ non respondet; sed pater, vel mater pro ea affirmatiuè responderint, tale matrimonium est validum per parentes, & filia dicitur consentire, cum taceat, si interius consentiat. Hoc tamen fallit, si præ timore reuerentiali mulier taceat, vel homo; qùia tunc non est matrimonium perfectum, ratione defectus consensus. ***Bonacina de Nat. & propriet. matrim. quæst. 2. punct. 1. nu. 6. in fine, & idem de impedimento vis, & metus, quæst. 3. punct. 8. nu. 6. in fine. Felinus in cap. Nonnè de præsump.*** Ego autem vt securiùs agerem semper exigerem consensum expressum sponsæ, aut verbis, aut nutu, aut aliquo signo exteriori.

Causa finalis matrimonij triplex est; Prima est adiutorium, & remedium naturæ ad sobolem procreandam, ***Can. Nuptiarum 27. quæst. 2.***

Secunda Causa finalis est, ad remedium concupiscentię, ad euitandam fornicationem.

Tertia Causa finalis est, propter quam matrimonium institutum est, vt contrahatur quædam societas ciuilis, in adiutorium vtriusque coniugis, ***vide clariùs in num. 21. infrà.***

7 Quæ-

7 Quæritur an matrimonium sit nullum ex defectu alicuius causæ essentialis?

Conclusiuè respondeo, & dico; Quod matrimonium ex defectu causæ essentialis nullum est, veluti si deficiat in consensu interiori, quamuis non deficiat in exteriori, *cap. Tua nos de sponsalibus.*

8 Consensus in matrimonio quatuor modis contingere potest, in quibus tamen matrimonium est nullum. Primò, Ex causa naturali; Secundò, Ex causa accidentali; Tertiò Ex dolo, & fictione alterius coniugis; Quartò, Ex facto alterius hominis extrà coniuges.

Primò ex causa naturali, siuè essentiali nullum est matrimonium, si sponsi in matrimonio contrahendo, non habeant ætatem legitimam ad contrahendum, quia fortè non sunt puberes, nec viri potentes, *vt in l. Minorem, ff. de ritu nuptiarum, & cap. vltimò de desponsat. impub.* Nam ad hoc vt aliqui matrimonium contrahant, debent esse puberes, hoc est, vt homo habeat 14. annum completum, fœmina verò 12. annum completum, *vt in toto tit. de desponsat. impub; & præcipuè in cap. Puberes, cap. Attestationes, cap. Continebatur. Abbas in cap. vltimò eodem titulo.*

Si vir, vel fœmina sint impuberes, vel ambo, vel vnus eorum, matrimonium nullum est, ex defectu causæ essentialis, vel naturalis, cum lex præsumat impuberes consensu carere in matrimonio contrahendo. Sed quia in materia matrimonij semper Ius Canonicum attendendum est, licèt de Iure ciuili sit statutum, vt vir agat 14. annum, & fœmina 12. completum, vt dixi; Tamen de Iure Canonico sufficit, si contrahentes matrimonium sint proximi pubertati, dolique capaces, hoc est, vt discretionem habeant, cum malitia suppleat ætatem. Et per hoc si vir habeat 13. annum cum dimidio, & fœmina 11. cum dimidio, poterunt legitimè contrahere matrimonium, & validè, si suppleat discretio, & iudicium, vbi deficit natura; Verumtamen hoc constare debet apud Iudicem Ecclesiasticum, idque expresè definitur, *cap. De illis il 2. cap. Puberes, & cap. Finali de desponsat. impub.* & ratio est; quia ideò Ius eam ætatem præscribit, quod præsumat tunc pueros, & non anteà, iudicio sufficienti ad matrimonium, & potentia generandi, & sufficieuti discretione ad se obligandos præditos esse. Quando verò anteà hæc adesse constant, cedet præsumptio veritati. *Sanchez lib. 7. disput. 104. num. 5. & alij citati ab eodem,* inquiunt, quod verior sententia est, Iudicis arbitrio relinqui, qua ætate dicantur masculus, & fœmina impuberes pubertati proximi; quod cum id Iure præscriptum non sit, me-

meritò Iudicis arbitrio committatur. *Vide eundem Doct. loc. cit. num.* 40.

Si verò è conuerso, vir ageret 16.annum,& fœmina 15.nec sint adhuc doli capaces, nec mulier viri potens, nec vir aptus ad matrimonium cotrahendum, seù consumandum; Tales validè cotraherent matrimonium, & firmè, dummodo non constet talem impotentiam esse perpetuam, cum ætas requisita in matrimonio sit in eis. *Sanchez lib. 7. de matrim.disp.*104. *num.*14; & 15.

9 Si Patruus, vel Auus reliquerit pupillæ nepoti mille, quæ ab hæredibus suis consignari voluerit tempore matrimonij contracti; si acciderit quod matrimonium quis pubes contraheret cum illa impubere ante annum 12. completum, nec malitia suppleret ætatem, & si suppleret, non constitit apud Iudicem; legatum tunc non debetur, cum matrimonium non sit perfectum, ex defectu ætatis in pupilla, & hæres ad præstandum legatum compelli non potest; nisi postquam pupilla sit facta viri potens *l. penultima, quæ incipit, quod pupilla, ff. quando dies legatorum cedat*.

10 Præterea, ex defectu causæ accidentalis matrimonium est irritum, veluti si ambo contrahentes matrimonium essent furiosi, vel alter eorum, matrimonium nullum est; estò quod sint maximè puberes. Ratio est, quia in matrimonio requiritur consensus liberrimus, quo furiosi carent, *cap. Dilectus de sponsal. cap. Cum locum eodem titulo*.

Hæc conclusio ampliatur, vt etiam sit nullum matrimonium, si ipsi sponsi contrahentes in furore, vel ambo, vel alter eorum post contractum matrimonium habuerint dilucida interualla; Nam adhuc matrimonium nullum, & inualidum est, per regulam Iuris: quæ ab initio non valent, tractu temporis non conualescunt; Sed opus est in isto casu, vt renouetur consensus tempore, quo haberent contrahentes dilucida interualla; qui consensus renouari debet denuò coram Parocho, & testibus, quia impedimentum est publicum. *Abbas in dicto cap. Dilectus de sponsalibus*.

11 Limitatur ista Conclusio, vt non procedat, si tempore quo fit matrimonium,contrahentes habeant dilucida interualla; nā tunc matrimonium est validum, etiamsi furor superuenerit post matrimonium contractum. *Abbas in dict.cap. Dilectus de sponsalibus*.

Secundò fortiùs limitatur, vt non procedat, si tempore matrimonij contracti, tunc erant contrahentes sani, & post matrimonium contractum superuenit furor ambobus,vel vni eorum;matrimonium enim teneret per illam regulam: multa facta tenent, quæ nouiter fieri non possunt, *l. Patre furioso, ff. de his qui sunt sui, vel alieni*

alieni Iuris, & attenditur tempus matrimonij contracti. *Can. H i qui matrimonium 32. 9. 7. il 2. Can. 25.*

12 Matrimonium quoque nullum est, ex dolo, vel fictione alterius coniugis; Veluti si quis coram Parocho, & testibus contrahit matrimonium cum aliqua, & consensum exprimit verbis, vel signis; sed tamen habet in animo matrimonium non contrahendi, sed decipiendi illam puellam; hoc matrimonium nullum est ex defectu consensus interioris, prouenientis ex dolo, & fictione alterius coniugis. Hoc tamen matrimonium est nullum coram Deo *cap. Tua nos de sponsalbus*, sed apud Ecclesiam habetur pro valido; Ecclesia enim non iudicat de occultis; & alter coniux qui matrimonium contraxit dolo, & fictione, sacrilegium commisit, & quoties cum illa puella rem habet, toties peccat, & ideò tenetur renouare consensum suum interiorem coram Deo, & consentire; non autem coram Parocho, & testibus. *Nauarrus cap. 22. nu. 76. in fine, & idem cap. 22. num. 47. Bonacina de natura, & proprietate matrim. quæst. 2. punct. 9. num. 1. & 2. Filiuccius de Sacramento mamonij tract. 10. parte 1. cap. 3. de causa efficiente num. 84.*

13 Si tamen vir fuerit nobilis, & duxerit vxorem humili loco natam, etiam animo decipiendi, & explendi causa suam libidinem, non autem contrahendi matrimonium; & nollet amplius illam in vxorem, sed vellet eam dimittere, cum disparis sit conditionis; tunc teneretur satisfacere mulieri, omni meliori modo, quo posset, vel si illa vellet ingredi, & profiteri in aliqua religione approbata à Sede Apostolica, assignando illi dotem, vel alio modo possibili; aliàs maneret in statu peccati mortalis, nec deberet absolui cum promissione, quod illam concordabit, nisi priùs satisfacta parte decepta. Tamen id totum coram Iudice constare debet, quod vir sit nobilis, & illa plebeà, quod vir sit veridicus, & non aliàs deceptor, posteà iuramento id firmet; Alioquin non est ei tutum alteri nubere; quoniam interdum diuites, & nobiles ob egregiam formam, & honestatem, & alios fines matrimonium cum fœminis plebeis, & tenuis conditionis verè contrahunt, *vide Nauarrum cap. 22. num. 76. in fine qui alios DD. citat. Couarr. in 2. parte de matrimonio, cap. 2. num. 4. Sotus in 4. senten. distinct. 23. quæst. 1. art. 3. vide etiam præfatum Nauarrum in cap. 16. num. 18.*

14 Obseruandum est, quod professus in aliqua Religione carens consensu interiori, professionem fecit nullam, nisi consensus renouetur ad professionem, scilicet vt renouetur consensus solum coram Deo, coram quo professio fuit fictè facta; non tamen coram Præposito religionis, coram quo facta fuit professio exterior,

 Bona-

Bonacina de Claufura,quæft. 2: punct. 10. difficultate prima num. 4.

15 Matrimonium etiam eft nullum ex facto alteriùs hominis extrà coniuges; Veluti fi quis cogit ambos coniuges, vel vnum ex coniugibus ad contrahendum matrimonium, & nifi contrahant occidere vult, vel metum infert cadentem in conftantem virum, matrimonium nullum eft, ex facto alterius hominis extrà coniuges, vel dolo, vel metu; & ratio eft, quia tam in matrimonio carnali, quam in fpirituali confenfus requiritur liberrimus, *dic. cap. cum locum de fponfal.* Et per hoc quoties interuenit in matrimonio contrahendo vis, dolus, vel metus cadens in conftantem virum, matrimonium nullum eft ex defectu confenfus.

16 Exemplum eft; Dominus habens feruum, vel feruam, cogit feruum ducere illam, quam nollet ducere, nifi à Domino cogeretur: Et hoc modo cogit; nifi ducat illam, in carceribus detrudet, vel verberibus afficiet; nam feruus illam ducit propter metum cadentem in conftantem virum; Inde matrimonium hoc cafu nullum eft, ex defectu confenfus ex facto tertij.

17 Si tamen metus fuerit leuis, matrimonium non irritatur, prout in hac materia eft *Textus in cap. Cum dilectus*, & ibi *Abbas, & toto tit. de his, quæ vi, metufuè caufa fiunt*. Quando metus eft granis, vt diximus, decreuit Sacrum Concilium Tridentinum, in *cap.* Ità *feff.* 24. quod nullus Dominus Terræ, Oppidi, Ciuitatis cogat fuos fubditos ad matrimonium contrahendum, fub excommunicationis fententia.

18 Ex defectu caufæ materialis matrimonium eft nullum, veluti fi contrahentes non fint legitimæ perfonæ, puta fi raptor rapuit mulierem, & cum ea vult matrimonium contrahere, non poteft ex defectu caufæ materialis, nam non funt perfonæ legitimæ; & durante raptu, etiamfi contrahant coram Parocho, & teftibus, matrimonium pro nullo habetur. Si verò mulier rapta, fuerit feparata à Raptore, & in tuto loco pofita fuerit; Si poftea Parochus coram teftibus explorauerit fuam voluntatem, & confenferit, licitè, & validè contraheret matrimonium cum Raptore; Nec prohibet Concilium, vt poftea contrahere non poffint, his conditionibus feruatis; Sed priùs Raptor debet abfolui ab excommunicatione, & poftea contrahere, iuxtà *Conc. Trid. feff.* 24. *cap. 6. de reformat. matrimonij.*

Præterea, ex defectu eiufdem caufæ materialis, matrimonium nullum eft, fi perfonæ contrahentes habeant impedimentum effentiale matrimonij, vt puta, quia funt confanguinei in gradibus prohibitis, vfque ad quartum gradum inclufiuè, hoc cafu matri-

trimonium nullum eſt, eſtò quod ſit contractum coram Parocho, & teſtibus, niſi priùs ſuper his à Summo Pontifice fuerit diſpenſatum.

Tertiò ex defectu eiuſdem cauſæ matrimonium nullum eſt, ſi perſonæ contrahentes, vel ambo, vel alter ſint inhabiles ad coeundum; Nam iſto caſu ſi conſtiterit per obſtetrices matrimonium non fuiſſe conſumatum ob defectum frigiditatis, & vxor cum viro fuerit per triennium, nec fuit conſumatum; matrimonium nullum eſt. *cap. Laudabilem de frigid. & malefic.* Et in iſto caſu matrimonium ab Epiſcopo declaratur nullum, non quod matrimonium ipſo iure ſit nullum. Quod ſi ambo conſentiant ſimul eſſe; Vir eam, etſi non vxorem, ſaltem habeat vt ſororem; *dict.cap. Laudabilem, & cap.Conſultationi tuæ de frigid. & malefic.*

Quarto ſi deficiat in matrimonio contrahendo Parochi præſentia, & teſtium, matrimonium nullum eſt, ex defectu eiuſdem cauſæ. *Concil. Trid.ſeſs.24. cap. primo, vt latè ſuprà declarauimus.*

19 Ex defectu cauſæ formalis, matrimonium nullum eſt, veluti quando non exprimitur mutuus conſenſus à contrahentibus, vel per verba, vel per ſigna, vel per nutus.

Si ſponſi diuerſæ nationis vellent matrimonium contrahere, & ad inuicem non ſe intelligerent; tunc per interpretem poteſt matrimonium fieri, & valet. *Gloſſa in cap. Ex literis de ſponſalibus, l. prima in fine, ff. de verb. obligat.*

20 Ex defectu cauſæ finalis matrimonium eſt nullum.

Cauſæ finales matrimonij duplices ſunt. *Couarr. in 2. parte de matrimonio, cap. 1. §. 1. num. 7.*

Cauſæ ſcilicet primariæ, & ſecundariæ.

Primariæ ſunt illa tria bona matrimonij, ſcilicet proles, Fides, & Sacramentum; & vt iſta tria bona matrimonij quis conſequatur, debet matrimonium contrahere; *vt eſt in Textu in Can.Omne 27. quæſt. 2.*

Proles ſignificat, vt matrimonium contrahatur ad finem prolis procreandæ.

Fides ſignificat, vt matrimonium contrahatur ad ſeruandam fidem coniugalem.

Sacramentum ſignificat, vt matrimonium ſit indiſſolubile, & in perpetuum contrahatur, non ad tempus, Et ideò dicitur in diffinitione matrimonij: Indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens; quia ſola morte matrimonium diſſolui poteſt, & dicitur perpetuum, hoc eſt, durante contrahentium vita.

Cauſæ autem ſecundariæ matrimonij ſunt, pulchritudo, diui-

tiæ, magna dos, affinitas, fauor affinium, & similia.

In contrahendo igitur matrimonio, potest quis meritum acquirere, veluti si contrahat matrimonium ad finem principalem matrimonij, nempè ad sobolem procreandam, & ad reliqua matrimonij bona; quamuis finis secundariùs sit magna dos, fauor affinium, pulchritudo, &c.

Verum si quis contrahens mouetur principaliter ob diuitias, pulchritudinem, &c. Secundariò autem ad bona matrimonij, validè contraxit, sed non meretur, imò venialiter peccat. *Abbas loc. cit. Nauarrus cap. 22. num. 79.*

Contrahere verò minùs principaliter ob aliud temporale, modò principaliter contrahatur propter Deum, nullum est peccatum. Idem *Nauarrus dicto cap. & numero suprà cit.*

21 Quàndo verò contrahitur directè contrà bona matrimonij, & apponitur pactum, seù conditio turpis à contrahentibus, contrà bonum prolis, & alia duo bona matrimonij, tunc peccarent mortaliter, & matrimonium nullum, & inualidum erit; Veluti si quis dicat, quod vult Antoniam vxorem per triennium, non in perpetuum, tunc nullum est matrimonium ex defectu causæ finalis; Vel si dicat, quod ducit aliquam in vxorem cum hac conditione si venena sterilitatis capiat ad sobolem non procreandam, eo quia habeat multos filios; Vel si dicat, quod ducit illam in vxorem, si permiserit se adulterari, & lucrum ex adulterio; Vel si ducit, donec aliam meliorem inuenerit, vel pulchriorem; Vel si filios occiderit, & similia. *Bonacina de natura & propriet. matrimonij quæst. 2. punct. 10. num. 8. & 10. Nauarrus cap. 22. num. 62. cap. aliquandò. cap. solet 32. quæst. 2. & cap. finali de Condit. appos.*

Quæ omnia matrimonia sic contracta nulla sunt, ex defectu causæ finalis matrimonij, & sic contrahentes mortaliter peccant. Notat omnia hæc *Abbas in cap. finali de conditionibus appositis, & in cap. Tua nos de sponsalibus. D. Thomas in addit 3. par. quæst. 49. art. 3. Et est Textus in cap. vltimo de condit. appos.*

Aduertendum tamen est pro maiori intelligentia, quod consensus viri, & mulieris in copulam carnalem, in contrahendo matrimonio, non est necessarius explicitè, sed sufficit implicitè, & virtute ad copulam, ex vi contractus, non autem ex parte contrahentis, & est verum matrimonium; Aliter dicendum (& esset nullum matrimonium) quando apponeretur pactum, veluti, si alter se obligat ad non petendum, aut non reddendum; vel si à contrahentibus apponeretur conditio turpis contrà bonum prolis, & alia duo bona matrimonij, vt diximus, tunc nullum esset

matrimonium; sed si nihil apponatur, nullumque pactum irritans, licèt aliter sit in intentione contrahentium, matrimonium valet, & tenet.

Hinc infertur, si homo virgo cum puella virgine matrimonium contrahant, & de seruanda perpetua virginitate conueniant ad inuicem de communi consensu, matrimonium est perfectum. *Can. Beata Maria* 27. *quæst.* 2. Et sic matrimonium Beatæ Virginis Mariæ, cum Beato Ioseph fuit validissimum, quæ implicitè ex vi contractus consensit in maritalem societatem, sed non in carnalem copulam, & copula nunquam fuit, erat enim Beata Virgo certificata à Deo, nunquam subsequi debere; erat etiam certa, Diuina reuelatione Ioseph nunquam petiturum; sic etiam & Ioseph, apud se disposuit Virginitatem seruare velle, & sic consensit in coniugalem societatem; Hæc docet *Diu. Thomas in* 4. *distinct.* 30. *quæst.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 2. *ad* 3; quod optimè etiam explicat *Sanchez lib.* 2. *de matrim. essentia, disp.* 28. *num.* 3; & 4. Et habetur *in dict. cap. Beata Maria* 27. *quæst.* 2. Et *D. Augustinus* ait, *in cap. Institutum* 27. *quæst.* 2; & *cap. Omne eadem causa, & quæst.* Parentes Domini, coniuges fuerunt mente, & non carne. Et *Glossa in dict. cap. Institutum, Henriquez lib.* 11. *de matrimon. cap.* 4. *num.* 1. *Sanchez lib.* 5. *disp.* 10. *num.* 4. *in fine, & alij ab eodem citati*. Alia ratio est, qui a nuptias non concubitus, sed consensus facit.

Hinc infertur etiam si vetulus cum vetula matrimonium contrahant validum est, quia consensus non concubitus matrimonium facit. *Cap. Coniux* 27. *quæst.* 2. vide *Bonacin. de natura, & propriet. matrim. quæst.* 2. *punct.* 1. *num.* 9. *& sequent; & in quæst.* 3. *puncto* 13. *num.* 17; & 18.

Præterea ad maiorem intelligentiam tria distinguenda sunt in matrimonio. Primò vinculum matrimonij, quod contrahitur ex mutua corporum traditione, & acceptatione; Secundò mutua cohabitatio in eadem domo; Tertiò vsus matrimonij per copulam carnalem. Hæc duo posteriora non sunt de essentia matrimonij, sed primum; quod subsistere potest, absque duobus posterioribus; sicut enim in rebus quæ vsu non consumuntur, distinguitur dominium ab vsu, & potest dominium haberi absque vsu; Ità in matrimonio dari potest dominium corporis, sine copula, & vsu corporis; ità *Beccanus de incarnatione cap.* 28. *quæst.* 5. *num.* 3. *Bonacina de natur; & propriet. matrim. quæst.* 2. *punct.* 1. *num.* 10. *& seq.*

Ex dictis colligitur, si concubinarius infirmus ad mortem, de cuius salute timetur, duceret concubinam in vxorem in articulo,

vel

vel periculo mortis, in quo carnalis copula consistere non potest, matrimonium validum est; dummodò in præsentia Parochi, & Testium contrahatur. *Cap. Tanta vis, qui filij sint legitimi*. Item *Iason. in l. sed est quesitum, ff. de liber. & posthumis*: Ità legitimi fiunt filij tempore concubinatus procreati, per matrimonium subsequens, quod animam constituit in statu salutis, & concubinam honoratam relinquit, *DD. in cap. 2. de coniug. lepros.*

Sic etiam si iuuenis ducat vxorem viduam natura sterilem, quæ nunquam filios procreauit, nihilominus matrimonium validum est, & tenet, *l penult. C. de nuptijs*; adhibito consensu necessario, vt diximus, cum suis solemnitatibus. Aliter dicendum de frigidis, vel spadone. *Glossa in cap. Quod sedem de frig. & malefic. C. sancimus de nuptijs, & Glos. in Can. Nuptiarum 27. quæst. 1.* ait: in senibus etiam est humanitatis solatium, nemo enim est adeò senex, quod aliquando non calere possit natura, vel artificio; quod non est in frigidis, vel in puero, vel spadone; & ideo senex habilis est ad contrahendum; sufficit enim quod prolem non enitet.



PARS

PARS SEXTA.

De impedimentis Matrimonij tantum impedientibus.

QVÆSTIO DECIMA.

SVMMARIVM.

1 *Quæ sint impedimenta matrimonij.*
2 *Quæ sint impedimenta impedientia tantum matrimonium, & non dirimentia.*
3 *Quotuplex est impedimentum, vetitum Ecclesiæ.*
4 *Exemplum de impedimento Ecclesiæ vetito.*
5 *Illatio de eodem impedimento.*
6 *Vetitum Iuris, matrimonium impediens est multiplex, & sigillatim declarantur illationes.*
7 *Impedimentum impediens, & non dirimens, est etiam tempus feriarum, & declarantur singulatim illationes.*
8 *Alterum impedimentum impediens matrimonium contrahendum, sunt sponsalia priùs celebrata cum alia persona.*
9 *Qualem culpam committat contrahens matrimonium cum impedimentis non dirimentibus.*
10 *An Episcopus possit dispensare in impedimentis matrimonij non dirimentibus.*

1 Quæ sint impedimenta Matrimonij. Resp. Impedimenta matrimonij sunt in duplici differentia; Alia sunt impedimenta impedientia tantum matrimonium; Alia verò sunt impedimenta impedientia, & dirimentia matrimonium.

2 Impedimenta impedientia tantum matrimonium, non dirimentia, his versibus continentur:

Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriarum,
Atque Cathechismus, sponsalia, iungito votum.
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

De his impedimentis habetur in *cap. Non licet; cap. Nec vxorem 33. quæst.1.& cap.Cappellanus de ferijs, D.Thom.in addit.3.par. quæst.50.art.1. & alij.*

3 Ec-

3 Ecclesiæ vetitum significat, quod matrimonium impeditur contrahi, & vetatur ab Ecclesia ne contrahatur; sed si de facto contrahatur, tenet matrimonium, cum hæc impedimenta impediant tantum matrimonium, non autem dirimant illud.

Ecclesiæ vetitum est duplex, scilicet vetitum hominis, & Iuris.

Hominis vetitum impedit matrimonium contrahi, quoties Episcopus, vel alius Iudex Ecclesiasticus ob aliquam iustam causam interdicit, vel vetat ne matrimonium contrahatur: de quo est *Text.in cap.Cum inhibitio*, §.1.*de clandest.desponsat.*

4 Exemplum erit huiusmodi in praxi. Factæ sunt denunciationes in Ecclesia, quod fit matrimonium inter talem, & talem, ideòque sponsi, factis denunciationibus, volunt matrimonium contrahere de præsenti; Intereà aliquis Episcopum adit, eique nunciat, quod prædicti sponsi habeant impedimentum; v.gr. quia sponsa fuit concubina patris, vel fratris sponsi; Episcopus optima causa prohibet, ne hoc matrimonium contrahatur, & nullus in eo contrahendo interueniat: Et hoc dicitur Ecclesiæ vetitum. Hoc non obstante si sponsi matrimonium contrahant coram Parocho, & testibus, Matrimonium firmum, & validum erit; (dummodo quod ille asseruit Episcopo, sit falsum) Contrahentes verò peccant, ità Parochus, qui etiam potest ab Episcopo puniri.

5 Infertur ex his, quod vnus testis fide dignus matrimonium potest impedire, non obstante, quod dictum vnius, sit dictum nullius; nam ad matrimonium impediendum sufficit vnus testis fide dignus. *Cap.Præterea il* 2.*de sponsal.*

Imò licèt nullus testis sit; si tamen est rumor, & fama in vicinia, sponsos esse inter se consanguineos, ista fama, & rumor impedit matrimonium de præsenti contrahendum, & ratione solius famæ Episcopus potest, & debet interdicere ne matrimonium fiat, & ne deueniatur per verba de præsenti ad matrimonium contrahendum, donec exploretur veritas impedimenti per famam appositi. Quod sola fama matrimonium impedire valeat, est *Textus in cap. super eo de cognat. spiritual. & cap. super eo de consang.& affin.* vide *Gloss.* Et quando fama surrexit, tunc opus est, vel contrarium eius quod per famam dicitur probare, vel dispensationem Summi Pontificis obtinere. *Couarr.* 2.*par.de matrimonio cap.6.* §.10.*num.*21.

6 Iuris vetitum, matrimonium impediens, est multiplex.

Primò impeditur à iure matrimonium contrahi, prætermissis denunciationibus, seù publicationibus in Ecclesia. *Concil. Trid. ess.*24.*cap.*1.

Si

Si tamen omiſſis publicationibus fiat matrimonium, validum eſt, cum hoc impedimentum ſit tantum impediens matrimonium, non dirimens.

Secundo, inceſtus cum propria conſanguinea, impedimentum Iuris eſt, matrimonium cum alia impediens. *Can. 35. quæſt. 2. & 3.* quod impedimentum in vſu non eſt, ſi tamen ſeruatur alibi, ad ipſum tollendum, ſufficit Epiſcopi diſpenſatio; vt infrà dicam.

Tertiò, vxoricidium, impedimentum Iuris eſt, impediens matrimonium cum altera contrahendum. *Can. Interfectores, & Can. Admonere 33. quæſt. 2.* & ratio eſt, quia vnam occidens, aliam non meretur.

Quartò, Presbytericidium, matrimonium impedit tantum contrahendum. *Cap. qui Presbyterum de pænitent. & remiſs.*

Quintò, Catechiſmus eſt impedimentum impediens tantum matrimonium contrahendum. *Cap. per Catechiſmum de cognat. ſpirit. in 6.* quod vt intelligatur, ſubijcitur exemplum huiuſmodi. Per Baptiſmum, & Confirmationem contrahitur cognatio ſpiritualis, iuxtà *Concil. Trident.* inter illum qui tenet puerum, matrem, patremque pueri baptizati. Accidit quod natus eſt puer, & dubitatur de morte ipſius, ideòque ſtatim domi baptizatur ab aliquo, puer poſteà viuit, & benè valet, & ad Eccleſiam portatur ad catechizandum; Ille compater qui eum tenet in Catechiſmo, non eſt verè compater, neque commater ſi fuerit fœmina, cum nunc baptiſmi Sacramentum non conferatur, ſed domi tunc fuit verè collatum. Si moritur mater pueri, pater ipſius pueri, poteſt ducere commatrem, quæ tenuit ipſum puerum in Catechiſmo, & ſic è conuerſo ſi pater pueri moritur, mater ipſius pueri poteſt ducere illum compatrem, qui tenuit puerum in Catechiſmo, abſque Summi Pontificis diſpenſatione; ad tollendum enim hoc impedimentum Iuris, ſufficit Epiſcopi diſpenſatio, vt infrà dicetur; quæ non ſufficeret ſi compater teneret puerum, quando verè baptizatur, cum tunc ſit contracta cognatio ſpiritualis, quam ſolus Summus Pontifex tollere poteſt.

Sextò, Votum ſimplex Caſtitatis, vel Religionis eſt impedimentum impediens tantum matrimonium. *Cap. Rurſus, & cap. veniens*, qui Clerici, vel vouentes. Veluti ſi quis votum Religionis, vel Caſtitatis ſimplex fecerit, deindè vxorem duxerit, grauiter quidem peccat, tamen matrimonium validum eſt; impedit enim matrimonium contrahendum, non tamen dirimit contractum, vt infrà clarius dicetur.

Quæres ad quid teneatur vouens, qui post votum simplex Religionis, contraxit matrimonium,

Resp. Teneri inito matrimonio, sed nondum consumato, Religionem ingredi; nam adimpletio voti, adhuc est illi possibilis; Ideò contrahendo matrimonium peccauit. Secundo peccat iterum prima vice petendo, aut reddendo debitum, quia per consumationem matrimonij apponit impedimentum executioni voti, tamen consumato matrimonio, post primam vicem potest petere, & reddere, quia votum Religionis, non est votum Castitatis, & vouens simpliciter Religionem, non tenetur ex vi voti ad castitatem antè susceptam Religionem; Verum tamen est, teneri mortuo altero coniuge ingredi Religionem, quia adhuc potest, & tenetur seruare votum, cuius obligatio per matrimonium præcedens, non fuit extincta, sed suspensa, vel obtinere dispensationem à Summo Pontifice, si non potest contineri. *Bonacina de secundo præcepto Decalogi disp.4.quæst.2.punct.5.§.5.num.5.de matrim.tract.10.par.1.num.351.*

Qui verò habet votum simplex Castitatis, aut virginitatis, tenetur abstinere, non solum ab illicitis actibus venereis, verum etiam à contractu matrimonij, & actibus matrimonialibus, ità *DD.* communiter. Ex quo sequitur obstrictum voto Castitatis simplicis.

Primò, mortalitèr peccare contrahendo matrimonium.

Secundò, peccare contrahendo soluto primo matrimonio; aut ineundo sponsalia, antè obtentam voti dispensationem, nisi fortè sponsalia celebret sub conditione dispensationis.

Tertiò, peccare consumando matrimonium, aut petendo debitum absque dispensatione; Virginitas enim, & Castitas secundum se importat negationem omnis venereæ voluptatis voluntariæ. *DD. infrà citandi.*

Ratione verò paruitatis materiæ, communior *DD.* sententia est, non dari peccatum veniale in materia luxuriæ, nisi tantummodo defectu plenæ aduertentiæ, aut consensus, nam omnis delectatio, & commotio suaptè natura tendit ad pollutionem, & grauiter peccat, qui pollutionem intendit, ità etiam qui delectationem, seù commotionem carnis veneream admittit. *Layman lib.4.tract.5 cap.8.num.2.de voto religiosæ Castitatis, & alij.* Quamquam qui habet votum simplex castitatis, & contraxit matrimonium tenetur reddere coniugi petenti debitum, non verò petere potest, donec obtineat à Papa dispensationem. Ità *Nauarrus cap.16.num.30. Valentia, Azorius, Sanchez, Toletus lib. 4. cap.17. & alij.*

& alij communiter. Soluto verò matrimonio non tenetur ingredi Religionem, nam aliud est votum castitatis, aliud Religionis; quæ est aliud longè difficiliùs, potest tamen si vult; tenetur tamen seruare castitatem. *Bonacina in secundo præcepto Decalogi disput.4.quæst.2.punct.5.§.5.num.1. & seq. & multi DD.ab eodem citati.*

7 Aliud impedimentum impediens matrimonium contrahi tantum, non autem dirimens; Est tempus Feriarum, quo ab Ecclesia interdicuntur nuptiæ, vt ex *Glossa in cap. Cappellanus de Ferijs*.

Tempus autem Feriarum, quo ab Ecclesia nuptiæ interdicuntur; de Iure nouissimo *Concil.Trident.* est duplex, scilicet à prima Dominica Aduentus Domini, vsque ad diem Epiphaniæ inclusiuè, & à prima die Cinerum, vsque ad Octauam Paschatis inclusiuè. *Concil.Trident. sess.24.cap.Ab Aduentu*, licèt aliter erat de Iure antiquo, vt in *Canon.Non oportet 33.il 2.quæst.4.*

Prohibentur nuptiæ his temporibus, ratione maioris deuotionis, ne rebus carnalibus vacetur.

His autem temporibus, quibus nuptiæ sunt prohibitæ ab Ecclesia celebrari; non prohibetur matrimonium de præsenti contrahi coram Parocho, & Testibus, non prohibentur fieri capitula, seù stipulationes matrimoniales; sed tria tantum prohibentur.

Primò, prohibetur Benedictio solemnis nuptiarum.

Secundò, traductio vxoris in domum viri, cum canticis, & musicis.

Tertiò, celebritas conuiuij nuptiarum, estò quod fiat, sine sonis, & musicis; Ità *Caietanus in Summula, Verbo Nuptiarum peccata, Nauarrus cap. 22. num. 71. Couar. in 2. par. de matrimon. cap. 6.*

Et in his tribus rebus prohibitis fieri tempore feriarum, nec Episcopus potest dispensare, quia non est suprà Canones, solus Summus Pontifex dispensare potest; & hæc est communis opinio, quam refert *Sotus in 4.sentent.distinct.32.quæst.1.art.vlt.in fine.*

Si quis in ipsa Quadragesima, vel Hebdomada sancta vellet matrimonium de præsenti contrahere, non prohibetur, & nullum est peccatum; Verùm hodiè Episcopi iustis ex causis prohibent quod tempore feriarum, hoc est tempore prohibito, non fiat matrimonium de præsenti, coram Parocho, & Testibus; Neque sponsalia, neque denunciationes; & ideò omnia hæc prohibentur per vetitum Iudicis Ecclesiastici; & ità in praxi obseruatur.

8 Vltimum impedimentum impediens matrimonium contrahendum, sunt sponsalia priùs celebrata cum alia persona. *Nauarr.*

cap.22.num.76. ratio eſt, quia qui contraxit ſponſalia cum vna perſona, grauem obligationem contraxit ſtandi ſponſalibus; nam ſponſalia ſunt promiſſio matrimonij, quæ obligationem inducunt ſub mortali. Hinc ſequitur ſponſum qui vni promiſit matrimonium, non poſſe matrimonium cum alia inire, niſi diſſoluta fuerint cum cauſa priora ſponſalia. *Bonacina quæſt.3. puncto 14.num.5. de impedimentis non dirimentibus.*

9 Qualem culpam committat contrahens matrimonium cum impedimentibus non dirimentibus.

Reſpondetur cum *Sylueſtro verb. matrimon. quæſt.6. Toleto lib.7. cap.18.* & alijs mortaliter peccare, quia facit contrà prohibitionem Eccleſiæ in re graui; quamuis *Sanchez lib.7. diſput.17. num.9.* & alij ſentiant non peccare mortaliter (præterquam in voto, prioribus ſponſalibus, & interdicto Eccleſiæ) & quod conſuetudine receptum eſſe videatur, vt obſtrictus aliquo ex alijs impedimentis, ſoleat matrimonium contrahere abſque diſpenſatione, neque puniatur, aliter faciendo. Verum ſententia *Sanchez*, & aliorum, admittenda, tantummodò vbi conſuetudo inualuit, vt diſpenſatio dictorum impedimentorum non petatur, nec tranſgreſſores puniantur; ſecus dicendum eſt, vbi lex in ſuo robore eſt, nam lex in materia graui obligat ſub mortali, ità ſentire videtur *Guttierez cap.87.num.23. Reginald.lib.31.num.192. Bonacina de impedimentis matrimonij, eorumq; diſpenſat.quæſt.3.punct.14.num.21.*

10 An Epiſcopus diſpenſare poſſit in impedimentis matrimonij non dirimentibus.

Reſp. In impedimentis non dirimentibus Epiſcopus poteſt diſpenſare (excepto voto Caſtitatis, & Religionis abſoluto, & perfecto, atq; ſponſalibus;) ratio eſt, quia quamuis inferior non poſſit diſpenſare in lege ſuperioris, per ſe loquendo, nihilominus inquit *Nauarrus cap. 22. num. 85. & Filiuccius proximè citandus*, quod conſuetudine receptum eſt, vt diſpenſatio iſtorum impedimentorum, non obtineatur à Papa, *Sanchez, & alij*, quos retuli in caſu ſupradicto *Filiucc. tom. 2. tract. 10. cap. 10. par. 2. num. 305. & 306. Bonac. loco proximè citat. punct 15. num.3. & alij apud eundem Bonacinam.*



De

De Benedictione Nuptiali.

QVÆSTIO VNDECIMA.

SVMMARIVM.

1 *Benedictio nuptialis facienda est à proprio Parocho.*
2 *Pœna imposita alijs Sacerdotibus præsumentibus benedicere.*
3 *An sit peccatum mortale consumare matrimonium antè benedictionem Ecclesiæ, sublato scandalo.*
4 *Vtrum qui semel contraxit matrimonium, & mortuo primo coniuge, aliud matrimonium inijt, teneatur in secundo matrimonio recipere benedictionem.*
5 *An sufficiat Parochus vtriusque contrahentis ad huiusmodi benedictionem dandam.*
6 *An ex partita desumpta ex libro Parochi, etiam mortuis testibus, & Parocho, absque alijs probationibus, plenè probetur matrimonium.*
7 *Quam pœnam incurrat Sacerdos benedictionem secundis nuptijs impertiens, in casu non permisso.*
8 *Monita scitu digna, & valdè vtilia.*

1 PRæterea agendum est de Benedictione Nuuptiali accipienda à proprio Parocho, neque à quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario; sicut *Concil. Trident.* præcipit hanc benedictionem faciendam ab eisdem, vel ab alio Sacerdote, de eorum licentia; non obstante quacunque consuetudine. *Idem Conc. sess.24.de reform.matrim.cap.1.*

2 Si alius Sacerdos sponsos coniungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiù suspensus maneat, quamdiù ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seù à quo benedictio suscipienda erat, absoluatur; præcipit *Concil. Trident. sess.24. cap.1.* Insuper idem Concilium hortatur vt coniuges antè benedictionem Sacerdotalem in Templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent.

3 An matrimonium consumare antè Ecclesiæ benedictionem, sublato scandalo, sit peccatum mortale.

Respondetur, Non esse peccatum mortale consumare matrimonium antè Sacerdotis proprij benedictionem, sublato scandalo, & contemptu legis Ecclesiasticæ, maximè si probabile sit incontinentiæ periculum; atque omninò omittere illam, esse tan-

tantum peccatum veniale, quia est quoddam Sacramentale, quod non apparet tanti magni momenti, quanti sunt ea, quæ baptizando præmittuntur, licèt eius susceptio in iure præscribatur. *Can. Nostrates, & Can. Sponsus* 50.*quæst*.5. tantò magis quod Concilium non hoc iubet præceptiuè, sed hortatiuè, inquiens; Hortatur S.Synodus. *Collectanea Barbosæ In Conc. Trid. sess*.24. *cap*.1. *num*. 149. *Bonacina de ijs quæ pertinent ad vsum matrimonij quæst*.4. *punct*.6.*num*.2. *qui multos Doctores citat*.

Hæc Benedictio non debet fieri, nisi in Missa propria de sponso, & sponsa. Ità resoluit *Aldan. titulo* 8. *num*.31. *vbi asserit decisum in Pisauren*.13.*Iulij* 1630.

4 Sed maior difficultas est, vtrum qui semel contraxit matrimonium, & mortuo primo coniuge aliud matrimonium inijt, teneatur in secundo matrimonio recipere benedictionem.

Respondetur non teneri, etiam si fortè primum matrimonium fuerit inualidum; nam benedictio non respicit nuptias, sed personam; Non negatur tamen quando coniux, qui semel in primo matrimonio accepit benedictionem, possit iterum eam recipere ijs locis, vbi consuetudine receptum est, vt vterque eam recipiat, nam consuetudo potest abrogare legem. *Sanchez verò lib*.7.*disp*.82. *num*. 14. *citat Durandum in* 4. *distinct*. 42. *quæst*. 3. *in fine*, asserentem solum interdici benedictionem, quando sunt secundæ nuptiæ ex parte mulieris, cui semel benedictio impertita fuit, quia quasi tota benedictio videtur respicere mulierem, quare ab ea semel accepta, non debet ampliùs iterari; quoniam si mulier est virgo, & nunquam eam suscepit, quamuis vir sit bigamus, potest benedici; & ita optimè practicatur quasi in omnibus locis, nam hæc ratio Durandi est consona rationi. Quamuis, *Sanchez loc.cit. nu*.24.*& alij asserunt*, consuetudine receptum esse, vt in secundis nuptijs conferatur benedictio, quando alter coniux non suscepit benedictionem. Opinio autem Durandi seruanda est, tamquam tutior, & probabilior.

5 Ad huiusmodi benedictionem dandam, sufficit Parochus vtriusque contrahentis. *Guttierez de matrimonio cap*.106. *num*.8; *&* 9. Verum *Barbosa in Collectanea in Concil. Trid. sess*. 24. *cap*. 1; *& numero* 154. *cum multis DD. existimat*, non esse integrum vtriusque contrahentis Parocho, benedictionem huiusmodi impartiri; sed id esse Parochi mulieris, quia quasi semper matrimonium celebratur in Parochia mulieris, & ad illum spectant eleemosynæ occasione benedictionis, & non ad alterum Parochum viri. Idem *Barbosa loc. cit. asserit, ità fuisse decisum à S. Cong. Rit. in Acherontina* 25. *Ianuarij* 1602.

6 Insu-

6 Insuper *Conc. Trid. sess.* 24. *cap.* 1. præcipit Parochum teneri habere librum, vt suprà diximus, in quo coniuges, Testes, locum, contractus, diem, mensem, & annum describat. Et obligatur sub mortali, propter finem necessarium vitandi lites. *Sanchez lib.* 3. *disp.* 15. *num.* 22. *Guttierez de matrimonio, cap.* 60. *num.* 9. *& alij.* Vnde ex partita desumpta ab hoc libro, etiam mortuis testibus, & Parocho scribente, absque alijs probationibus, plenè probari matrimonium, concludunt præfati DD.

7 Quæritur vltimò quam pœnam incurrat Sacerdos, benedictionem secundis nuptijs impertiens, in casu non permisso.

De hac Re Alexander tertius, *cap. primo de secundis nuptijs, sic statuit,* Cappellanum (quem benedictionem cum secunda constiterit celebrasse) ab officio, beneficioque suspensum, cum literarum tuarum testimonio, ad Sedem Apostolicam, nullatenus destinare postponas; Ait *Glossa*, quædam mulier mortuo viro suo, transiuit ad secunda vota, quidam Cappellanus benedixit mulierem istam transeuntem ad secundum matrimonium. Quæ sententia non est lata, sed à Iudice ferenda, quia non habetur in hoc textu eum Sacerdotem esse ipso facto suspensum, sed præcipitur Episcopo, vt ipsum suspensum remittat absoluendum ad Pontificem.

Tamen sententia verior DD. est, eam suspensionem in *dic. cap.* 1. *de secundis nuptijs*, non esse pœnam ordinariam huius delicti, quando Sacerdos impertiuit benedictionem secundis nuptijs legitimè initis; quare pœnam arbitrariam imponendam esse, attentis circumstantis, quæ grauiùs, aut leuiùs reddunt delictum; Et resoluunt illam pœnam imponendam esse, quando benedictio impenditur secundis nuptijs, nondum dissoluto priori matrimonio, & benedicit in matrimonio clandestino facto. Eadem *Glossa in dic. cap.* 1. *de secundis nuptijs subiungit*, illud intelligitur primà viuente, & sic Sacerdos interesse non debet nuptijs clandestinè factis, multò minus debet illas benedicere. Et DD. infrà citandi inquiunt, Pontificem eam pœnam statuisse in facto illo speciali, nec constitutum ibi ius esse, vt ea sit pœna ordinaria huius delicti, hoc est, benedicendo bis sponsos in matrimonio ligitimè inito. Sic *Abbas in eodem cap.* 1. *num.* 5. *Nauarrus summa Hispan. cap.* 25. *num.* 137. *Sanchez de matrimonio lib.* 7. *disp.* 82. *num.* 30. *qui permultos DD. citat.*

In materia proposita operæ pretium erit aliqua edissere de monitis, quæ dantur ab Ecclesia coniugibus in Missa de sponso, & sponsa, vt in calce Missalis eiusdem missæ; Vbi dicitur; moneat eos Sacerdos sermone graui, vt sibi inuicem seruent fidem; Oratio-

tionis tempore, & præsertim ieiuniorum, ac solemnitatum, casti maneant &c.

De quibus, ità agendum est à Parochis, vt nullum ex eorum ore verbum excidat, quod fidelium auribus indignum esse videatur, aut pias mentes lædere, aut risum mouere queat, vt eloquia Domini, eloquia casta sint. *Psal.* 11.

8 Duo in matrimonij vsu sunt præcipuè obseruanda; Primum, vt voluptatis causa matrimonio non vacent; meminisse enim conuenit, quod Apostolus hortatur, 1. *Corinth.* 7. qui habent vxores, tanquam non habentes sint; Tum quia à S. Hieronymo dictum est, *lib.* 1. *contrà Iouin. in fine, & habetur in cap. origo* 32. *quæst.* 4. Sapiens vir iudicio debet amare coniugem, non affectu; & reget impetus voluptatis, nec præceps feretur ad coitum, nihil est fædius, quam vxorem amare, quasi adulteram; *Et Tobiæ* 6.16.17.*&* 22. Archangelus enim Raphael Tobiam admonuit, quo pacto mali Dæmonis vim posset repellere: ostendam, inquit, tibi, qui sunt quibus præualere potest Dæmonium, ijs namque qui coniugium, ità suscipiunt, vt Deum à se, & à sua mente excludant, vt suę libidini ità vacent, sicut equus, & mulus quibus non est intellectus; Habet potestatem Dæmonium super eos; Deindè subiecit: accipies virginem, cum timore Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus, vt in semine Abrahæ benedictionem in filijs consequaris.

Alterum est, vt abstineant ab officio matrimonij interdum causa orandi, & obsecrandi Deum; Et in primis antequam Sacram Eucharistiam percepturi sunt; Sæpiùs verò cum celebrantur solemnitates ab Ecclesia, scilicet Paschæ Resurrectionis, Pentecostes, Natiuitatis Domini, Corporis Christi, Hebdomadæ sanctæ, & ieiuniorum. *Vide in Decreto* 33.*quæst.*41.*per totum; Et capit. Omnis homo de consecrat. distinct.* 2.

Et Sanctus Augustinus, *sermone* 6.*de tempore*, inquit: Filij diebus Dominicis, vel alijs Anni solemnitatibus geniti, nasci solent leprosi, vel Dæmoniaci, vel alijs infecti morbis; Vndè sanctissimè faciunt coniuges si consilium ab Ecclesia in nuptiali benedictione sibi datum, seruent, diebus Dominicis, & alijs Solemnitatibus, ac ieiuniorum ab vsu matrimonij abstinendo. *Teste etiam Nicolio in verbo Flius num.* 3.

Præterea vir debet diligere vxorem suam; Confirmatur auctoritate Apostoli, *ad Ephesios* 5. 18. 29. 30. Viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua, qui suam vxorem diligit, seipsum diligit; Nemo enim numquam carnem suam odio habuit, sed nutrit,

trit, & fouet eam, ficut & Chriftus Ecclefiam, quia membra fumus corporis eius, de carne eius, & de offibus fuis: Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem fuam, & adhærebit vxori fuæ, & erunt duo in carne vna; Sacramentum hoc magnum eft, ego autem dico in Chrifto, & in Ecclefia.

Ergo viri munus eft, vxorem liberaliter, & honorificè tractare, & meminiffe oportet Euam ab Adamo fociam appellatam effe, cum inquit, mulier quam dedifti mihi fociam. *Genefi* 3. cuius rei caufa aliqui Patres docuerunt, vt ea non ex pedibus, fed ex latere viri formaretur, vt veluti focia tractaretur, non quafi ferua; quemadmodum etiam non ex capite condita eft, vt fe viri dominam non effe, fed viro potiùs fubiectam, intelligeret. *Auguft.* 12. *de Ciuitate Dei cap.* 26. *Hugo de S. Victore in Auguft. fup. Genef.*

Denique conftat, virum effe caput mulieris, vt eft Chriftus Caput Ecclefiæ, & ficut Ecclefia fubiecta eft Chrifto, fic vxor fubiecta eft viro; quod per Apoftolum clarè patet, virum Chrifto, & vxorem Ecclefiæ comparari; Ecclefia enim fubiecta eft Chrifto. *Ephef.* 5. 25. *& ibidem* 24. Ergo vxores debent obedire viris fuis, ficut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eius vocans. *Genefi* 18. 12.

Propterea præcipitur in facris Canonibus, quod mulieres debent velare caput fuum, vt intelligant fe effe viris fubiectas. Vnde per totum *Textum, & Gloffam in decreto caufa* 33. *quæft.* 5. *cap. Hæc Imago. cap. mulierem. Ibi;* Velatur caput, quia non eft Imago Dei, quia eft fubiecta, & non libera, ficut homo; Fecit Deus hominem, ad Imaginem Dei fecit illum. *Genefi* 1. *Et D. Paulus ad Corinth.* 1. *cap.* 11. 7. Vir quidem non debet velare caput fuum, quoniam Imago, & gloria Dei eft; Mulier autem gloria viri eft; Non enim vir ex muliere eft, fed mulier ex viro, etenim non eft creatus vir propter mulierem, fed mulier propter virum. Tum quia præuaricatio eft inducta per eam; Tum etiam propter Angelos, ideft Epifcopos, & Sacerdotes, ob reuerentiam Sacerdotum, ideft ne Sacerdotes in earum faciem intuentes, inuitentur ad libidinem. Tandem Textus concludit, mulierem conftat fubiectam dominio viri effe, & nullam auctoritatem habere, nec docere poteft, nec teftis effe, (nifi in caufa matrimoniali, ad fauorem matrimonij) neque fidem dare, nec iudicare, quanto magis non poteft imperare. *cap.* 33. *quæft.* 5. *Can.* 8. 17. *&* 19. *& Gloffa Ibi.*

PARS SEPTIMA.

De Impedimentis impedientibus, & dirimentibus Matrimonium.

QVÆSTIO DVODECIMA.

SVMMARIVM.

1 *Quænam sint hæc impedimenta.*
2 *Exempla pro intelligentia impedimentorum dirimentium ab initio quoad vinculum; Et post matrimonium quoad Thorum tantum.*
3 *Versus in quibus continentur omnia impedimenta dirimentia.*
4 *Primum impedimentum dirimens est error.*
5 *Declaratur quotuplex est error, & qui errores dirimunt, & qui non dirimunt matrimonium.*

1 IMpedimenta impedientia, & dirimentia matrimonium, multa sunt, de quibus infrà. Ideò priùs nosse oportet, quod hæc impedimenta, ideò appellantur impedientia, & dirimentia matrimonium; quia si matrimonium fuerit contractum de facto, non de iure, interueniente aliquo infradictorum impedimentorum quod ignorabatur, dum posteà scitur, illud impedimentum declarat matrimonium sic contractum ab initio fuisse nullum. Si tamen matrimonium fuit legitimè, & de iure contractum, & posteà superuenerit aliquod impedimentum istorum, hoc impedimentum non dirimit matrimonium, quoad vinculum, sed quoad Torum tantum. Ità, *D. Thomas in addit. 3. par. quæst. 50. art. primo.*

2 Exemplum primi impedimenti declarantis nullum ab initio fuisse matrimonium, est huiusmodi; Petrus contraxit cum Lucretia sua consanguinea in 3. vel 4. gradu inclusiuè, & ignorabatur consanguinitas, dum posteà scitur, tale impedimentum impedit, & dirimit tale matrimonium, & talem contractum, & ab initio nullum fuisse Ecclesia declarat, ex eo quia impedimentum fuit antè contractum matrimonium.

Exemplum secundi impedimenti impedientis matrimonium quoad Torum tantum, & non dirimentis quoad vinculum; Est huius-

huiusmodi; Antonius contraxit matrimonium cum Camilla de iure, & legitimè, & inter eos nullum erat impedimentum; Accidit quod dictus Antonius cognouit carnaliter suam filiastram, seù priuignam, vel sororem germanam, vel consobrinam dictæ Camillę suæ vxoris, ratione cuius copulæ factus est affinis cum ipsa Camilla; Hoc impedimentum superueniens post matrimonium legitimè contractum, efficit vt Antonius prohibeatur cum Camilla rem habere, siuè petere debitum, sed tantum reddere alteri petenti, *vt habetur in cap. Discretionem de eo qui cognouit consanguineam vxoris suæ*, sed quoad vinculum non dirimitur matrimonium, quia adhuc Camilla innocente viuente, aliam vxorem ducere nequit.

Prætereà iste coniux nocens non potest aliam coniugem ducecere mortua illa, quam de præsenti habet, in pœnam sui delicti, *cap. 1. de eo qui cognouit consanguineam vxoris suæ*; Quod si ea mortua, aliam ducat, matrimonium tenet; *vide Glossam in dic. cap. 1. de eo qui cognouit &c. & cap. transmissę eodem titulo. Sanchez lib. 7. disp. 15. D. Thom. in 4. dist. 34. art. 5.* In quo quis peccat, in hoc punitur; Sed talis peccauit contrà matrimonium, ergo debet puniri per hoc, quod matrimonio priuetur. *Et ibidem in corpore ait.*

Dicendum quod si aliquis cognoscit sororem, aut aliam consanguineam vxoris suæ, antè matrimonium contractum etiam post sponsalia; oportet matrimonium separari, ratione affinitatis contractæ ex copula illicita, (quæ vsque ad secundum gradum inclusiuè extenditur.) Si autem post matrimonium contractum, & consumatum; non debet totaliter matrimonium separari; Sed vir amittit ius petendi debitum, nec potest sine peccato petere, sed tantum debet reddere petenti, quia vxor non debet puniri de peccato viri; Sed post mortem vxoris debet omninò manere absque spe coniugij, nisi cum eo dispensetur, propter fragilitatem suam, cui timetur de illicito coitu; Si tamen præter dispensationem contrahat, peccat contrà statutum Ecclesiæ faciens, non tamen propter hoc matrimonium separandum est. *Hæc D. Thomas.*

Notandum quod præfatum impedimentum est ad instar aliorum impedimentorum impedientium, & non dirimentium matrimonium. More & vsu constat, quod huiusmodi incestuosus non indigeat dispensatione Apostolica; Citrà verò dubium potest in eo Episcopus dispensare, sicut in alijs impedimentis non dirimentibus, vt dixi in vltimo dubio in titulo præcedenti, De impedimentis matrimonij tantum impedientibus, *parte 6. quæst. 10.*

Et de hoc incestu loquitur Panorm. cap. 1. *de eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium* . *Et eruditissimus Sotus optimè in* 4. *sentent. distinct.* 37. *quæst. vnica art.* 1. §. *circà hoc*, *&* §. *&* *reuera inquit*; Reuera cum omnes supradicti Canones impedimentorum non sint nisi Conciliorum Prouincialium, nihil mirum, si iam nunc temporis, non tanta eorum habeatur ratio; Etenim fortasse olim in vsu erant, quantum ad forum pænitentiale, vt Confessarij illas pænitentias iniungerent, qui mos iam non viget, propterea *Arg. textus iuxtà Glossam in cap. si quis de eo qui cognouit consanguineam vxoris suæ*, his verbis aduertit; Sed cautè legendi sunt hi Canones, vt optimè admonet Sotus, dum hoc ipsum Decretum interpretatur. *lib.* 4. *sentent. distinct.* 37. *qu.* 1. *art.* 1. *&* 2. Hic enim stylus est, & praxis Curiæ.

Idem Auctor *loc. cit. in* §. *Tandem seq.* ait: Ad pacandas conscientias; Notandum, quod vbi consuetudo etiam perseueret petendi dispensationem, quamuis esset peccatum mortale, absq; illa contrahere; tamen postquam contractum fuerit, nulla opus est dispensatione, quia & matrimonium solidum est.

Præterea idem Doctor inquit *loc. cit.* Animaduertendum etiam est, quod sponsalia de futuro non cadunt sub dispensatione, cum vltrà peccatum mortale, recedendo absque legitima causa, adsit præiudicium tertij; sic etiam in voto simplici Castitatis, vel Religionis, neque Episcopus, sed solus Papa dispensare potest. Post contractum verò poterit Episcopus super petitione debiti dispensare, in eo qui vouit Religionem, vel Castitatem. Idem *Sotus* 4. *sentent. dist.* 37. *quæst. vnica art.* 1. §. *secunda conclusio*.

Totum id quod diximus de incestuoso, qui cognouit consanguineam vxoris suæ, intelligitur de contrahendo matrimonio cum alijs, scilicet mortua sua vxore; quod potest, accedente Episcopi dispensatione. Quando autem vellet contrahere cum alijs consanguineis suæ vxoris, inclusiuè vsque ad illum gradum prouenientem ex copula licita, *iuxtà cap. non debet de consanguin. & Affin.* indigeret dispensatione Summi Pontificis, & si de facto contraheret, matrimonium esset irritum, vt dicemus infra, de impedimento Affinitatis ex copula licita.

3 Impedimenta impedientia, & dirimentia matrimonium, his versibus a DD. annotantur.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen.
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis Affinis, si fortè coire nequibis.

Si

Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis.
Raptaque sit mulier, nec parti reddita tuta.
Hec fócianda vetant, & Connubia facta retractant.
De quibus D. Thomas in addition. 3. par. quest. 50. & sequentibus.

4 Primum impedimentum impediens, & dirimens matrimonium est error, qui enim errat, putat aliud pro alio, vel falsum pro verò. *Can. quamuis distinct. 38. Glossa in Can. vnico 29. quæst.* 1. Ideo error matrimonium impedit, & dirimit.

5 Error autem quadruplex est; Error scilicet Personæ, Fortunæ qualitatis, & conditionis: de quibus omnibus. *Glossa in dic. Canone 29. quæst.* 1.

Error personæ, est impedimentum essentiale matrimonij, & illud impedit, & dirimit, quia errans non consentit, imò decipitur, æstimans falsum pro vero, & aliud pro alio. Ideoque nullum est matrimonium, ex defectu causæ essentialis, scilicet consensus, nihil enim est tam contrarium consensui, quam error. *l. si per errorem ff. de iurisdic. omnium iudic. & dic. Can. 29. quæst.* 1. cum erratur non consentitur, & nisi adsit consensus in matrimonio, deficitur in substantia, nam ipse consensus perficit matrimonium; *cap. tua nos. cap. cum locum de sponsal. l. nuptias de regulis iuris.*

Et vltrà defectum consensus, error personæ impedit, & dirimit matrimonium, ex defectu causæ essentialis ipsius matrimonij, nempè materiæ, quæ est persona ipsorum amborum contrahentium; Et sic in omnibus contractibus ciuilibus, quando erratur in materia, seu in corpore, corruit, & nullus est contractus *l. in venditionibus ff. de contrah. Empt.* Ità in matrimonio, quando erratur in materia, seu in persona, cum qua fit matrimonium, nullum est matrimonium, ex defectu materiæ, siuè corporis.

Et de hoc impedimento erroris personæ, tale est exemplum; Petrus volens contrahere cum Lucretia deceptus fuit, & contraxit matrimonium cum Camilla, quæ erat soror ipsius Lucretiæ, hoc casu quia erratum est in persona, seu in materia, vt dictum est, matrimonium nullum est, ex impedimento erroris personæ. *dic. cap. vnico 29. quæst.* 1.

Error Fortunæ matrimonium non impedit, nec dirimit; veluti, Petrus intelligens Camillam esse ditissimam, illam duxit in vxorem, vel è conuerso, illa illum in virum, & ità inter eos contractum est matrimonium per verba de præsenti, post matrimonium contractum apparuit, vel Petrum esse pauperem, vel Camillam esse inopem; sed quia consensus interuit in vtroque, in-

per-

personam tam hominis, quam mulieris ; Error iste Fortunæ matrimonium non impedit, nec dirimit.

Hæc conclusio ampliatur, vt etiam procedat, & si dolo fuerit alter ex coniugibus inductus ad contrahendum, alioquin non contracturus matrimonium, nisi illa haberet illas fortunas, & diuitias; nam adhuc matrimonium tenet, & valet, nec dirimitur. Ità firmat *Iason*, *&* *Abbas in l. Pacta nouissima C. de pactis*, & ratio est, quia non deest in tali matrimonio consensus in personam, seù in corpus, seù in materiam; Quod secus est in sponsalibus, vt diximus suprà. Est tamen verum quod hic dolus non debet adhiberi, nec à viro, nec à muliere, esset enim peccatum mortale, resultans in præiudicium proximi. *Bonacina de impedimento erroris quæst. 3. punct. 2. num. 6. qui multos DD. citat.*

Error qualitatis, matrimonium non impedit, nec dirimit contractum; veluti Petrus putabat ducere puellam pulchram in vxorem, & duxit deformem, consentiendo in personam mulieris; vel putabat ducere sanam, & duxit claudam, vel infirmam; vel putabat ducere nobilem, & duxit rusticam; vel ducere virginem, & inuenit defloratam; vel ducere legitimam, & inuenit illegitimam: tales errores qualitatis matrimonium non impediunt, nec dirimunt, quoniam contrahens debebat cautiùs se gerere; ideoque matrimonium tenet, & valet. *dic. Can. vnico 29. quæst. 1.* Ità *Couarr. in 2. parte de matrimonio cap. 3. §. 7. Nauarrus cap. 22. nu. 23. in fine*, quod secus est in sponsalibus vt diximus,

Est benè verum, quod quando esset error qualitatis, inter personas valdè disparis qualitatis, & conditionis; veluti fœmina de gente illustri, si contraheret matrimonium cum Rustico, credens illum esse nobilem; hoc casu Summus Pontifex ad euitanda scandala, quia forsitan Rusticus ille occideretur, simul forsan cum sua gente, posset dispensare, & dirimere inter eos matrimonium contractum; dum tamen matrimonium sit solum ratum, & non consumatum; Et quando Papa dispensaret, tunc fœmina alteri nubere posset, & Rusticus ille aliam ducere. Hæc dicit *Nauarrus in Consil. 3. de sponsalibus in nonis, & in Consil. 49. in vetustis Codicibus.*

Capta opportunitate ex præcedenti casu.

Quæritur vtrum Summus Pontifex aliquando iusta ex causa, in matrimonio rato, & non consumato dispensare possit vt dissoluatur; Et quid de eodem rato, per professionem in Religione.

Resp. Matrimonium ratum, posse dissolui per Papæ dispensationem; quamuis ab aliquibus contrà torrentem DD. negatur;

Verum

Verum eorum argumenta facilè dissoluuntur, vt est videre apud *Sanchez tom. 1. de matrimonij essentia lib 2. disp. 14. à num. 1. & seq. & Filiuccium tract. 10. de sacram. matrim. parte 1. num. 54. & sequen.*

Primò, nostra sententia affirmatiua probatur ex praxi Summorum Pontificum; nam *D. Anton. 3. parte tit. 1. cap. 21. §. 3.* affirmat se vidisse Bullas Mart. V. & Eug. IV. qui dispensarunt, *Nauar. sum. latina cap. 22. num. 21.* refert ter vel quater ad petitiones suo consilio Paulum III. & Pium IV. dispensasse. *Caietanus in Opusculis tom 1. tract. 28. de matrim. qu. vnica*, refert suo tempore sæpè Pontifices dispensasse. Et *Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 8. num. 11.* in commento, *lit. F.* refert Greg. XIII. vnica die cum vndecim dispensasse. Idem tenuisse *Rot. non semel refert Pontius de matrim. lib. 9. cap. 3. num. 2.*

Secundò matrimonium ratum non habet omnimodam indissolubilitatem ex ea parte, qua est officium naturæ, nec ex ratione significationis &c. Ergo non est, cur Summus Pontifex, ob Ecclesiæ bonum non possit illud dirimere.

Tertiò Papa dispensat in voto solemni, quod est fortiùs, ergo & in matrimonio rato, quod est minus, cum fiat soli homini, in voto autem, Deo & homini fit promissio. Alias rationes vide apud *DD. suprà citatos*.

Dico prætereà recenseri communiter causas sufficientes ad dispensationem.

Prima, est notabilis disparitas in qualitate, & conditione; matrimonium enim ordinatur ad mutuam amicitiam, & concordiam; hæc autem non est ordinariè, nisi inter pares.

Secunda, grauis timor scandali futuri, vt fornicationis, vel inimicitiarum, id enim cederet in magnum damnum commune.

Tertia, lepra alteri superueniens, sic enim impediretur mutuus corporis vsus, qui est finis matrimonij.

Quarta, assertio alterius coniugum, quod non habuerit animum contrahendi; nisi induci possit ad illum habendum, periculum enim erit inimicitiæ vide *DD. suprà citatos, & etiam Bonacinam de natura, & proprietate matrimonij quæst. 3. punct. 11. de indissolubilitate matrim. num. 4.*

An idem matrimonium ratum sit solubile per professionem in Religione.

Respondeo; Dissolui, ità vt coniux manens in sæculo liberè possit transire ad secundas nuptias. Est de fide, ex multis decre-

tis Pontificum. *cap. ex publico, cap. ex parte, cap. verum de conuerſ. coniug.* Accedit nouiſsimè *Trident. ſeſſ. 24. Can. 6.* Si quis dixerit matrimonium ratum, non conſumatum, per ſolemnem Religionis profeſsionem alterius coniugum non dirimi; Anathema ſit.

Præfatæ propoſitiones intelligendæ ſunt cum duplici limitatione.

Prima, vt qualitas circa quam erratur non fuerit appoſita per modum conditionis; Tunc enim matrimonium inualidum eſſet, E. G. ſi quis dicat duco te in vxorem ſi es diues, vel nobilis, ſi ipſa non eſſet diues, vel nobilis, deeſt qualitas, quæ appoſita fuit tanquam conditio, cuius defectu contractus eſt inualidus; nam contractus vim ſuam habet à voluntate contrahentium. multi DD. apud *Guttierez de matrimonio cap. 89. num. 6. & Sanchez lib. 7. diſp. 18. num. 21.*

Secunda eſt, vt error qualitatis non tranſeat in errorem perſonæ; tunc enim cum erretur circà perſonam, inualidum eſt matrimonium, defectu conſenſus abſoluti E. G. quando qualitas in qua erratur, reſpicit aliquam certam, & determinatam perſonam, diſtinctam ab ea quæ præſens eſt, veluti Lucretia contraxit matrimonium cum Titio, qui ſe fingebat filium Regis alicuius, cuius verè non erat filius; nihilominus Lucretia filium Regis ſibi mente propoſuit, in illumque conſentire directè voluit. In hoc caſu, error qualitatis dicitur redundare in errorem perſonæ, & conſequenter matrimonium contractum inter Lucretiam, & Titium inualidum eſt; Ratio eſt quia Lucretia conſenſit in eam perſonam, quam ſibi in mente propoſuit, ſcilicet filium Regis illius, & non in perſonam Titij præſentis. *Bonacina de impedimento erroris quæſt. 3. punct. 2. num. 6. & 7. Filiuccius tract. 10. part. 2. num. 34. de imped. erroris, & alij ab ipſis citati.*



Se-

Secundum Impedimentum dirimens est Conditio.

QVÆSTIO DECIMATERTIA.

SVMMARIVM.

1 *Hoc impedimentum impedit, & dirimit matrimonium: Et est quando erratur in conditione personæ.*
2 *Quid quando error esset in Natione, familia, & lingua.*
3 *An matrimonium possit esse inter hominem liberum, & mulierem seruam.*
4 *An Domini possint prohibere ne sua mancipia, (quando sunt fideles) contrahant matrimonium, & an peccent prohibendo?*
5 *Impedimentum conditionis, siuè error materiæ quando impedit, & dirimit matrimonium, siuè ratum, siue consumatum.*
6 *Quid si Titius mancipium Christianum, ducit Bertam etiam Christianam, sed liberam, credens eam esse seruam.*
7 *Quid si ingenuus duceret libertinam, credens eam esse ingenuam.*
8 *Cuius conditionem filij sequantur, & quoad seruitutem, & quoad honores, & nobilitatem.*
9 *Vtrum Filius ità sequatur conditionem matris, vt fiat seruus quouis tempore mater fuerit serua.*

1 Secundum impedimentum impediens, & dirimens matrimonium est conditio, scilicet quando erratur in conditione personæ, credens quis ducere liberam mulierem, & posteà inuenit esse seruam, siue ancillam: Vel è conuerso, fœmina libera credens ducere virum liberum, & posteà inuenit esse seruum, siuè mancipium.

2 Si tamen error sit in natione, familia, vel lingua, non impedit, neque dirimit, quia consensus interfuit in corpore, seù materia, & persona. *dic. Canone vnico 29. quæst.* 1. *Nauarrus cap. 22. num.* 32. *&* 33.

3 Potest esse matrimonium inter hominem liberum, & mulierem seruam, siuè ancillam, quando ambo sunt Christiani; nam si vna esset Christiana, & alter infidelis, tunc adesset aliud impedimentum essentiale, scilicet cultus disparitas; de quo suo loco dicetur.

Et ità è cóuerſo poteſt eſſe matrimonium inter hominem ſeruum, & mulierem liberam, quando libera ſcit eum eſſe ſeruum, & è conuerſo quando homo liber ſcit eam eſſe ſeruam, ſeu ancillam. *Abbas in cap. 2. de coniugio ſeruorum*: interueniente ſemper ſcientia ſtatus; Et vt ambo ſint Chriſtiani: vt dictum eſt.

4 Et per hoc, ſi Dominus habens ſeruam, & prohiberet illam contrahere matrimonium cum libero, vel è contrà, cum ambo ſint Chriſtiani, impediendo, vel prohibendo hoc matrimonium, peccaret, non habens in hoc poteſtatem; Cum matrimonium ſit de iure naturæ *D. Thomas in addit. 3. p. quæſt. 52. art. 2.*

5 Hoc conditionis impedimentum, ſiuè error conditionis, tunc matrimonium impedit, & contractum dirimit, ſiuè ſit ratum, ſiuè conſumatum, quando ingenuus, ſiue liber homo, mulierem ſeruam ducit, credens eſſe liberam, & è contrà, quia in ſtatu, & conditione deterioratur, *cap. ad noſtram, & cap. 2. de coniugio ſeruorum*.

Si verò Antonius mancipium Chriſtianum duxerit Liuiam ancillam Chriſtianam, credens eam eſſe liberam, valet matrimonium: & ratio, quia eſt paris conditionis, cum ſit ipſe quoque mancipium, & in conditione ſua Antonius non deterioratur.

6 Quando Titius mancipium Chriſtianum ducit Bertam liberam, credens eam eſſe ancillam, ſi poſteà appareat eam eſſe liberam, matrimoniũ per hoc non irritatur, imò validiſſimum eſt, quià Titius prædictus in conditione ſua non fuit deterioratus, imo melioratus, quamuis errauerit in qualitate prædicta.

7 Petrus ingenuus duxit Camillam libertinam, quæ fuit ancilla, ſed manumiſſa nunc eſt, & ideò dicitur libertina, putans eam eſſe ingenuam, ſi poſteà appareat illam eſſe libertinam, an Petrus poſſit matrimonium dirimere, eo quia in conditione errauerit?

Reſpondeo negatiuè; nam ſolum errauit in qualitate, non in conditione, cum illa libera ſit, licèt libertina; in qua Petrus non eſt deterioratus. Sic è conuerſo, quando fœmina libera ducit maritum libertinum, quia in qualitate ſit erratum, non in conditione; & nulla intercedit inequalitas. *Syluester verbo matrimonium 8. num. 2. circa finem de impedimento conditionis, Henriquez lib. 11. cap. 10. num. 4.* vbi citat *D. Thomam, Sotum, Nauarrum*, vide etiam *Bonacinam de impedimento conditionis quæſt. 2. punct. 3. nu. 3. idem Doctor loc. cit. punct. 2. num. 7.*

8 Cuius conditionem filij ſequantur?

Reſp. ſequi matris conditionem, ità quod filius remaneat ſeruus, ſi mater eſt ſerua. Ità habetur *in l. partum 7. C. de rei vendicat;*

cat; Ratio est quia mater grauida non est satis apta obsequijs Domini sui, & pariendo subit periculum mortis, ergo æquitas postulat, vt Domini qui priuantur obsequijs, & subeunt periculum damni, & incommodi, sentiant commodum ex partu illius, iuxtà illud axioma, qui sentit incommodum, par est vt sentiat commodum. *Guttierez cap. 93. num. 5. Sanchez lib. 7. disput. 24.* qui ait filij semper sequuntur conditionem matris quoad seruitutem, & libertatem, non quoad honores, & nobilitatem; in hoc enim sequuntur patrem. *l. legitimè ff. de statu homin.*

9 Vtrum Filius ità sequatur conditionem matris, vt fiat seruus quouis tempore mater fuerit serua.

Respondeo filium sequi conditionem matris, & esse seruum si mater eius non erat libera tempore conceptionis, vel tempore partus, vel quocunque tempore medio inter conceptionem, & partum; si verò mater erat libera tempore conceptionis, vel partus, vel medio tempore, filius non remanet seruus; vt habetur *Institut. de ingenuis §. sed & si quis*. Vnus casus excipitur ab hac doctrina, videlicet, quando mater grauida fit serua iure belli iusti, in quo casu fętus fit seruus cum matre, quamuis mater tempore conceptionis esset libera. Ità inquiunt *Sanchez lib. 7. disp 24. nu. 14. & Bonacina de impedimentis matrimonij, de conditionis impedimento quæst. 2. punct. 3. num.* 11. Verum id intelligitur quando mulier infidelis prægnans est capta ab infidelibus. Christiani autem capti à fidelibus etiam in bello iusto non dicuntur, neque vocantur mancipia, ob baptismi characteris reuerentiam.

Tertium impedimentum dirimens est Votum.

QVÆSTIO DECIMAQVARTA.

SVMMARIVM.

1 *Quotuplex sit Votum, & quæ differentia sit inter votum solemne, & simplex.*

2 *Quando votum solemne præcedit matrimonium, illud inualidat, idem dicendum de voto simplici, quod emittunt Patres Societatis Iesu, peracto biennio.*

3 *Professio facta in Religione approbata à coniugato dirimit matrimonium, dummodo sit tantummodo ratum, & non consumatum.*

4 *In matrimonio rato tantum, concessum est spatium duorum mensium ad deliberandum de ingressu Religionis, & interim debitum negari potest.*

5 *Excommunicatio in Clementina contrà Religiosos professos contrahendo matrimonium, lata est etiam contrà Moniales professas, & Clericos in sacris constitutos.*

6 *Quid faciendam à Professo, vel Professa, qui nunquam habuerunt intentionem profitendi, & de facto contraxerunt matrimonium.*

7 *Quid agendum quando validè professus, & de facto duxit vxorem, & procreauit filios, & filias, vxore ignorante illum esse professum.*

8 *Si post votum simplex Religionis, quis contraheret matrimonium; An sit validum, & peccet; & si potest petere, vel reddere debitum, & si mortuo altero coniuge, teneatur ingredi Religionem? Et quid agendum ab eo, qui fecit votum perpetuæ castitatis, & contraxit matrimonium?*

9 *Per professionem in Religione approbata dissoluitur matrimonium ratum, & alter coniux potest alteri nubere, hoc intelligitur post factam professionem, non autem per susceptionem habitus, vel si posteà egressus sit. Idem dicendum de militibus professis in Religione Ierosolymitana.*

10 *Quid, si quis post matrimonium ratum, Ordines sacros susceperit, an matrimonium sit solutum, quemadmodum soluitur per Professionem.*

11 *Quid, si matrimonium non solum ratum, sed etiam consumatum præcedit, & subsequitur postea votum solemne professionis in Religione; an matrimonium dissoluatur.*

12 *In quo casu maritus post matrimonium ratum, & consumatum, potest ingredi Religionem, & in ea profiteri, etiam inuita vxore, vel etiam potest sacris ordinibus initiari, adhuc ea inuita, nec teneatur ad matrimonium redire.*

13 *Vtrum validè professus post matrimonium consumatum, dicatur adulterium committere, si copulam habeat cum alia.*

14 *Quid agendum ab eo, qui proficiscens in longinquas regiones, vel in militiam, eius verò vxor nihil audiens de eo, transiuit ad secunda vota, adhuc eo viuente, credens mortuum esse, quando ergo reuertitur hic primus vir quomodo se gerere debeat.*

15 *Vtrum vterque coniux post consumatum matrimonium possit de communi consensu ingredi Religionem, & profiteri, aut continentiam vouere.*

16 *Ro-*

16 *Rogabis. Vtrum quando datur casus, vt alter coniugum possit licitè, & validè Religionem ingredi post consumatum matrimonium, altero remanente in sæculo, quæ conditiones requirantur.*

TErtium impedimentum essentiale impediens, & dirimens matrimonium est votum.

1 Votum duplex est, solemne, & simplex.

Solemne duplex est, professio scilicet regularis in Religione à Sede Apostolica approbata; Et susceptio ordinis sacri *cap. vnico de voto in 6.*

Simplex verò votum dicitur omne id, quod fit, præter hæc duo, quæ diximus in dicto *cap. vnico in 6.* Et semper dicitur votum simplex, estò quod fiat multis solemnitatibus adhibitis, & iuramentis.

2 Igitur sit conclusio. Si quis Professus cuiusuis Religionis approbatæ, contraxerit matrimonium cum omni solemnitate, vltrà excommunicationem in quam incidit ipso facto vxorem ducendo, de qua in Clementina prima de Consanguinitate, & Affinitate, matrimonium nullum est; Quia præcedit votum solemne Religionis, quod matrimonium contrahendum impedit, & dirimit. *Nauar. cap. 22. num. 35. & est communis opinio.*

Sic etiam nullum est matrimonium, quod contraxit Clericus post Subdiaconatum, vel Diaconatum susceptum, eo magis presbyteratum, & incidit in excommunicationem in dicta Clementina prima proximè citata, *Nauarrus loc. cit.* communisque opinio est, de qua nemo dubitat, quando votum solemne præcedit matrimonium; Quamuis in Ordine sacro votum castitatis non fit explicitè, sed implicitè; nam Ordini sacro est annexum votum castitatis, & qui vult antecedens, vult & consequens: Hæc propositio est de fide definita *in Concil. Viennensi, & in Tridentino sess. 24. Can. 9.*

Idem dicendum est de voto simplici, quod emittunt Patres Societatis Iesu, peracto biennio; vt patet ex motu proprio Gregorij XIII. qui incipit *Ascendente Domino.*

3 Professio facta in approbata Religione dirimit matrimonium celebratum antè ipsam professionem, modò matrimonium sit tantummodo ratum, & non consumatum; consequenter coniugatus, si ante consumatum matrimonium, professionem faciat in approbata Religione, remanet liber ab obligatione matrimonij, quod dissoluitur per sequentem professionem. Ita definitum fuit tam in *Tridentino sess. 24. Can. 6. de Sacramento matrimonij, & ab*

Ale-

Alexandro 3. in cap. Verum de Conu. Coniug. quam ab alijs Pontific.
4 Notandum, vtrique coniugi post contractum matrimonium, nondum consumatum, concessum fuisse spatium duorum mensium ad deliberandum de ingressu Religionis, quo tempore vterque coniux potest alteri petenti negare debitum, & licitè potest Religionem ingredi, etiam altero inuito; Elapso verò bimestri, peccat non reddendo debitum petenti. Nihilominus si elapso bimestri Religionem ingrediatur, & indè profiteatur ante consumatum matrimonium, validè profitetur, & matrimonium antecedens dissoluitur, nam matrimonium ratum, & non consumatum dissoluitur per solemnem professionem Religionis approbatæ, quamuis deliberatio ingrediendæ Religionis, facta fuerit post bimestre vt benè ait. *Perez de matrimonio §. 18. Coninch. disp. 26. dub. 4. nu. 49. Sanchez lib. 2. disp. 27. Guttierez cap. 54. num. 19. Bonac. quæst. 3. punct. num. 4. in fine de impedimento voti, & alij communiter.*
5 Excommunicatio supradicta in Clementina prima de Consang. & Affin. lata est contra omnes Religiosos professos in Religione approbata, tam viros, quam fœminas professas in Religione approbata, ideò si Monialis professa contraheret matrimonium, esset inualidum, & incideret in eandem excommunicationem.
6 Si Monialis, quæ nunquam habuerit animum profitendi, sed professa sit metu patris, vel matris, quo casu nulla est Professio, de Monasterio egressa fuerit, & de facto matrimonium contraxerit, eo quod nunquam habuit consensum profitendi, & per consequens matrimonium validum esset, & teneret in foro Poli; tamen quia Ecclesia non iudicat de occultis, & si tale matrimonium toleraretur, magnum scandalum oriretur; Ideo ad hoc, vt matrimonium valeat in foro exteriori, opus est vt fiat declaratio coram Iudice Ecclesiastico, illam nunquam fuisse professam, quia nunquam habuit animum profitendi in Religione, & id quod fecit, egit exterius timore reuerentiali parentum, vel ob minas actas ab eisdem; & donec hæc probentur, Monialis cogi potest redire ad Monasterium ad euitanda maiora scandala, & præcedente declaratione parentum, & ipsius Monialis, & testium si sint, Iudex Ecclesiasticus declarabit illam professionem fuisse nullam, & irritam, & sic poterit in matrimonium redire, sicque scandala euitarentur. Ita *Nauarrus in Can. statuimus 19. quæst. 3. num. 75. & in Consil. 89. de Regularibus num. 2. 6. & 7. Bonacina de Clausura quæst. 2. punct. 10. difficultate prima. num. 1. & sequen.*
7 Quæritur. Monacus professus, vel Clericus in sacris constitutus abiens

abiens in longinquas regiones,matrimonium contraxit cum quadam puella ignorante illum esse Monachum professum , vel Clericum in sacris constitutum , & cum illa procreauit filios , & filias ; deindè ad se reuersus , videns se esse in statu damnationis , & etiam fecisse iniuriam Religioni , siuè Ordini sacro suscepto , optat conuersionem , & Deo seruire toto corde ; In hoc casu quid consulendum , & agendum erit ?

Resp. Priùs erit absoluendus a suspensione ; per Apostasiam , idest per Religionem relictam , vt etiam a peccato sacrilegij contracto per ordinem sacrum relictum . Secundo ab alia excommunicatione , vt habetur in *Clementina vnica de Consang. & Affin. in quam incurrit*. *Nauarrus cap.* 27. *num.*141.

Tertiò , Indiget dispensatione ab Irregularitate . *cap. quotquot* 27. *qu.* 1. quæ irregularitas incurritur etiam antè consumatum matrimonium , vidè infra de impedimento ordinis sacri *num.*16.

Quartò , Opus est , vt suscipiat habitum monachalem .

Quintò , vt testificetur per publicam scripturam , quod talis mulier contraxit cum eo matrimonium , quod nullum fuit , ratione professionis , vel ordinis sacri suscepti , & ideò quod alium virum ad sui libitum ducat maritum .

Sextò , Relinquat filijs omnia bona sua , quæ acquisiuit à tempore Religionis derelictæ vsque ad illum diem ; alia verò bona , quæ antè matrimonium contractum acquisiuit , Monasterio cedunt , & non filijs ; Cæterum si nihil habeat , ad vltra non tenetur . Demum prudens Confessarius illi consulere debet , quod vltrò se præsentet ad Sanctam Inquisitionem , quò illi pij , & Sapientissimi Patres (vt fertur) vltrò sic accedentes benignè suscipiunt , nolentes mortem peccatoris , sed vt magis conuertatur , & viuat , pænitentiasque salutares imponendo ; Cum hic casus spectet ad ipsam Sanctam Inquisitionem . Ita *Ioannes Bernardus Diax de Luco in prax. Criminali cap.* 74.

Apostatæ verò Iure communi excommunicationem non incurrunt propter apostasiam præcisè , ratio est quia ista excõmunicatio in Iure non reperitur; verum in nonnullis Religionibus, ex peculiari priuilegio ipsarum Religionum , sunt excommunicati , vt patet ex priuilegijs Societatis Iesu , concessis a Gregorio XIII. anno 1584. in Bulla 89. *quæ incipit Ascendente Domino* §. 22. *vers. denique* , Vbi Religiosi Societatis deficientes a Religione excommunicantur ipso facto , & Apostatarum pænis subijciuntur , & absolutio istius excommunicationis impendi non potest ab alio, quam a Summo Pontifice , aut a Præposito Generali Societatis :

Sed

Sed potiùs Apostatæ aliarum Religionum non priuilegiatarum, sunt suspensi a susceptione ordinum, & ab exercitio illorum, & requiritur dispensatio Summi Pontificis. *cap. Consultationi de Apostatis. Vgolinus de Irregularitate cap. 36. §. 4. Henriquez. lib. 13. cap. 40. num. 1. & alij relati à Bonacina de Apostasia quæst. 2. punct. 11. §. 4. num. 1. & seq.*

8 Dictum est, quando votum solemne præcedit matrimonium; Resoluendum modò, quando votum simplex præcedit matrimonium; & dicendum: quod si quis fecerit votum simplex ingrediendi Religionem quamlibet, & Religiosus fieri; & postea contrahit matrimonium; Contractus est validus, & firmus, sed contrahens cum isto voto, licèt simplici, mortaliter peccat, cum fecerit contra votum *cap. Rursus*, qui Clerici, vel vouentes, secundo peccant prima vice petendo, aut reddendo debitum; vt supra dixi. *par. 6. quæst. 10. num. 6. circà finem cum DD. ibi citatis.* Cum votum simplex sit impedimentum impediens tantum matrimonium, sed non dirimens; & per hoc deinde poterit petere debitum, & reddere suæ vxori. Aliter dicendum est de Castitate, circa petitionem debiti; verum vouens Religionem, nondum Castitatem vouit, sed postea eam vouebit in professione facienda. *Sotus in 4. sentent. distinct. 37. quæst. vnica art. 1. §. tandem. Nauarrus Consil. 17. num. 8. de Voto lit. D.*

Ille autem, qui fecit votum simplex perpetuæ Castitatis, vel Religionis; Et deinde matrimonium contraxit, quamuis matrimonium si validum, potest tamen reddere debitum, non autem petere, usque ad dispensationem Summi Pontificis. *Nauarr. Consil. 17. num. 6. de voto. litera B. & num. 8. Layman in theologia morali lib. 5. tract. 10. cap. 3. num. 6.* Sed soluto matrimonio, is qui vouit castitatem perpetuam, si superstes sit, seruare tenetur castitatem. Et qui vouit Religionem, soluto matrimonio etiam Religionem ingredi tenetur; In matrimonio enim contracto, & constante, hæc vota remanent suspensa, eoque soluto, vouens ad perficiendum votum tenetur, & quamuis vouens impetrauit dispensationem à Papa; cum hac conditione solet Papa dispensare, vt possit petere debitum, sed soluto matrimonio, vouens adimpleat votum. *Philippus Francus in dicto cap. vnico de voto in 6.*

9 Altera Conclusio. Quando matrimonium præcedit, & subsequitur votum solemne professionis, si matrimonium tantum sit ratum, non autem consumatum, per professionem Religionis dirimitur, ità vt coniux, qui remanet in sæculo cum altero possit matrimonium contrahere. Ità est textus in *cap. Verum, & toto titulo de conuers. coniug.* Exem-

Exemplum est Petrus contraxit matrimonium cum Antonia de præsenti, & illud quidem non consumauit, sed ratum tantum habuit, deinde ingressus est Religionem,& in ea professus est; hoc matrimonium dirimitur per professionem, *dic. cap. Verum de conuersione coniugat.* & Antonia remanens in sæculo, potest alteri nubere.

Hæc autem conclusio intelligitur, vt matrimonium ratum soluatur, & dirimatur per professionem factam in Religione; non enim dirimitur per susceptionem solius habitus, sed opus est vt profiteatur, ad hoc vt matrimonium dirimatur; cum enim professio sit talis potentiæ, vt reddat hominem mortuum mundo, & sicut mors omnia soluit, ità gloriosa mors Religionis hoc matrimonium ratum dirimit,& coniux qui in sæculo remansit,expectare debet professionem alterius coniugis, antè autem nubere, aut vxorem ducere nequit,sed posteà illam licitè potest. Et per hoc si post matrimonium ratum, alter coniux ingressus sit Religionem, nec in ea sit professus, sed egressus sit, matrimonio rato redire tenetur, illudque perficere, sicut per multa *cap. illius tituli de conuers. coniug. Nauarrus in Consil.* 1. *de conuers. coniug.*

Idem dicendum, si quis matrimonium ratum contraxit cum aliqua, deinde factus est Miles Ierosolymitanus, & in ea Religione professus est; matrimonium ratum dissoluitur; & ratio est, quia illa Religio est approbata ab Ecclesia Romana, eisdemque gaudet priuilegijs, quibus professio claustralis gaudet; & hi milites sunt verè religiosi, cum mundo mortui sint, sicut Monachus, etiamsi non viuant in communi, intelligendo semper post factam professionem; hæc refert *Nauar. in Consil.* 2. *de conuers.coniug. Henriquez lib.* 11. *cap.*8. *num.* 6.

10 Quid, si quis post matrimonium ratum ordines sacros susceperit, an matrimonium ratum præcedens sit solutum, quemadmodum soluitur per professionem in Religione approbata à Sede Apostolica?

Respondetur negatiuè, sed matrimonium remanet validum, & ad vxorem illam redire tenetur, cum qua matrimonium ratum præcessit, & priori vinculo stare tenetur. Ità disponitur in *Extrauag. Ioannis* 22. incipiente: *Antiquæ concertationi*, sub titulo *de voto*, & sic testantur communiter DD; nam hoc priuilegium non constat fuisse concessum susceptioni ordinis sacri, sed tantum professioni, ex priuilegio Diuino,quod Ecclesia accepit per Apostolos, & exempla Patrum; Vt testantur communiter DD. *Valentia tomo* 4. *disp.*10. *quæst.* 5. *punct.* 3. *de impedimentis dirimentibus*

bus titulo. Votum. Filiuccius tomo primo tract. 10. par. 2. cap. 7. num. 246. in fine de Sacramento matrimonij pag. 371. qui etiam citat, Couarr. in Epitome libri 4. par. 2. cap. 7. §. 4. num. 9.

11 Tertia Conclusio, quid si matrimonium non solum ratum, sed etiam consumatum præcedit, & subsequitur posteà votum solemne professionis in Religione; Quæritur an matrimonium dissoluatur.

Respondeo, quod matrimonium consumatum remanet validum, nec dissoluitur, imò professio nulla est; cum matrimonium ratum, & consumatum præcedat professionem, & mulier quæ remansit in sæculo potest cogere virum suum, qui habitum monachalem susceperit, & professionem fecerit in Religione, vt relinquat habitum, & ad matrimonium redeat, eumque cogere per citationem Episcopi, ad redeundum ad matrimonium iam ratum, & consumatum. Et hoc votum solemne professionis, remanet simplex, cum nulla sit professio; & cum remaneat simplex, operatur, quod mortua vxore, cum qua matrimonium contraxerat, & deinde fecerat professionem, redire teneatur ad professionem Religionis. Sed si mortua vxore, aliam de facto ducat, secundum matrimonium validum est, sed peccat, cum præcedat votum simplex, quod matrimonium impedit tantum, sed non dirimit; indigeret tamen dispensatione Summi Pontificis de præfato voto simplici, antequam contraheret, & sic non peccaret; obtenta dispensatione, *cap. Rursus qui Clerici, vel vouentes. cap. Vxores, cap. Placet de conuers. coniug. Nauarrus Consil. 5. eodem titulo, cum Iuribus relatis, & DD. ab eo citatis.*

12 An maritus in aliquo casu post matrimonium ratum, & consumatum possit ingredi Religionem, & in ea profiteri, etiam inuita vxore, vel etiam possit Sacris Ordinibus initiari, adhuc ea inuita, nec teneatur ad matrimonium redire.

Resp. Tunc posse, quando vxor adulterium commisit, intelligendo hoc, si præcedat declaratio Iudicis Ecclesiastici, per quam declaratur virum posse Ordines sacros suscipere, vel in Religione profiteri, propter adulterium commissum ab vxore sua.

Sed si constet notoriè de adulterio, non indigeret supradicta declaratione Iudicis Ecclesiastici; Et in hoc casu matrimonium dissoluitur per ingressum Religionis, vel Sacri Ordinis susceptionem. Matrimonium tàmen quoad vinculum tantum remanet validum, & mulier in sæculo relicta, durante vita viri, alium virum ducere non potest in matrimonium, & id, ad euitandas fœminarum malitias, ne adulterium commissum reportatet eis commo-

modum. *Abbas in cap. Discretionem de eo, qui cognouit consang. vxoris suæ, & est textus in Can. Agatosa 27. quæst. 2.* Ità quoque potest mulier profiteri, si vir est notorius adulter. *Abbas in cap. Cum sis de conuers. coniug. num.* 4. Fallit hæc regula, scilicet quando maritus dederit causam adulterij, vtpotè quia ipse fuit leno adulterij commissi à sua vxore; nam tunc non potest ea inuita profiteri Religionem, vel Sacrum Ordinem suscipere, cum culpa sua commissum sit adulterium. *Nauarrus loco proximè citandus*;

13 Vtrum qui validè professus est post matrimonium consummatum, dicatur adulterium comittere, si copulam habeat cum alia.

Resp. Affirmatiuè. Ratio est quia cum per professionem non dissoluatur matrimonium quoad vinculum, sequitur Religiosum coniugatum comittere adulterium, eo quod carnaliter cognoscat aliam personam distinctam à propria vxore, & dicatur facere contra fidem præstitam in matrimonio. *Bonac. de impedim. matrim. quæst. 3. punct. 4. num. 13. qui alios DD. citat.*

14 Quæritur Petrus contraxit matrimonium cum Camilla, & consumauit, deindè progressus est ad bellum, in quo per multos fuit annos, & vxor nihil audiuit de marito suo, & credens eũ mortuum esse, secundum contraxit matrimonium, quo contracto, & consumato; Petrus reuertitur de bello; Quid agendum in hoc casu valdè frequenti?

Respondetur quod Petrus potest recipere suam vxorem, repellendo secundum virum, cum matrimonium secundum nullum fuerit; Si verò nollet amplius manere cum vxore, posset Sacros Ordines suscipere, vel Religionem profiteri, etiam vxore inuita, nec potest illum cogere, cum adulterium publicè commiserit, quamuis ignoranter: *Nauarrus infrà proximè citandus*.

Nec est eadem ratio de eo qui dedit causam adulterio vxoris; nam in precedenti casu, quando maritus fuit leno adulterij, potest ei obijci, quod ipse fuit causa proxima adulterij; cum sua culpa, & causa fuerit commissum adulterium. Non ità in hoc casu in viro qui fuit in militia, qui tantum fuit causa remota; Sed lenocinium est causa proxima ad adulterium. *Nauarrus Consil. 4. de conuers. coniug. cap. discretionem de eo qui cognouit consang. vxoris suæ.*

15 Vtrum vterque coniux post consumatum matrimonium possit de communi consensu ingredi Religionem, & profiteri, aut continentiam vouere?

Resp. Posse, vt patet tum ex *cap. qui vxorem 33. quæst. 5. & ex multis alijs iuribus relatis à Sanchez lib. 7. disp.* 34; tum quia vterque potest cedere Iuri suo, quod habet circà matrimonium.

Bonacina loc. cit. de impedimento voti num. 11.

16 Rogabis,quando datur casus, in quo alter coniugum possit licitè & validè Religionem ingredi post consumatum matrimonium, altero remanente in sæculo, quænam conditiones requirantur?

Resp. cum multis DD. & Iuribus infrà citandis, in casu prædicto, qui absque dubio dari potest, requiri tres conditiones.

Prima vt manens in sæculo sit prouectæ ætatis E. G. Sexagenarius ità vt à periculo incontinentiæ credatur ratione ætatis abesse, non autem ratione virtutis; Ex quo patet non posse vnum coniugem ingredi Religionem, quando alter coniux iuuenis vult in sæculo remanere.

Secunda conditio est, vt manens in sæculo emittat votum continentiæ; Vnde validam esse professionem vnius coniugis, factam de licentia spontanea alterius, qui post matrimonium consumatum, manet in sæculo cum voto castitatis, modò antè professionem non fuerit licentia reuocata, inquit, *Sanchez lib.* 7. *disput.* 33. *num.* 2. & ratio est, quia iura non irritant huiusmodi professionem, quamuis requirant, vt manens in sæculo votum castitatis emittat, vt patet ex *cap. Cum sis, & cap. vxoratus de Conuers. coniug.*

Tertià conditio est, vt interueniat licentia Episcopi, non quidem de necessitate professionis, sed de præcepto obligante sub mortali, vt ait *Rebellus lib.*3.*quæst.*4.*num.* 18. *cum agatur de re graui Henriquez lib.* 11. *cap.* 8. *num.* 9. *Coninchus disp.*25. *dubio* 6. *Bonacina de impedimentis matrimonij quæst.* 3. *punct.* 4. *num.* 11. *& seq.*

Quartum Impedimentum dirimens est Cognatio.

QVÆSTIO DECIMAQVINTA.

Pro cuius intelligentia, sciendum est quod Cognatio triplex est, spiritualis, legalis, & naturalis.

Cognatiò spiritualis est illa, quæ contrahitur per Baptismum, & Confirmationem; vt toto hoc titulo de Cognatione spirituali.

Cognatio legalis est illa, quæ contrahitur per adoptionem, vel arrogationem, vt in toto titulo de cognatione legali.

Cognatio naturalis est, quæ contrahitur per parentelam sangui-

guinis, vt toto titulo de cognatione naturali.

Cognatio igitur spiritualis, de qua nunc agendum est; Est impedimentum impediens, & dirimens matrimonium, quando ipsa Cognatio spiritualis præcedit ipsum matrimonium, vt in *cap. Veniens, cap. Martinus, cap. Super de Cognatione spirituali*.

SVMMARIVM.

1 *Inter quas personas hæc Cognatio spiritualis contrahatur.*
2 *Ponuntur exempla ad maiorem intelligentiam.*
3 *An requiratur intentio in contrahenda cognatione spirituali, & ponitur exemplum.*
4 *Quot personæ possint suscipere infantem in Baptismo & in Confirmatione.*
5 *An qui mittit Procuratorem ad suscipiendum infantem contrahat cognationem, vel illam potiùs contrahat ipse Procurator.*
6 *In confirmatione adhibendus est, vnus tantummodo Patrinus.*
7 *An contrahatur cognatio, quando supplentur solemnitates.*
8 *Vtrum cognatio spiritualis contrahatur inter susceptores.*
9 *Quænam requirantur ad contrahendam cognationem spiritualem.*
10 *Vtrum cognatio sequens post matrimonium contractum, impediat petitionem debiti.*
11 *An requiratur contactus in suscipiente, seù tenente in Baptismo, vel in confirmatione, & si est necesse vt Patrini respondeant in Catechismo, vel in Baptismo.*
12 *Ad quos spectat designare Patrinos.*
13 *Quæ sint Patrinorum partes, quidque ab illis exigatur.*
14 *Quæ ætas in Patrino requiratur.*

1 HÆc cognatio spritualis contrahitur inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem; Inter tenentem, & tentum, & patrem, & matrem baptizati.

Cognatio quoque ex confirmatione contrahitur, inter confirmantem & confirmatum, illius patrem, & matrem, ac tenentem, & tentum, illius patrem, & matrem. *Concilium Tridentinum sess. 24. de reformatione matrimonij, cap. 2.*

2 Exemplum. Ioannes tenuit in baptismo, vel Confirmatione Antoniam filiam Petri, & Camillæ, deinde mortuus est Petrus vir Camillæ; Ioannes vellet ducerem in vxorem Camillam; An possit.

Respondetur negatiuè, & si de facto contraheret matrimonium, esset nullum; Cum cognatio spiritualis illud impediat, & contra-

ctum

ctum dirimat. Sic etiamsi dictus Ioannes vellet ducere ipsam Antoniam, quam tenuit in baptismo, vel Confirmatione, nec etiam posset, cum adsit cognatio spiritualis impediens, & dirimens matrimonium.

Si verò Ioannes vellet ducere Lucretiam sororem Antoniæ, quam tenuit in baptismo, vel confirmatione, hoc est, etiam filiam Petri, & Camillæ, potest hodiè liberè ducere, quicquid sit de Iure antiquo antè *Conc. Trid;* Nam solum iam prohibetur Ioannes ducere eam quam tenuit in baptismo, vel confirmatione, & matrem ipsius baptizatæ, vel confirmatæ.

Quid si Ioannes tenuit in Baptismo, vel Confirmatione Franciscum filium Petri, & Camillæ; Deinde Ioannes mortuus est, & etiam Camilla vxor Petri; Et Petrus, vel Franciscus vellet ducere in vxorem coniugem Ioannis mortui, qui eum tenuit in Baptismo, vel confirmatione, an possit?

Respondetur, quod de Iure antiquo nullo modo poterat, nec pater Francisci, nec ipse Franciscus, verum de Iure nouissimo. *Concil. Tridentini*, distinguitur hoc modo; vt si in Baptismo interuenit etiam vxor Ioannis mortui, vt commater, & tunc procedit, quod disponitur de Iure antiquo; nam cum inter vtrumque sit contracta cognatio spiritualis, neuter potest illam ducere in vxorem. Sed si illa vxor Ioannis in Baptismo non tenuit Franciscum, tunc Franciscus potest ipsam ducere in vxorem, ac etiam pater eius, (nisi pater, vel filius aliquem filium ipsius vxoris Ioannis in Baptismo, vel confirmatione tenuissent;) Et Ratio est, quia cum solo Ioanne fuit à patre Francisci, & à Francisco contracta cognatio spiritualis, cum hic actus baptismi, & confirmationis personalem requirat præsentiam, & contactum, *Concil. Trid. loc. cit.*

3. In cognatione spirituali contrahenda requiritur intentio contrahendi hanc cognationem, vel saltem gerendi munus patrini, aliàs si hæc intentio defuerit non contrahitur cognatio. Et ideò si puer quinque annorum, qui nondum peruenerit ad vsum, & annos discretionis, non intelligens quid agat, tenuerit alterum puerum in Baptismo, vel confirmatione, cum eo non contrahitur cognatio spiritualis, quia illud quod agit, non intelligit, non habens rationis vsum. *Abbas in cap. Veniens de cognatione spirituali, l. In omnibus, l. Consensu, ff. De action. & obligat.* Occasione huius.

Quæritur quidam dubitans quod Petrus haberet rem cum propria vxore, rogauit Petrum, cum vxor eius pepererit filium, vt

vt eum teneret in Baptismo; Petrus libenter se velle tenere obtulit, verum in mente habuit se nolle habere vllam intentionem contrahendi cognationem spiritualem, ne impediretur cum illa rem habere, & ità fecit. Vtrum Petrus si habeat rem cum illa, vltrà adulterium, incestum committat; & an illam mortuo viro possit in vxorem ducere?

Resp. Quod si Petrus habuerit intentionem faciendi, quod faciunt patrini, estò quod in mente habuerit non contrahendi cognationem spiritualem, nihilominus ipsam contraxit, quia posita causa ponitur effectus; accessorium enim sequitur principale, & qui vult principale, vult etiam accessorium; nam cognatio dependet ab officio patrini, illique est adnexa ex statuto Ecclesiæ, & per consequens, si habuit intentionem gerendi munus patrini eam contraxit, & si cum illa posteà rem habeat, vltra adulterium, incestum committit, & mortuo viro illam in vxorem ducere nequit, cum contracta sit cognatio spiritualis.

Si tamen Petrus non solum non habuit intentionem contrahendi cognationem spiritualem, sed nec etiam faciendi quod faciunt patrini, sed solum illum puerum tenuit in baptismo, ac si non tenuisset, & tantum materialiter interuenit non formaliter, vel vt rem gratam faceret patri illius pueri, cum hac fictione; tunc nullam contraxit cognationem spiritualem in foro Dei, per regulam: Actus agentium non plus operantur, quam consensus fuerit; *l. Non omnis ff. si certum petatur.* Verum tamen Petrus magnum sacrilegium commisit, fingendo in Sacramentis Ecclesiæ speculum, *art. 56. Coninchus disp. 32. dub. 2. num. 28. Reginaldus lib. 30. num. 155. Filiuccius num. 191; & alij apud Sanchez lib. 7. de cognatione spirituali disp. 58. num. 4.* Tamen in foro fori reputabitur pro Compatre, quia Ecclesia non iudicat de occultis.

4 Et si de Iure antiquo plures mares, & plures fœminæ poterant puerum in baptismo tenere, omnesquæ contrahebant cognationem spiritualem; Hodiè verò tantum vnus, vel vna, vel ad summum vnus, & vna possunt tenere puerum in baptismo, & hi tantum contrahere possunt cognationem spiritualem. *Concil. Trid. in cap. Docet sess. 24. de reformat. matrimonij.*

5 An qui mittit Procuratorem ad suscipiendum infantem contrahat cognationem, vel illam potiùs contrahat ipse procurator.

Resp. iuxtà *Sanchez lib. 7. disp. 59. num. 4. & 5. Reginaldum lib. 31. num. 156. Filiuccium tract. 10. par. 2. cap. 5. quæst. 7. num. 192. & alios;* Cognationem nec contrahi ab ipso mittente; nec à Procuratore. Iuxtà verò *Toletum lib. 7. cap. 4. Perez, §. 43. fol. 269; & alios*

alios

alios contrahitur ab ipſo Procuratore, modò ipſe intendat contrahere.

Sed mihi probabiliùs dicendum videtur cum *Bonacina de impedimentis matrimonij, qu. 3. punct. 5. §. 2. nu. 34 Rebell. qu. 6. nu. 12. Galeto verbo cognatio. Verallo decif. 147. par. 3. Rota decif. 533. in antiquis, & in nouis decif. 669. Emmanuel sà. Coninch. & alijs, apud Ledeſma q. 56.* Cognationem contrahi à mittente, non verò à Procuratore: Ratio eſt; tum, quia quę agit Procurator, non agit proprio nomine, ſed nomine mittentis; Illi imputantur acta per Procuratorem facta; nam qui per alium facit, per ipſum facere cenſetur. *Regula 72. de regulis Iuris in 6;* tum quia ipſe fuit deſignatus, non verò Procurator; demum praxis, & conſuetudo ità obſeruat.

6 Aduertendum eſt in confirmatione adhibendum eſſe vnum tantummodo Patrinum, *dic. cap. finali de cognat. ſpirit. in 6;* quamuis in baptiſmo poſſint duo adhiberi, vnus ſcilicet maſculus, & alter fœmina. *Bonacina de matrimonio, quaſt. 3. punct. 5. §. 2. num. 31.*

Romæ verò pro Sacramento Confirmationis, cum ſumma prudentia, & ſapientia Superiores ſolent per edicta publicare, quando adminiſtrandum eſt in die Pentecoſtes, & per ſequentes feſtiuitates, ne audeant tenere in dicto Sacramento, niſi maſculus maſculum, & fœmina fœminam; Et finis eſt ad euitanda tot matrimonia inualida, poſteà enim obliuiſcebantur illorum, quos in Confirmatione tenuerunt, & ignoranter contrahebant matrimonia: Sed in maſculis, & maſculis, fœminis, & fœminis, euitatur hoc periculum, ſaltem inter ſuſcipientem, & ſuſceptam.

Si tamen per ignorantiam Parochi plures tenuerunt puerum in baptiſmo, & ſic vltrà numerum determinatum à *Concil. Trid;* tunc omnes erunt compatres, & commatres, & cognationem contrahent ſpiritualem omnes deſcripti in libro baptiſmi, qui fuerint deſignati à parentibus, & admiſſi à Parocho, & ſimul tenuerum puerum; omnes enim plenum actum fecerunt ſuſcipiendi puerum in baptiſmo; & in hoc caſu recurritur ad Ius antiquum, *ad textum in cap. vltimo de cognat. ſpirit. in 6.* Textus enim præfatus non fuit reuocatus in hoc à Concilio Tridentino, citato in predicto caſu. Ità inquiunt, *Bonacina de impedimento cognationis ſpiritualis quaſt. 3. punct. 5. §. 2. num. 25. Sanchez lib. 7. diſp. 57. num. 13. Nauarrus cap. 22. num. 39. in fine, Henriquez lib. 17. cap. 11. num. 3. & alij ab ipſis citati,* ſed Parochus ab ordinario puniri poteſt: Ego autem in hoc caſu conſulerem Sac. Congreg. Concilij.

7 An contrahatur cognatio, quando ſupplentur ſolemnitates.

Reſp. Quando puer ob neceſſitatem eſt domi baptizatus, & in Eccle-

Ecclesia supplentur solemnitates, non contrahitur cognatio ab eo, qui illum suscipit in Ecclesia, quia non dicitur susceptor in baptismo, cum baptismus anteà fuerit administratus; Verum in eo casu contrahitur impedimentum Catechismi, quod non dirimit matrimonium, sed tantum impedit, tamen in huiusmodi casu Parochus debet in libro, in quo nomina Patrinorum referuntur, scribere hunc non fuisse patrinum in baptismo, sed tantum in Catechismo. *Sanchez lib. 7. disp. 10. num. 13. Guttierez cap. 84. n. 7. & alij.*

8 An cognatio spiritualis contrahatur inter susceptores?

Resp. Negatiuè; nullo enim Iure constat, huiusmodi cognationem induci inter susceptores; Propterea si vir & vxor simul alienum puerum de Sacro fonte suscipiunt, non cotrahunt inter se cognationem, consequenter non priuantur iure exigendi debitum. Ità *Nugnus 3. par. quæst. 67. art. 8. propè finem. Filiuccius tract. 2. cap. 7. quæst. 9. num. 162; & alij communiter.*

9 Quænam requirantur ad contrahendam cognationem spiritualem.

Primò requiritur, vt teneatur infans in baptismo, propterea quando puer est domi baptizatus, & in Ecclesia supplentur solemnitates, non contrahitur cognatio spiritualis in catechismo, vt suprà diximus.

Similiter si puer esset verè domi baptizatus, & aliquis Parochus ignarus re baptizaret iterum; In hoc secundo baptismo non contraheretur cognatio spiritualis à susceptoribus; Ratio est, quia secundus baptismus non est verus baptismus, iuxtà regulam *Iuris 52. in 6.* Non præstat impedimentum, quod de Iure non sortitur effectum. *Sanchez & alij infrà citandi.*

Si verò dubium sit de priori baptismo, & infans rebaptizaretur sub conditione; cum non constet vtrum baptismus anteà collatus fuerit validus, & fieri possit, vt secundus baptismus sit validus, non existente primo valido, consequenter impedimentum cognationis oritur ex secundo; cum Ecclesia præsumat cognationem. *Sanchez lib. 7. disp. 62. num. 5. Guttierez cap. 100. num. 9. Filiuccius tract. 10. cap. 5. quæst. 7. num. 197.*

Secundò requiritur, vt suscipiens puerum in baptismo illum teneat, quando baptismus solemniter administratur; Propterea suscipiens puerum in baptismo priuatim administrato, non contrahit cognationem spiritualem; Ratio est, quia Ecclesia instituit susceptores solum in baptismo solemni, non verò in priuato. Vt constat ex *Tridentino sess. 24. cap. 1. Sanchez lib. 7. disput. 62.*

 num.

num. 14. *Bonacina de impedimento cognat. spirit. loc. cit. num.* 11; *&* *infrà* .

Verum tamen est baptizantem priuatim contrahere cognationem spiritualem, consequenter laicus baptizans in extrema necessitate priuatim, sine aliqua solemnitate, contrahit cognationem spiritualem, siuè baptizans fuerit vir, siue fœmina; Ratio est, quia laicus in eo casu confert verum baptismum. Ità *Sanchez loc. cit. num.* 10. *Bonacina quæst.* 2. *punct.* 5. §. 2. *num.* 11. *in fine eodem titulo* .

Aduertendum est, Iure positiuo quasdam personas prohiberi, quo minus suscipiant hoc munus patrinorum; Nam primò cauetur ne sint Abbates, aut Monachi, aut Moniales, atque ideò Religiosi. Id patet ex *Can. Non licet primo de Consecrat. distinct.* 4. *Et Eugenius Papa in Can. Placuit il* 2. 16. *quæst.* 1. *præcipit, & monet his verbis*: Monachus sit in Claustro suo contentus; quia sicut piscis sine aqua caret vita, ità sine Monasterio Monachus; sedeat itaque solitarius, & taceat; quia mundo mortuus est, Deo autem viuit; agnoscat nomen suum, Monos enim Græcè, Latinè est vnus; Achos Græcè, Latinè tristis sonat. Indè dicitur Monachus, idest vnus tristis; Sedeat ergo tristis, & officio suo vacet. *Summa Syluestrina verbo baptismus* 5. *quæst.* 5.

Ex dictis infertur quod si pater baptizaret filium propriç concubine, in necessitate,nõ potest posteà cum ea matrimonium contrahere; nam batizando contraxit cognationem spiritualem, etiam cum matre filij baptizati. *Guttierez loc. cit. num.* 12. *Sanchez loc. cit. num.* 11. *Henriquez lib.* 11. *cap.*12. *Nauarrus cap.* 22. *num.* 40. *in fine, & alij communiter eodem titulo.*

10 Vtrum cognatio spiritualis sequens post matrimonium contractum impediat petitionem debiti.

Respondeo distinguendo, aut baptizauit proprium filium in necessitate, aut extrà necessitatem; Si baptizauit in necessitate quando non aderat alius, qui illum baptizaret, alioquin erat periculum, vt filiùs discederet sine baptismo, tunc non priuabitur Iure petendi, vel reddendi debitum; probatur tum ex *cap. Si vir de cognatione spirituali*; tum quia necessitas caret lege, ergo excusat à pœna legis; tum quia æquum non est, vt quis subeat pœnam priuationis debiti absque sua culpa, ex eo quod satisfecit suæ obligationi. Si vero scienter baptizauit extrà necessitatem, priuatur iure petendi, quando aderat alius, qui hoc munus obiret; tenetur tamen reddere debitum petenti. *Cap. Si vir de cognat. spirit.* Ratio cur non possit petere est, quia contraxit cognationem spi-

ſpiritualem cum propria coniuge, dummodo ſcienter hoc fecerit, ſecus ſi ignoranter. Ratio cur teneatur reddere petenti eſt, quia æquum non eſt, vt alter innocens abſq; ſua culpa priuetur Iure ſuo. *cap. diſcretionem de eo qui cognouit &c*: Ità *Reginaldus lib. 31. n. 291. Valentia tomo 4. diſp. 4. quæſt. 2. punct. 3. ad finem de miniſtro baptiſmi. Henriquez lib. 2. cap. 28. Emmanuel Sà verbo baptiſmus num. 15. ad finem, & alij*.

11 Requiritur contactus, ità vt ſuſcipiens, ſeu tenens verè dicatur ſuſcipere, ſeù tenere; Vnde qui tantummodo aſsiſtit baptizato, vel confirmato, ipſumque non tangit, vel ipſum tangit tantum extremitate digiti, non contrahit cognationem; eo quod verè non dicatur tenere, vel ſuſcipere, vt patet ex iuribus citatis, & ex *Cong. Card.* Ità *ſpeculum prima parte art. 56. Concluſ. 7. Henriquez lib. 12. cap. 11. num. 3. Bonacina de impedimentis matrimonij, quæſt. 2. punct. 5. §. 2. num. 14; & propriè de impedimento cognationis ſpiritualis.*

Non eſt tamen neceſſe, vt patrini reſpondeant, dum fit Catechiſmus, vt inquiunt, *Reginaldus num. 150. Coninchus num. 33. eodem titulo, & alij*; quamuis valdè conueniat, vt ſaltem quando Sacerdos dicit; Vis baptizari; Reſpondeant, volo; Sed non eſt neceſſarium, quia iura loquuntur, & mentionem faciunt tantum de ſuſceptione; Ergo qui ſuſcipit de Sacro Fonte contrahit cognationem, etiamſi non reſpondeat. *DD. citati, & Sanchez lib. 7. diſp. 56. num. 10.*

12 Ad quos ſpectat deſignare patrinos?

Reſpondeo ſpectare ad Parentes, vel alios qui curam pueri habent; & quando parentes, vel àlij ad quos ſpectat deſignare patrinos, non deſignarunt, pertinet ad Parochum eos deſignare, vt baptiſmus iuxtà cæremonias Eccleſiæ celebretur; hoc etiam poteſt euenire in confirmatione, quando parentes non deſignarent patrinum, Epiſcopus illum deſignet. *Coniuchus loc. cit. num. 3. Sanchez diſp. 57. lib. 7. Reginaldus lib. 31. num. 153. ad finem*.

13 Quæ ſint patrinorum partes, quidque ab illis exigatur?

Catechiſmus Romanus de Sacramento baptiſmi *pag. 145. n. 28.* inquit: hoc munus adeò negligenter in Eccleſia tractari, vt nudum tantum huius functionis nomen relictum ſit; quid autem Sancti in eo contineatur, ne ſuſpicari quidem homines videantur. Hoc igitur vniuersè ſuſceptores ſemper cogitent, ſe hac potiſſimum lege obſtrictos eſſe, vt ſpirituales filios perpetuò commendatos habeant; atque in ijs quæ ad Chriſtianæ vitæ inſtitutionem ſpectant; Curent diligentur vt illi tales in omni vita præ-

N 2 beant;

beant, quales eos futuros esse solemni cæremonia spoponderunt.

Et *S. Augustinus sermone* 163. de tempore, & *sermone* 215. Vos, inquit, antè omnia tam viros, quam mulieres, qui filios in baptismo suscepistis, moneo, vt cognoscatis fideiussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de Sacro fonte suscipere, & idem subiungit: At profectò decet maximè eum qui aliquod officium suscipit, in eo diligenter exequendo nunquam defatigari; Et qui se alterius pædagogum, & custodem professus est, minimè pati illum esse desertum, quem solum in fidem, & clientelam suam recepit, donec illum opera, & præsidio suo egere intellexerit. Quæ autem filijs spiritualibus tradenda sunt, paucis verbis idem Augustinus comprehendit, cum de hoc ipso susceptorum officio loqueretur, inquit enim, debent eos admonere, vt castitatem custodiant, iustitiam diligant, charitatem teneant, & antè omnia Symbolum, & orationem Dominicam eos doceant, Decalogum etiam, & quæ sint prima Christianæ Religionis rudimenta. Hæc autem etiam habentur in *cap. Vos autem de consecrat. distinct.* 4.

14 Quænam ætas in patrino requiratur?

Resp. Puerum cuiuscunque ætatis posse esse legitimum susceptorem, & contrahere cognationem suscipiendo, modò vsu rationis gaudeat; Ratio est, quia est capax huiusmodi cognationis, & potest habere sufficientem intentionem suscipiendi de Sacro fonte, seu faciendi quod faciunt cæteri Patrini. Secus dicendum est, si careat vsu rationis; tunc enim non potest habere sufficientem intentionem. *Sanchez lib. 7. disput. 61. num. 4. & alij apud Bonacinam de impedimentis matrimonij, de cognatione spirituali, quæst. 2. punct. 5. §. 2. num. 17.*

De Cognatione legali.

QVÆSTIO DECIMASEXTA.

SVMMARIVM.

1 *Quænam conditiones requirantur, vt aliquis possit adoptare?*

2 *Cognatio legalis vsque ad quem gradum impediat, & dirimat matrimonium?*

3 *Quando plures extranei adoptati sunt ab vno adoptante, an possint contrahere matrimonium inter se?*

4 *An adoptatus possit inire matrimonium cum filia illegitima adoptantis?*

5 *Vtrum*

5 *Vtrum contrahatur legalis cognatio quando aliquis non habens filios; ob deuotionem, siuè charitatem suscipit filiam alicuius, in Christo filiam?*

6 *Quæ circumspectio habenda sit ab ordinarijs in his susceptionibus faciendis, vt dicitur pro charitate, siuè cæremonia?*

1 IMpedimentum Cognationis legalis, Adoptio, & Arrogatio, habetur in toto titulo de Cognatione legali, estque impedimentum impediens, & dirimens matrimonium.

Quænam autem conditiones requirantur, vt aliquis possit adoptare?

Respondeo ex institutionibus de adoptionibus has conditiones requiri. Prima vt adoptans sit sui Iuris, & maior 25. annorum; nam Iure communi, nisi sit in ea ætate, non habet administrationem bonorum, exceptis castrensibus, vel quasi; Dixi Iure communi, nam Iure particulari, non idem tempus requiritur vbique; vt in Regno Neapolitano, sufficit si sit in ætate 18. annorum completorum.

Secunda est, vt adoptans non sit fœmina; nam fœmina non potest adoptare absque priuilegio. *Institut. loc. cit. §. fœminæ.*

Tertia, vt adoptans habeat potentiam naturalem ad generandum; nam instituta fuit adoptio, ad supplendum defectum liberorum. Hoc intelligitur ex defectu naturali, vt sunt *Frigidi l. 2. de adoptionibus*. Non verò secti gladio, aut facti Eunuchi per morbum, cum isti sint impotentes tantummodo ex accidenti, non ex defectu naturali.

Quarta, vt adoptans adeò sit prouectæ ætatis, vt excedat adoptatū decem, & octo annis, vt possit esse quasi Pater carnalis adoptati. His positis quilibet potest adoptare, etiamsi sit Sacerdos, & quilibet potest adoptari, dummodo sit præsens; Nam absens non potest adoptare neque adoptari. *l. neque*, *l. post mortem §. finali de adoptionibus*. Vbi etiam habetur adoptionem non posse fieri per Procuratorem. *Sanchez lib. 7. disp. 63. eodem titulo.*

2 Vsque ad quem gradum cognatio legalis impediat, & dirimat matrimonium?

Resp. Primò inter adoptantem, & adoptatum, & descendentes adoptati vsque ad quartum gradum. *Can. Ità diligere 30. quæst. 3.*

Secundò inter Vxorem adoptantis, & adoptatum, & inter Vxorem adoptati, & adoptantem. *l. Adoptiuus ff. de ritu nuptiarum.*

Ter-

Tertiò inter filios adoptantis, & adoptatum, seù adoptatam, (dum filij sunt sub patris potestate) *cap. 1. extrà de Cognatione legali, & DD. communiter.*

3 Quando plures Extranei adoptati sunt, ab vno, eodemque adoptante, possunt adoptati inter se matrimonium facere. *Emmanuel Sà de matrimonio num. 16.*

4 Præterea adoptatus potest inire matrimonium, cum filia illegitima adoptantis inquiunt. *Sanchez lib. 7. disp. 63. num. 36; & alij.*

5 In aliquibus locis, vt plurimum non habentes filios, suscipiunt aliquam filiam alicuius in Christo; hæc susceptio non est adoptio, & cognatio legalis, quæ fit seruatis seruandis, nempè coram Principe, vel Magistratu, vel alijs ad quos spectat, & alijs solemnitatibus adhibitis; Nam hæc susceptio in Christo, est cæremonia quædam, & vsus ob deuotionem, nec contrahitur inter eos legalis cognatio. *Abbas in dicto cap. vnico de cognatione legali num. 3.*

6 In huiusmodi vero susceptione in Christo, Ordinarij inuigilare deberent, Susceptores esse grauis ætatis, & anteà fuisse morigeratos; Alias hæc susceptio fieri non debet; Diabolus enim sæpè per hanc cæremoniam, & charitatem exteriorem, suggerit stupra, multaque mala inter suscipientem, & susceptam, &c. & vbi acceptata fuit pro filia in Christo, fieret serua peccati. Ità *DD. Monent.*

De Cognatione Naturali, siuè Consanguinitate.

QVÆSTIO DECIMASEPTIMA.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit Cognatio Naturalis, siuè consanguinitas?*
2 *Declaratur Definitio.*
3 *Rationes quare inter Consanguineos matrimonium sit prohibitum.*
4 *Cognatio Carnalis, siuè Consanguinitas constat lineis, & gradibus.*
5 *Quid est linea, & quotuplex est?*
6 *Declarantur lineæ.*

7 De-

7 *Declarantur gradus.*
8 *Declaratur linea Collateralis, siuè transuersa.*
9 *Regulæ ad computandos Consanguinitatis gradus.*
10 *Differentia inter Ius Canonicum, & Ciuile circà computationem graduum.*
11 *Quando contractum est matrimonium cum omnibus solemnitatibus, si posteà detegatur aliquod impedimentum, quod scitur tantum ab vno solo consanguineo coniugum, & ipsimet coniuges manent in bona fide, nec fama surrexit de hoc impedimento; An Iste debeat admonere Coniuges, vel Parochum, vt detegatur tale impedimentum?*
12 *Vtrum sit obligatio detegendi, & denunciandi impedimenta Matrimonij?*
13 *Vsque ad quem gradum inter Consanguineos matrimonium sit prohibitum?*

1 HÆc Cognatio naturalis, siuè Consanguinitas, quæ matrimonium impedit, & dirimit, & inter matrimonij impedimenta primum tenet locum, quia frequentiùs hoc impedimentum Cognationis, siuè consanguinitatis euenit, quam cætera impedimenta. *Couarr. in 2. parte de matrim. cap. 6. §. 6. sic definitur.*

Est vinculum personarum ex eodem stipite propinquo descendentium, carnali propagine contractum. *D. Thomas in addit. 3. par. quæst. 54. art. 1.*

2 Dicitur vinculum, idest colligatio, & ligamen sanguinis, loco generis.

Dicitur personarum tam hominum, quam fœminarum.

Dicitur descendentium, quia descendunt ex eodem stipite, eodem trunco, siuè principio.

Dicitur stipite propinquo, non remoto; quia cum omnes simus filij Adam, omnes sumus Consanguinei, vtpotè descendamus à stipite remoto, hic stipes non attenditur, sed proximus, & ideò dicimus stipite propinquo.

Dicitur carnali propagatione contractum, ad differentias cognationis spiritualis, vel legalis, de quibus supra dictum est.

Hæc Cognatio Carnalis, siuè Consanguinitas, est impedimentum impediens, & dirimens matrimonium. Vndè si Titius duxerit vxorem Lucretiam sibi consanguineam in quartu gradu, nullum est matrimonium, & si scienter fecerit est excommunicatus. Vt in *Clementina prima de Consang. & Affin.* Si tamen est sibi Consanguinea in quinto gradu, matrimonium valet. *cap. Non debet de Consang. & Affin. & Concil. Trid. loc. cit. & præcipuè in*

cap.

cap. quinto. Si quis seß. 24. Vltra quartum gradum non prohibetur matrimonium. *cap. Non debet de Consanguin. & Affin.*

3 Ratio autem quare inter Consanguineos matrimonium sit prohibitum, vsque ad quartum gradum inclusiuè, multiplex est, per *D. Augustinum in Can.* 1. 35. *quæst.* 5. & *D. Thom. in* 2.2. *qu.*154. *art.* 9.

Prima ratio est ad maiorem honestatem, quæ à consanguineis debetur suis consanguineis. *Vt Leuitici cap.* 18. *Et est textus in cap. literas de restitut. spoliat.* & ibi, *Glossa*; quia natura ipsa abhorret patrem cum filia, & filium cum matre matrimonio iungi & copulari; Et *D. Thomas suprà citatus ad* 3. *arg.* ait (referens auctoritatem *Philos. lib.9. de historia Animalium cap.*47. *tom.*4.) quod quidam Equus, quia deceptus fuit, vt matri commisceretur, seipsum præcipitauit, quasi præ horrore; eo quod etiam animalibus aliquibus inest naturalis reuerentia ad parentes.

Secunda ratio est; quia sufficit amicitia contracta ex consanguinitate, ad conseruandam pacem, & concordiam in Republica inter eos, quam Deus vult, & desiderat; Ideò si adderetur aliud, Exteri restringerentur quo ad pacem, quæ cum omnibus esse debet, vt fiant vnanimes.

Hinc infertur; quod si quis faciat suscipere in baptismo filium suum à fratre (quod quidem potest facere, & non peccat,) tamen non bene facit, quia sufficit vinculum fraternitatis inter eos, ad pacem seruandam; nec illud vinculum compaternitatis fit cum fratre cum illa decentia, qua fit cum Extero; Ideò parentes ab extraneis suscipere faciant.

Tertia ratio est, ad euitandum maiorem libidinis ardorem; quia cum frater, & soror naturaliter se diligant, si adderetur amor, qui est ex commixtione venerea, fieret nimius ardor amoris, & maximum libidinis incentiuum, quod castitati repugnat. *D. Th. loc. cit. in corp.*

Quarta ratio est, ad remouendum commercij impedimentum, & cohabitationem; quoniam si frater sorori copulari posset in matrimonium, mater non relinqueret, nec relinquere posset filiam suam tutam cum filio, & per hoc impediretur fidelitas, & cohabitatio: Et ideò ad hæc euitanda, matrimonium prohibitum est, ac propterea vxorem ducturus, non de facile ducit consanguineam in 2. vel 3. gradu.

4 Cognatio hæc carnalis, siuè consanguinitas constat lineis, & gradibus; vt toto titulo de gradibus cognationis, & præsertim *l. Iuris Consultus ff. de gradibus* §. *hactenus institut. de gradibus*.

5 Linea

5 . Linea dicitur Series parentelæ, & ordo cognationis dic. *l. Iuris Consultus*: Et triplex est, Ascendentium, Descendentium, & Transuersalium.

6 . Linea ascendentium est hæc, Pater, Auus, Proauus, Abauus, Attauus, & Tritauus.

Linea descendentium hæc est, Pater, Filius, Nepos, Pronepos, Abuepos, & Atnepos.

Linea Transuersalium inter Collaterales hæc est, filius fratris, filia fratris, frater, & soror, Nepos ex parte fratris, Neptis ex parte sororis, & sic de singulis.

Linea autem alia masculina, & alia fœminina est; Alia paterna, & sic masculina, alia materna, & sic fœminina. *Can. ad sedem. Can. Parentelæ* 35. *quæst.* 5.

7 Gradus verò in cognatione carnali, siuè consanguinitate, dicuntur ad imitationem scalarum, ascenditur enim per gradum vnum, & descenditur per eundem gradum. §. *hactenus instit. de gradibus*, veluti per Patrem, Auo, Abauo; & Proauo, & sic de singulis ascendimus.

Descenditur verò per Patrem, filio, Nepti, & Pronepti, & sic deinceps per modum graduum scalarum descenditur.

Ascenditur à genitis ad genitores, quærendo illorum stipitem. Descenditur à Genitoribus ad genitos, vt anteà dixi.

Exempli gratia Caius habet filios, nepotes, pronepotes, abnepotes, omnes istæ personæ constituunt lineam.

Gradus verò est distantia, seù mensura, qua cognoscitur quanta sit distantia inter Caium, & filios, vel nepotes &c. Vtrum scilicet sint in primo, an in 2. vel 3. vel 4. gradu ad modum scalæ.

Qui quatenus ascenditur ad stipitem, dicitur ascendentium, quatenus autem descenditur ad Sobolem à stipite procedentem, dicitur descendentium, & hæc appellatur linea recta, quia continet directos gradus.

8 Tandem est alia linea Collateralis, seu transuersa, in qua continentur personæ, quæ ex latere, & ex transuerso iunctæ sunt, à quibus nos non ducimus originem, nec ipsæ à nobis, & tamen ab eodem stipite, & sanguine descendimus, vt fratres, & eorum filij.

Hæc autem linea Collateralis, siue Transuersa est duplex; quædam æqualis, nimirum in qua continentur gradus Consanguineorum æquè à stipite distantium, vt sunt duo fratres, aut duorum fratrum filij. Alia verò inæqualis, nempè quando Consanguinei transuersi, seù collaterales distant inæqualiter à communi

ſtipite, in quo vniuntur, vt contingit in Patruo, & Amita reſpe-ctu conſobrini, diſtat enim conſobrinus ab illis in 2. gradu diſpari, quod Patruus & Amita diſtent à communi ſtipite, nempè ab Auo conſobrini, in quo proximè vniuntur in ſolo primo gradu, vtpotè qui eius filij ſunt, & conſobrinus diſtat ab Auo in 2. gradu, tamquam eius nepos.

Stipes, ſeù Truncus eſt perſona illa, à qua omnes perſonæ de quarum coniunctione tractatur deſcendunt, & originem ducunt; vt conſtat ex *Can. Ad ſedem, & ex Can. Parentelæ 35. quæſt. 5.*

9 Triplex autem ſolet aſſignari Regula ad computandos conſanguinitatis gradus.

Prima traditur pro linea recta, duæ aliæ pro tranſuerſa.

Prima regula eſt, quando perſona, cuius gradus quæritur, eſt in linea recta aſcendentium, & deſcendentium cum alia, ſi inter ipſam, & alteram perſonam, nulla perſona mediet, ſunt illæ in primo gradu conſanguinitatis lineæ rectæ; vt ſunt parentes & filij; ſi verò inter ipſas; aliqua perſona, aut multiplex mediet, tunc numeratis omnibus perſonis medijs, & extremis demetur de numero illo vna perſona, ſcilicet ſtipes, ſeù Truncus, & quot perſonæ reſtant, tot ſunt gradus; Verbi gratia Nepos diſtat ab Auo in 2. gradu lineæ rectæ, quia ſunt duæ perſonæ extremæ, nimirum Nepos, & Auus, & vna media inter ipſas, nempè Pater nepotis, & ità dempta vna, ſcilicet Auo, manent duæ, & ſic ſunt duo gradus; Pater ergo cum filio ab ipſo deſcendente, conſtituit primum gradum, & propterea ipſe filius, cum altero filio, qui ab ipſomet procedit, conſtituit alterum gradum; Iam igitur inter has tres perſonas, ſcilicet Auum, Patrem, & Neptem dantur duo gradus, & conſequenter tot ſunt in hac linea computandi gradus, quot ſunt perſonæ procedentes, vna ſemper dempta, hoc eſt ſtipite, ſiuè trunco.

Secunda Regula eſt pro linea Collaterali, ſiuè tranſuerſa æquali; quot perſonæ ſunt, in hac linea æquali, eodem gradu diſtant inter ſe, quo diſtant à communi ſtipite, vt duo fratres diſtant inter ſe, in primo gradu, quia in eo diſtant à proximo ſtipite, in quo coniunguntur, qui eſt Parens. Filij duorum fratrum ſunt conſanguinei in 2. gradu, quia in eodem coniunguntur in commune ſtipite vtriuſque proximo, qui eſt Auus.

Tertia Regula pro linea tranſuerſa inæquali eſt, quoties perſonæ in hac linea diſtant inæqualiter à communi ſtipite, eo gradu diſtant inter ſe, quo remotior diſtat à ſtipite. Vt Patruus, & filius ex fratre diſtant inæqualiter ab Auo, in quo vniuntur, ille ſci-

ſcilicet patruus diſtat in primo gradu ab Auo, eſt enim eius filius, hic verò filius ex fratre diſtat in 2. vtpotè eius Nepos, diſtabant igitur inter ſe in ſecundo conſanguinitatis gradu, dempto ſtipite, ſcilicet Auo; ſic traditur expreſsè in *cap. finali de conſang. & affin.*

10 Sciendum in hac graduum computatione, in linea recta Ius Canonicum concordare cum Iure Ciuili, ac proin dè patet, Regulam Iuris Ciuilis vtriuſq;computationi deſeruire,hoc eſt, etiam Iuri Canonico.

In computatione verò gradnum in linea Collaterali tranſuerſa Ius Canonicum non concordat cum Iure Ciuili,quia Canonicum computat gradus modo tradito, propter matrimonia, & quia hæc non poſſunt niſi inter duas perſonas conſiſtere, idcircò duas perſonas in vno gradu conſtituit; ſed leges Ciuiles numerant gradus, vt hæreditas ab vna perſona ad alteram deferatur, & ideò in ſingulis perſonis ſingulos perficiunt gradus: ità colligitur ex *Authentica de hæred. ab inteſt. venien. collatione 9.*

In materia de gradibus conſanguinitatis, & affinitatis, ac etiam de contractibus meus lector in Iure Ciuili Neapolitanus aſſerebat in illis quaſi magis ſcire vetulas; in his plus Mercatores, quam Iuriſperitos.

Idem Doctor pro Tyronibus hanc Regulam faciliorem tradebat; vt fieret computus ex digitis vtriuſque manus; primi digiti, qui vocantur polices, ſunt pater, & mater, hoc eſt ſtipites, qui non ſupputantur; ſecundi digiti, qui appellantur indices, ſunt filius & filia, qui ſunt in primo gradu conſanguinitatis; digiti medij, ſunt Nepos, & Neptis, & ſunt in ſecundo gradu; digiti anulares ſunt pronepos, & proneptis, & ſunt in tertio gradu; digiti auriculares, qui ſunt abnepos, & abneptis, ſunt in quarto gradu, & ſic aberrari non poteſt.

11 Dubitatur, quando contractum eſt matrimonium cum omnibus ſolemnitatibus, ſi poſteà detegatur aliquod impedimentum, quod ſcitur tantum ab vno ſolo conſanguineo coniugum, qui manent in bona fide, nec fama ſurrexit de hoc impedimento; An qui ſcit debeat eos admonere, vel Parochum vt reueletur tale impedimentum?

Reſp. Negatiuè, quia poſt matrimonium contractum, nemo tenetur admonere proximum de impedimento occulto, ignorato à coniugibus; neque Parochum, quia coniuges ſunt in bona fide, & eos admonendo conſtituerentur in mala fide. Parochus etiam ſi ſolus id ſciret poſſet admonere, vt obtineant diſpenſationem

O 2 a Sac.

à Sac. Pænitentiaria, si speretur fructus, & interim non petant debitum, neque reddant. *Nauarrus cap. 22. num. 83. in fine, & Consil. 10. de sponsalibus in nouis, & Consil. 41. de sponsalibus in antiquis.*

12 Vtrum sit obligatio detegendi, & denunciandi impedimentum.

Resp. Affirmatiuè, modò conscij impedimentorum possint hoc facere absque graui suo incommodo, & absque aliorum scandalo, & hoc verum est, etiamsi impedimenta sint occulta, nec probari possint, & ità tenentur denunciare, præmissa tamen priùs correctione, si ex ea speretur fructus; quia in hoc casu non agitur de pęna infligenda alteri, sed de vitando damno spirituali ipsorum contrahentium, & de eorum filiorum illegitimatione. Et etiam si quis sciret ex auditu a persona fide digna, seu graui, cui meritò sit fides adhibenda; (& hic solus potest impedire matrimonium, donec in contrarium aliter probetur) secus si audiuit a persona nihil certum sciente, vel si non meminit a qua persona audierit. Ita *Sanchez lib. 3. disp. 13. num. 7. Barbosa in Concil. Trident. in Collectanea sess. 24. cap. 1. num. 34. Bonacina de matrimonio quæst. 2. punct. 6. num. 20. Nauarrus cap. 22. num. 83.*

13 Vsque ad quem gradum inter consanguineos matrimonium sit prohibitum?

Resp. Quod de Iure antiquo hæc prohibitio durabat vsque ad septimum gradum, quæ prohibitio fuit tempore Iulij primi Summi Pontificis anno Domini 340. & de ea est *tex. in Can. Primo gradu 35. quæst. 5.* Sed hoc fuit commutatum per Innocentium tertium anno Domini 1200. & fuit statutum, vt inter consanguineos, matrimonium non possit consistere vsque ad quartum gradum inclusiuè. *cap. Non debet de Consang. & Affin.* & ità hodie seruatur in praxi, ac etiam statutum est nouissimè per *Concil. Trident. sess. 24. Can. tertio de matrimonio. Bonacina de impedimento cognationis naturalis quæst. 3. punct. 5. §. 1. num. 7.*



PARS

PARS OCTAVA

De Dispensationibus:

QVÆSTIO DECIMAOCTAVA.

SVMMARIVM.

1 *An Episcopus possit dispensare in matrimonio contrahendo intrà gradus prohibitos.*
2 *An Summus Pontifex possit dispensare in primo gradu ascendentium, descendentium, & Collateralium siuè Transuersalium.*
3 *Quid requiritur, vt dispensatio sit valida, sicut qualibet alia dispensatio.*
4 *Quæ sint causæ iustæ, propter quas obtineri potest dispensatio à Summo Pontifice.*
5 *Declarantur supradictæ causæ.*
6 *In secundo gradu Consanguinitatis, an dispensetur.*
7 *Quid intelligatur in Tridentino nomine magnorum Principum.*
8 *An hoc Decretum Tridentini procedat in impedimento publicæ honestatis.*
9 *Quæ differentia sit inter subreptionem, & obreptionem.*
10 *Est differentia inter præscripta gratiæ, & præscripta Iustitiæ.*
11 *Potestas delegata potest committi expresso solo proprio nomine delegati, aut solo nomine dignitatis, aut vtroque, & hæ differentiæ declarantur.*
12 *An commissio facta Vicario Episcopi sub nomine dignitatis transeat eo mortuo vel amoto ad successorem.*
13 *Dispensatio commissa Officiali, vel Vicario Episcopi, an possit per Episcopum, eo Officiali remoto, expediri.*
14 *An literæ Apostolicæ, in quibus datur facultas dispensandi in impedimentis matrimonij, re integra, per mortem Papæ expirent.*
15 *Duodecima Regula Cancellariæ super re prædicta.*
16 *An valida sit dispensatio matrimonialis obtenta à Sede Apostolica super impedimento consanguinitatis, vel Affinitatis, non expressa copula, seu incestu.*
17 *An copula incestuosa aperienda sit, si habita fuerit sub spe faciliùs obtinendæ dispensationis, vel ab vtroq; coniuge, vel solum ab altero.*

18 *Quid*

18 *Quid si haberet quis copulam cum Consanguinea, vel Affine, quæ non fuit completa; An hæc copula exprimenda esset in libello supplicationis dispensationis.*

19 *Notabile in hac materia.*

1 QVæritur an Episcopus possit dispensare in matrimonio contrahendo inter gradus prohibitos.

Resp. Quod in nullo gradu prohibito consanguinitatis potest dispensare, nec etiam affinitatis vsque ad quartum gradum inclusiuè, cum hæc prohibitio vsque ad quartum gradum, sit facta per Sacros Canones. *cap. Non debet eodem titulo,* Episcopus verò non est supra Canones. *cap. Dilectus*, ibique *Abb. de tempor. Ordinan.*

Imò nec etiam Cardinalis potest dispensare in matrimonio, intra gradus prohibitos contrahendo. *Couarr. in 2. par. de matrimonio cap. 6. §. 10.*

Imò etiam nec Episcopus potest dispensare, vt interim dum venerit dispensatio à Summo Pontifice, vt tactus,& oscula sint licita inter sponsos,inter quos matrimoniũ cum dispensatione erit contrahendum; & in hoc casu esset particeps peccati mortalis, cum hæc sint prohibita, quando adest impedimentum impediens & dirimens.

Oscula verò & amplexus, quando nullum subest impedimentum in matrimonio, inter sponsos sunt licita, dummodo non adsit pollutionis periculum, & vlterioris consensus in delectatione, sed tantum fiant per beneuolentiæ modum. Vide quę diximus suprà *quæst. 3. num. 4. Nauar. cap. 14. num. 18. in fine.*

2 Quæritur an Summus Pontifex possit dispensare in primo gradu ascendentium, descendentium, & Collateralium, siuè Transuersalium.

Resp. Negatiuè; quia primus gradus est impedimentum de Iure naturæ, siuè Diuino, supra quod non est Summus Pontifex; & est communis opinio. DD. *in cap. Gaudemus de diuortijs, & est textus in l. Nuptiæ consistere non possunt ff. de ritu nuptiarum. Sotus in 4. distinct. 40. quæst. 1. art. 3. & 4.*

In 2.3. & 4. gradu transuersali nullus dubitat, quin possit Summus Pontifex dispensare,quia illi tres gradus sunt Iuris positiui, supra quod est Summus Pontifex. *Can. Cuncta per Mundum 9. qu. 3. & cap. Proposuit de concess. præbendæ.*

An autem matrimonium possit consistere in linea recta descendentium, & ascendentium; ità quod si Adam viueret, posset suam

ſuam deſcendentem in 5. vel 6. gradu ducere in vxorem. Communis eſt opinio quod matrimonium non conſiſteret, nec poſſet conſiſtere, quia in infinitum matrimonium eſt prohibitum inter aſcendentes, & deſcendentes; *Inſtitut. de nuptijs. Syluester in verbo matrimonium num.* 8.

Sed hæc communis opinio eſt in abſtracto; tum quia non poteſt habere locum, ità quod quis ducat ſuam deſcendentem in 5. vel 6. gradu, nam receſſerunt tempora, quibus homines ſexcentis, & octingentis annis viuebant; tum etiam quia *textus in dicto cap. Non debet*, indiſtinctè loquitur in omni linea, vt vſq; ad 4. gradum incluſiuè matrimonium ſit prohibitum, ergò indiſtinctè intelligendus eſt. *Sotus in 4. ſenten. diſtinct.* 40. *quæſt.* 1. *art.* 4. Nec obſtant contraria, quia loquuntur de Iure Ciuili, quod in materia noſtra nihil attenditur, ſed Ius Canonicum; & ſic procedit *text. in dic. cap. Non debet.*

3 Quid requiratur vt diſpenſatio ſit valida, ſicut quælibet alia diſpenſatio.

Reſp. Requiritur, vt cauſa propter quam impetratur ſit iuſta, alioquin non erit diſpenſatio, ſi iniuſtè obtineatur; ſed diſſipatio. *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 5. *& eſt textus in Can. diſpenſationes* 1. *quæſt.* 7. Eſt benè verum, quod ſi Summus Pontifex vellet ſine mentione cauſæ diſpenſare, tam in hac materia, quam in alia, facere poſſet, & diſpenſatio valeret in omni foro, cum ſufficiat pro iuſtitia, & ratione voluntas eius; quæ ſemper præſumitur iuſta. *Suarez lib.8. de diſpenſationibus diſp.* 9.

Sed diſpenſatio Epiſcopi opus eſt, vt ſit fundata in cauſa iuſta, & expreſſa in diſpenſatione; alias non valet. Ratio diuerſitatis eſt, quia Epiſcopus non eſt ſupra Canones, ſed Summus Pontifex eſt ſuprà illos. *Nauarrus cap.* 25. *num.* 74.

Ex quo infertur; ſi Summus Pontifex beneficium alicui, quem ſcit iure humano incapacem, confert, ſine mentione diſpenſationis, cenſetur illum facere habilem. Quod nequit facere Epiſcopus; Niſi quando Epiſcopus id faciat circà ſuam Conſtitutionem Synodalem; tunc enim diſpenſatio eius ſine expreſſione cauſę facta, valet. *Nauarrus loc. cit.*

4 Cauſæ iuſtæ propter quas obtineri poteſt diſpenſatio a Summo Pontifice, in his conſanguinitatis impedimentis, ad tria capita reduci poſſunt, ſcilicet.

Prima eſt incompetentia Dotis.

Secunda cauſa iuſta eſt, extinctio magnæ litis, & inimicitiarum.

Ter-

Tertia causa iusta est, angustia loci, de quibus. *Nauarrus cap. 22. num. 87.* & idem *in Consil. 5. & 6. de Consang. & Affin. in antiquis, & Consil. 13. 14. & 15. eodem tit. in nouis*. Aliàs si falsum exponendo pro vero, vel verum non fatendo, fuerit impetrata dispensatio a Sede Apostolica circà gradus prohibitos, nulla est dispensatio.

5 Prima causa iusta impetrandi dispensationem a Summo Pontifice est in competentia dotis; veluti si puella nobilis habens paruam dotem, secundum qualitatem suam, non inuenit virum paris conditionis, nisi consanguineum in 3. & 4. gradu, qui illam velit ducere in vxorem cum illa parua dote; in hoc casu impetratur dispensatio a Summo Pontifice, quia iusta causa adest impetrandi, nempè dotis incompetentia; Nec tenetur accipere virum inferioris conditionis cum illa parua dote, licèt mille inueniat, nec etiam tenetur quærere virum extrà suam Vrbem paris conditionis, si non velit exire de patria sua. *Nauarrus infrà citandus, & alij*.

Imò ampliatur ista Conclusio, quod etiam procedat, estò quod mulier habeat dotem competentem, & per hoc posset ducere virum paris conditionis in Ciuitate; Tamen nullus vult illam in vxorem, ex aliquo corporis defectu, nisi consanguineus, qui fortè aliam cum maiori dote inuenisset vxorem, & tamen vult illam ducere, ne remaneat sine viro, hæc etiam esset iusta causa impetrandi dispensationem a Summo Pontifice, ex capite incompetentiæ dotis, quia cum habeat illum defectum, indigeret dote duplicata, quam non habet, vel si haberet, id fieret cum magno incommodo suæ domus. *Nauarrus cap. 22. in fine*.

Ampliatur etiam ista Conclusio, quod procedat si mulier illa dotem competentem habeat, ac virum inueniat secundum suam qualitatem, sed tamen Patri suo remanent tres aliæ filiæ, quibus opus est, vt inuitæ monachentur, cum pater non habeat dotem secundum earum qualitatem pro alijs duabus filijs collocandis, vnde consanguineus diues vellet dotare illam; imò etiam sorores dotare, hæc esset etiam iusta causa impetrandi dispensationem a Summo Pontifice. *Nauarrus Consil. 15. de Consang. & Affin.*

Secunda causa impetrandi dispensationem, est extinctio magnæ litis, & inimicitiarum inter consanguineos; nam si inter eos magna sit lis, vel inimicitia, possent impetrare dispensationem a Summo Pontifice, quia iusta est causa impetrandi; Intelligendo hoc, nisi sit ex industria, & data opera lis, & inimicitia orta ad finem contrahendi matrimonium; nam tunc non esset iuxtà

causa.

causa. *Sanchez lib. 8. de dispensationibus disp. 19. num. 8. qui citat D. Thomam 2.2. quæst. 63. art. 2. ad 2.*

Tertia iusta causa impetrandi dispensationem, est angustia loci, veluti mulier vult ducere virum in sua Terra, Pago, vel Castello, habens dotem competentem suo statui; Ibi nullus est paris conditionis, nisi multi consanguinei, hoc casu poterit impetrare dispensationem a Summo Pontifice, videlicet contrahendi matrimonium cum consanguineo, propter angustiam loci, in quo non nisi consanguinei sunt, & iusta erit causa dispensandi, nec mulier tenetur quærere virum extrà suam Terram, vel Castellum, licet ab alijs extrà suum Castellum postuletur; nec tenetur exire de patria sua: Et hæc est praxis. *Sanchez lib. 8. de dispensationibus disp. 19. num. 14.*

Nota quod si in dispensatione obtinenda, quando duo consanguinei volunt contrahere matrimonium, quorum alter est in 3. gradu, alter verò in quarto gradu, sufficit dicere, quod volunt contrahere matrimonium, tanquam a remotiori est facienda computatio, cum insertione, & mentione proximioris gradus, scilicet tertij gradus, & ità est praxis quoad forum Ecclesiasticum, & quoad forum Poli; Colligitur ex Constitutione Pij V. incipien. *Sanctissimus in Christo Pater. Obseruat Barbosa de officio, & potestate Episcopi in fine 3. par. vbi reperiuntur Bullæ fol. 75.*

6 In secundo gradu consanguinitatis an dispensetur.

In secundo gradu consanguinitatis non dispensatur, nisi inter magnos Principes. *Trident. sess. 24. de matrimonio cap. 5.* Vbi statutum est, ne in secundo gradu dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.

7 Quid intelligatur a Tridentino, nomine magnorum Principum.

In Clementina vnica de baptismo, interdicitur baptismus extrà Ecclesiam, nisi filiorum Regis, vel Principum. Et ibi *Glossa verbo Regum*, ait: Principatum sumi pro notabili potentatu, meritò Regiæ dignitati comparando. Atque idem tradunt *Ancheranus, Imola, & Suarez 4. quæst. 71. disp. 31. sect. 2. columna 4.* explicat, non comprehendi filios Marchionum, aut Ducum, qui Regibus subduntur. Ità etiam intelligitur de matrimonio.

8 An hoc Decretum Tridentini procedat in impedimento publicæ honestatis.

Resp. In hoc Decreto Tridentini non comprehenditur impedimentum publicæ honestatis, hoc est, ex sponsalibus de futuro, quod primum gradum non excedit; quia est multò minus impe-

P dimen-

dimentum. Sic *Nauarrus lib. 4. Consiliorum titulo de Consanguinitate in prima Editione Consil. 8. in fine. In secunda Consil. 4. in fine*. *Prætereà Sanchez* existimat, nec procedere in gradu quocunque Affinitatis fornicariæ, quia ea valdè imperfecta est, nec secundum gradum excedit; Sed solum procedit in gradibus consanguinitatis; vel Affinitatis ex Copula licita. Ità *Sanchez lib. 8. de dispensationibus disp. 19. num. 3*.

9 Quæ differentia sit, inter subreptionem, & obreptionem.

Resp. Quando dicatur dispensatio subreptitia, vel obreptitia est. *Textus in cap. super his de rescriptis*; Et si dispensatio sit subreptitia vel obreptitia, est nulla, & nullum matrimonium in foro Dei.

Tunc verò dicitur dispensatio subreptitia, vel obreptitia quando in ea impetranda exponitnr falsum, vel tacetur veritas. Et etiam omnis alia gratia, super qua impetratur dispensatio.

Primò præmittendum est, rescripta alia esse gratiæ, alia iustitiæ; priora dicuntur, quæ ad beneficia, dispensationes, aliasque quascunque gratias obtinendas conceduntur.

Posteriora autem, quæ ad lites forenses impetrantur, & ad committendam causam iudici in foro externo decidendam. Sic *Menochius de arbitr. lib. 2. Centur. 3. casu 201. num. 1*.

Secundò supponendum est, vtraque rescripta aliquando appellari subreptitia, aliquando obreptitia. Alij quos refert idem *Menochius de arbitr. lib. 2. Centuria 201. num. 9*. censent subreptionem esse quoties veritas tacetur, vel per confusam, vel per perplexam eius narrationem occultatur; Obreptionem verò quando falsum narratur. At dicendum est, hæc esse Synonima, & nihil inter se differre; Et gratiæ dicuntur obreptitiæ, vel subreptitiæ quoties malè impetrantur; siuè tacita veritate necessariò explicanda, siuè falsum ad rem conferens, in precibus narrando. Atque ità tuentur. *Decius cap. super literis in noua editione Notab. 1. num. 4. de rescriptis, Rebuffus tom. 2. Constitutionum Regiarum, titulo de rescript. in præfat. num. 125*.

10 Præmittendum, differentias esse inter rescripta gratiæ, & rescripta iustitiæ,

Rescripta enim gratiæ per subreptionem obtenta, sunt ipso Iure irrita; Secus autem de rescriptis iustitiæ, quæ valida sunt, donec ope exceptionis elidantur, idest donec Aduersarius contra quem impetrata sunt, excipiat, allegans ea esse subreptitia; quare processus virtute illorum factus, validus erit, si de subreptione minimè exceptiatur.

In

In ſpiritualibus tamen debet eſſe omnis puritas, *Sanchez lib. 8. de diſpenſationibus diſp. 21. à num. 1. vſque ad tertium incluſiuè.*

11 Poteſtas delegata poteſt committi expreſſo nomine ſolo proprio delegati, aut ſolo nomine dignitatis, aut vtroque.

Primò ſupponendum eſt, poſſe tripliciter committi poteſtatem delegatam alicui; Primo modo expreſſo ſolo nomine proprio delegati, vt committimus Franciſco; Secundo modo, expreſſo nomine ſolo dignitatis, vt committimus Epiſcopo Aſculano; Tertiò modo, expreſſo vtroque, vt committimus Franciſco Epiſcopo Aſculano.

Primò, quando fit commiſſio expreſſo nomine ſolo proprio, cenſetur perſonalis, & ità extinguitur morte perſonæ delegatæ.

Secundò, quando fit commiſſio expreſſo ſolo nomine dignitatis, vel officij, tunc commiſſio erit realis, & eo delegato mortuo, tranſibit ad ſucceſſorem, in ea dignitate, vel officio.

Tertiò, Commiſſio facta expreſſo nomine dignitatis, & perſonę ſimul, cenſetur perſonalis, nec tranſibit ad Succeſſorem; Et hæc eſt opinio probabilior, quam ſequitur etiam *Sanchez de diſpenſat. lib. 8. diſp. 27. à num. 1. vſque ad 17. qui multa Iura, & DD. refert.*

12 An commiſſio facta Vicario Epiſcopi ſub nomine dignitatis, tranſeat eo mortuo, vel amoto ad Succeſſorem. DD. infrà citandi reijciunt omnem aliorum limitationem, ſuſtinentes commiſſionem factam Vicario ſub nomine dignitatis eſſe realem, & ità eo mortuo, vel amoto tranſire ad Succeſſorem in Vicariatu. Ducuntur, quod detur verè Succeſſor; vt conſtat ex *cap. 1. de officio Vicarij in 6.* vbi vult textus, Subſtitutum in Vicariatu repreſentare, & gerere vices illius, qui prior erat Vicarius; *Clementina etſi principalis de reſcriptis. Abbas num. 3. oppoſit. 11. & 12. de officio delegati. Iacobus de Puteo dicit, ſic in Rota fuiſſe deciſum. deciſ. 487. num. 1. lib. 2. & alij, & Praxis ipſa ſatis atteſtatur. Et Sanchez lib. 8. eodem titulo diſp. 27. num. 10.* Et ità dicendum de Vicarijs Capituli, Sede vacante; ac Prælatorum habentium iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſua Diœceſi, & nullo Epiſcopo ſubſunt. Igitur certum eſt commiſſiones huiuſmodi Vicarijs directas, ſub nomine officij tranſire ad Succeſſorem.

13 An diſpenſatio commiſſa Officiali, vel Vicario Epiſcopi poſſit per Epiſcopum, eo Officiali remoto, expediri.

Reſp. commiſſiones factas officiali, vel Vicario non poſſe expediri per Epiſcopum, etiam officiali remoto; nam cum aperta differentia ſit inter Epiſcopum, & eius Officialem, vt conſtat ex *cap. Venerabilibus in principio de ſententia excomm. in 6.* Ibi: Archie-

piscopo, vel eius Officiali; Et ità si commissio soli Officiali fiat, nullatenus potest ad Episcopum pertinere; quamuis idem sit Episcopi, & eius Vicarij tribunal. Id autem solum habet verum in causis, quæ iure ordinario competunt Vicario, non autem in dispensationibus, quæ soli Vicario diriguntur. *Federicus Consil.* 130. *Decius in cap. Quoniam, Abbas in noua æditione num.* 62. *de officio delegati, Nauarrus lib.* 1. *Consiliorum in secunda editione, titulo de officio Iudicis delegati Consil.* 5. *num.* 1; *& alij.*

14 Quæres an literæ Apostolicæ in quibus datur facultas dispensandi in impedimentis matrimonij, re integra, per mortem Papæ expirent.

Resp. Affirmatiuè, quia huiusmodi literæ potiùs vicem gerunt mandati, quam gratiæ; Mandatum autem morte mandantis expirat, *l. Mandatum C. Mandati, & ità decisum refert Riccius in praxi fori Ecclesiastici parte* 4. *resolut.* 531; quod etiam ex eo colligitur, quia Summus Pontifex in dictis literis non dispensat, sed committit Episcopo, vel eius Vicario vt dispenset, si preces veritate niti repererit.

Res autem tunc non est integra, quando delegatus cæpit vti iurisdictione; leges tenent, Iure Canonico attento, solam citationem desiderari, vt res desinat esse integra; At Iure Ciuili amplius desiderari, nempè litis contestationem. Sic *Glossa in cap. Relatum verbo contestata de officio delegati*. Secus autem illis non premissis, tunc diceretur res integra; & perit morte concedentis. *Sanchez lib.* 8. *eodem tit. disp.* 28. *à num.* 80. *& sequen.*

15 Solent autem Summi Pontifices in Regulis Cancellariæ literas tam gratiæ, quam iustitiæ, à prædecessoribus suis infrà annum ante diem obitus eorum concessas, temporibus debitis eorum exequutoribus, seù iudicibus non præsentatas reconualidare, & in statum pristinum, in quo anteà fuerant, vel pro quibus erant obtentæ, plenariè restituere; Ità vt exequtores, seù Iudices prædicti, vel ab eis subdelegandi ad expeditionem negotiorum in eis contentorum procedere possint, & debeant, iuxtà illorum formam; Vt in duodecima regula Cancellariæ.

16 An valida sit dispensatio matrimonialis obtenta à Sede Apostolica, super impedimento consanguinitatis, vel affinitatis, non expressa copula, seù incestu.

Resp. Dispensationem in tali casu esse subreptitiam, & matrimonium posteà contractum esse nullum. Ita ait, *Nauarrus in manuali, cap.* 22. *num.* 86. *in fine, & censuit Sacra Cong. teste Riccio in praxi fori Ecclesiastici par.* 4. *resolut.* 535.

Ideò

Ideò in tali casu commissarius dispensationem expedire non debet; quod procedit siuè incestus committatur antè obtentam a S. Pontifice commissionem, siuè post illam obtentam, nondum per ordinarium expedita dispensatione. *Rota decis. 2. num. 10. de filijs presbyterorum in nouis, quam refert Vulpius cap. 16. num. 1; & censuit eadem Sacra Congreg.* teste Quaranta in verbo matrimoniales dispensationes, vers. quibus expletis, & stylus curiæ sic postulat, vt incestus coniunctus cum consanguinea, vel affine, exprimatur.

Megalius tamen in verbo affinitas num. 16. etiam relatus ab Antonello de regimine Ecclesiæ lib. 8. *cap.* 11. *num.* 3. affirmat, quod si quis obtinuerit a S. Pontifice commissionem, super impedimento consag. vel affinit. expressa iam copula, & priusquam ab eodem ordinariò delegato expediatur dispensatio; iterum cum eadem persona copulam habeat, valeret nihilominus dispensatio; quia non nouum indè oritur impedimentum, sed prius nondum sublatum, continuatur. Verum si post dispensationem a delegato, iterum copulam haberet, nondum contracto matrimonio per verba de præsenti, noua indigeret dispensatione; nam cum per dispensationem prius impedimentum sit sublatum, ex noua copula nouum consurgit impedimentum.

Quamuis *Riccius in praxi fori Eccles. resolut.* 535. *num.* 1; & 2. *aliter asserit*. Et primò; inualidam esse dispensationem obtentam ad contrahendum matrimonium cum consanguineo, vel affine, tacito incestu, idest copula, inter affines, vel consanguineos habita, antequam literæ Romam transmitterentur, vel antequam ordinarius, cui data est facultas dispensandi, dispensationem expediret; Quod etiam procedit non solum si copula habita fuit antequam literæ Romam transmitterentur, verum etiam si fuit habita postquam Summus Pontifex concessit dispensationem per ordinarium, vel etiam per alium exequendam; Sicque Sac. Cong. declarasse affirmat.

Secundò inquit, secus dicendum est si copula habita fuit post expeditionem ordinarij; Ratio est, tum quia huiusmodi copula non est incestuosa, cum per dispensationem sublatum sit consanguinitatis, vel affinitatis impedimentum; Tum quia nullo iure, neque stylo curiè constat faciendam esse huius copulæ mentionem. Et hæc sententia Riccij & aliorum, cui adhereo est verior, & probabilior, *qui citat Rodriquez, & Guttierez. Id etiam affirmat Sanchez lib. 8. de dispensat. disp. 25. num. 8.*

Obserua tamen, si hæc copula esset occulta, vt in prima distint. altera

altera dispensatio non esset impetranda à Dataria, sed satis esset, vt illius dispensatio obtineatur a Sacra Pœnitentiaria, explicata simul consanguinitate, vel affinitate publica, super qua Summus Pontifex dispensationem concessit. Idem *Sanchez loco citato n.11.* ac idem *Riccius loc. cit. num. 3. in fine.*

17 An copula incestuosa aperienda sit, si habita fuerit sub spe faciliùs obtinendæ dispensationis.

Resp. iuxtà *Concilium Trid. sess. 24. de matrimonio in cap. Si quis in fine.* Dispensationem hoc modo obtentam, non expresso animo faciliùs impetrandi, esse inualidam; Et *Riccius in praxi part. 4. resolut.* 533. ait, quod hoc locum habeat, etiamsi alter contrahentium tantum talem animum habuerit.

Alij tamen sentiunt, quod si vnus coniugum in copula incestuosa concipiat illam spem faciliùs impetrandæ dispensationis, impetratio erit valida, expressa copula, licet non exprimatur illa spes faciliùs impetrandi, ab vno tantum concepta; *Sanchez de matrimonio lib. 8. disp. 25. num. 31. de dispensationibus. Diana parte 8. tract. 3. resol. 82. vers. & tandem, qui citat. Portellum in responsorio moral. tomo 2. casu 49. num. 11. & aiŋ*, & ratio, quam afferunt est; Non enim par est, vt delictum alterius sit causa punitionis Innocentis; & pœna decreti Tridentini requirit vtriusq; culpam.

18 Quid si quis haberet copulam cum consanguinea, vel affine, quæ non fuit completa; An hæc copula exprimenda esset in libello supplicationis dispensationis.

Resp. Negatiuè; quia cum simus in materia pœnali, requiritur copula completa, cum seminis effusione; vel si adessent extraordinariȩ pollutiones, siuè tactus, amplexus, hæc non faciunt matrimonium consumatum, seù copulam, nec impediunt illud, quamuis sint criminosæ, & damnabiles. De quibus ex textus in *Can. Extraordinaria* 35. *quæst. 2. & 3. Riccius dic. par. 4. resol.* 535. *vide etiam Glossam in dic. textu. Sanchez lib. 8. disp. 25. num.* 10. vbi etiam ait, vt si vir vas fęminę penetrarit, non effuso intrà semine, quod is coitus non sit vera copula, sed ad instar cuiusdam tactus impudici.

19 In materia proposita, Innocentius XII. amplas facultates, quas habebat officium Pœnitentiariæ Apostolicæ, præsertim in ijs quæ forum internum non concernebant, reformauit, & quoad forum internum nonnullas etiam restrinxit, alias ampliauit, & declarauit, in sua cōstitutione edita tertio nonas Settembris 1692. Et de multis quæ continentur in præfata constitutione, scilicet in octo paginis, vnicam tantummodo, quod spectat ad nostram mate-

materiam de matrimonio, hìc inserere operæpretium putauit; vt Parochi, & Confessarij pœnitentibus consulere possint. Inquit ergo.

In matrimonijs contrahendis possit maior Pœnitentiarius in foro conscientiæ tantum super impedimentis occultis, quæ matrimonium non dirimunt dispensare, vel dispensari mandare.

At à dispensationibus super quocunque impedimento, ex quonis gradu, siuè consanguinitatis, siuè affinitatis ex copula licita, siuè ex cognatione spirituali proueniente, etiam in foro conscientiæ tantum, tametsi impedimentum sit occultum, & periculum scandalorum immineat, in ijsdem matrimonijs contrahendis, abstineat.

In contractis verò matrimonijs à dispensatione, seù matrimonij reualidatione in gradibus primo, & secundo, seù secundo tantum consanguinitatis, vel affinitatis, ex copula licita, etiam in occultis pariter abstineat; præterquam si in huiusmodi secundo tantum gradu impedimentum saltem per decennium durauerit occultum, & oratores simul publicè contraxerint, & conuixerint, & vti coniuges legitimi reputati fuerint. In tertiò autem, & quarto gradibus occultis possit dispensare, ac etiam in ijsdem tertio, & quarto gradibus publicis reualidare matrimonia nulliter contracta, ex causa subreptionis, vel obreptionis occultæ literarum Apostolicarum, præterquam si falsitas consistat in narratione præcedentis copulæ, quæ tamen anteà non intercesserat.

Quod si Oratores qui obtinuerint a nostra Dataria dispensationem super gradu prohibito, tam in primo, & secundo, quam in secundo tantum, ac etiam in tertio, vel quarto, tacita copula inter eos sequuta, quam sine honoris detrimento detegere non valent, & ratione huiusmodi taciturnitatis, petant dispensationem pro matrimonio contrahendo;seù reualidationem matrimonij contracti, posit idem Maior Pœnitentiarius, si copula sit adhuc secreta, in foro conscientiæ tantum concedere; facta quando agitur de primo, & secundo, vel secundo tantum gradu compositione quinquaginta ducatorum auri de Camera,ad Datariam transmittendorum, ad effectum vt inconcusi moris est, erogandi in eleemosynas, nisi prior gratia expedita fuisset in forma pauperum, quo casu, etiam hæc gratia absque vlla compositione similiter expediatur.

Si verò Oratores, qui obtenta dispensatione a Dataria super impedimento primi, & secundi, siuè secundi dumtaxat gradus con-

consanguinitatis, seù affinitatis, cum expressione quidem carnalis copulæ, sed tacita occulta, & malitiosa intentione in ipsa copula habita, ad faciliùs habendam dispensationem; pro reualidatione huiusmodi dispensationis, recurrant ad dictam Pœnitentiariam; possit idem Maior Pœnitentiarius desuper dispensare cum miserabilibus personis explicitè affirmantibus, se vti tales, & sub illa expressa qualitate, & forma miserabilium dispensationes a Dataria obtinuisse; Cum ijs verò qui non tamquam pauperes, sed vti ex honestis familijs, seù vti nobiles, siuè vti illustres fuerint, similiter ab eadem Dataria dispensati; Idem Maior Pœnitentiarius non dispenset, nisi soluta priùs in Dataria, ad effectum pariter erogandi in eleemosynas, taxa cum Datario pro tempore existente concordanda. Quod si supplicantes sint pauperes, ità vt verè, & realiter integram summam taxatam, vel aliquam eius partem soluere nequeant, præfatus Maior Pœnitentiarius insimul cum eodem Datario opportunè prouideat.

Super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, seù ex actu fornicario proueniente, quotiescunque adsit rationabilis causa, licèt periculum reuelationis, seù scandalorum non immineret, vel non adesset; In matrimonijs tam contractis, quam contrahendis in foro conscientiæ tantum; Quoties verò affinitas huiusmodi post contractum matrimonium superuenerit, vt debitum peti possit, in eodem conscientiæ foro dispensare, & dispensari mandare possit, & valeat.

Super occulto impedimento criminis adulterij, si fuerit cum fide data dumtaxat, neutro machinante commissum, possit tam in contrahendis, tam contractis matrimonijs dispensare; Si verò crimen huiusmodi fuisset vtroque, vel altero machinante patratum, possit dispensationem concedere, raro tamen, & quando necessitas postulauerit, ratione alicuius grauis imminentis periculi, quod prudentia Maioris Pœnitentiarij, re præsertim discussa in Congregatione, vel Signatura, arbitrandum erit.

Declaramus tamen; quod facultates præfatæ a nobis Maiori Pœnitentiario, & eiusdem Pœnitentiariæ officio concessæ circà dispensationes matrimoniales, locum habeant, etiamsi gradus, & impedimenta huiusmodi multiplicia sint, quacunque, & quantacunque multiplicitate; Volentes in literis huiusmodi dispensationum matrimonialium posse prolem, vbi opus erit, siuè susceptam, siuè suscipiendam, non tamen in adulterio conceptam, in foro conscientiæ tantum legitimam decernere, necnon apponi clausulam nullis, &c. prout in huiusmodi materijs hactenus

nus

nus ipsa Pœnitentiaria seruare consueuit.

Vota simplicia quæcũque quomodolibet emissa, tametsi priuato iuramento confirmata, etiam castitatis, Religionis, Visitationis liminum Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli de Vrbe, sepulchri Domini, & Sancti Iacobi de Compostella, possit idem Maior Pęnitentiarius in alia pietatis opera commutare, votorum implementum differre, ab illorum transgressionibus absoluere, & cum ijs qui matrimonium contrahendo votum castitatis transgressi sunt, ad licitè debitum coniugale petendum dispensare, & respectiuè commutari, differri, absolui, & dispensari mandare, semper in foro conscientiæ tantum, possit & valeat; Consideratis causis commutationum, dilationum, absolutionum, & dispensationum huiusmodi, & adiectis clausulis quas apponere, ijsque iniunctis, quæ iniungere hactenus Pœnitentiaria laudabiliter consueuit.

De Impedimento Criminis.

QVÆSTIO DECIMANONA.

SVMMARIVM.

1 *Quot sint species Criminum.*
2 *Circà primum; quando est homicidium purum sine adulterio, in personam alicuius coniugis, vtroque machinante, inducitur impedimentum impediens, & dirimens.*
3 *Exemplum ad maiorem intelligentiam.*
4 *Ampliatio.*
5 *Obseruatio.*
6 *Limitationes.*
7 *Cur hoc impedimentum ab Ecclesia inductum sit.*
8 *Non inducitur hoc impedimentum, nisi mors Coniugis sequatur.*
9 *Quod si aliquis dederit mandatum occidendi, sed posteà reuocauit mandatum, Coniugis non secuta morte.*
10 *Circà secundum impedimentum quando adulterium est mixtum cum homicidio.*
11 *Exemplum ad maiorem notitiam.*
12 *Limitationes.*
13 *Dubium in hac materia.*
14 *Alia maior difficultas.*

1 QVintum impedimentum impediens, & dirimens matrimonium, est crimen. De quo criminis impedimento, est titulus, de eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium; Et etiam Textus notabilis in *cap. laudabilem de conuersione infidelium*, & *multi Canones in 31. quæst. 1.*

Primò circà hoc criminis impedimentum, quatuor species criminum sunt considerandæ, & de vnaquaque videndum est.

Primum igitur crimen, est homicidium coniugis veius, vtroque machinante.

Secundum crimen est, adulterium mixtum cum homicidio.

Tertium crimen est, adulterium mixtum cum promissione de contrahendo matrimonio.

Quar-

Quartum crimen est, adulterium mixtum, cum matrimonio de præsenti.

2 Circa primum; quando est homicidium purum, sine adulterio, in personam alicuius Coniugis, vtroque machinante, inducitur impedimentum matrimonij impediens, & dirimens, *dic. cap. laudabilem de conuersione infidelium, & cap. Super hoc de eo qui duxit in marim. quam polluit per adult. Can. si quis viuente 31. quæst. 1.*

3 Exemplum potest esse huiusmodi; Petrus solutus captus amore Lucretiæ vxoris Pauli, cum qua nullum commisit adulterium, sed ipsa Lucretia ad finem contrahendi matrimonium cum dicto Petro, ipso sciente & consentiente, virum suum Paulum veneno, vel ferro occidit, sequuta morte Pauli, Lucretia non potest contrahere matrimonium cum Petro; ratione impedimenti criminis, *ex dict. cap. laudabilem de conuers. infid.*

4 Ampliatur ista Conclusio, quod etiam procedit, siuè Petrus siuè Lucretia occiderit Paulum, siuè per se, siuè per alium, *cap. 1. eodem titulo.*

Ampliatur secundò vt etiam procedat, è conuerso, si Petrus vxoratus occidat suam vxorem, ad finem contrahendi matrimonium cum Lucretia soluta, siuè per se, siuè per alium, siuè veneno, siuè ferro; Dum tamen vterque tam Petrus, quam Lucretia mortem vxoris Petri, machinatus sit; & sic vtroque machinante, quod semper intelligitur, matrimonium non potest consistere inter eos. Tantò magis procedit, si Petrus occidat suam vxorem, & Lucretiam virum suum, ad finem contrahendi matrimonium inter eos; ex impedimento criminis, matrimonium nullum est, vtroque machinante. Vnde si vnus illorum machinatus sit mortem absque conspiratione alterius, non contrahit impedimentum dirimens matrimonium, modò non intercesserit adulterium cum homicidio. *cap. Super hoc de eo qui duxit in matrimonium, &c. Nauarrus cap. 22. num. 46.*

5 Nota quod semper requiritur consensus vtriusque Coniugis ad occisionem, vt suprà dixi, cum intentione contrahendi inter se; Sed quando interuenit copula, sufficit ad impedimentum dirimens matrimonium, aut adulter, vel adultera occidat, etiam altero ignorante, contrà quem adulterium stat pro eius consensu. *Toletus de instructione Sacerdotum lib. 6. de impedimento criminis, cap. 6. num. 3. Nauarrus cap. 22. num. 46. & dict. cap. Super hoc de eo qui duxit &c.*

6 Limitatur supradicta Conclusio, quod non inducitur hoc impedimentum criminis, nisi sequatur mors saltem vnius coniugis,

ex facto, & opera vtriusque tam Petri, quam Lucretiæ; & ideò si Lucretia viro suo venenum dederit, ad finem contrahendi matrimonium, & Petrus hoc sciuerit, sed tamen ex hoc veneno Paulus vir eius non perijt sed sanatus est, sed tractu temporis dictus vir Lucretiæ morte naturali obijt; possent dictus Petrus, & Lucretia contrahere, quia non fuit sequuta mors ex illo crimine; nam requiritur effectus consumatus, scilicet vt mors sequatur. Ità *Abbas in dict. cap. Super hoc de eo qui duxit &c. Can. Si quis viuente 31. quæst. 1. & dict. cap. Laudabilem &c. Bonacina de matrimonio, de impedimento criminis, quæst. 3. punct. 6. num. 5. in fine vers. quarta, vide Sanchez lib. 7. de impedimento criminis disput. 78. num. 7.*

Limitatur secundò, quando Petrus, vel Lucretia occiderit suum coniugem, altero ignorante, modò non intercessisset adulterium cum homicidio, *dict. cap. Super hoc de eo &c.* tunc enim possent contrahere.

Limitatur tertiò, vt non procedat quando sequuta est mors alterius coniugis, non ad finem contrahendi matrimonium, sed in rixa, vel in bello, vel ob inimicitias, vel huiusmodi, *dict. cap. Si quis 31. quæst. 1. vide Glossam.*

7 Vnde qui conuentionem fecerit cum Berta occidendi illius virum ex odio, siuè vindicta, non ex intentione contrahendi matrimonium inter se, non contrahitur impedimentum criminis, *ex dict. cap. Si quis loc. cit.* Ratio est, quia hoc impedimentum inductum fuit ab Ecclesia, ne alter coniux vita priuaret alterum, ad contrahendum matrimonium cum eo, cum quo fecit conuentionem occidendi alterum coniugem; In supradicto autem casu non priuat alterum vita, ad hunc finem. *Sanchez. lib. 7. disp. 78. num. 13; & alij.*

Prætereà; si præfata Lucretia vt faciliùs contraheret matrimonium cum Petro (dummodo neutro machinante) audita occisione, vel morte ipsius viri, ratam habuit; per hoc, cum ratihabitio æquiparetur mandato, an possint cotrahere matrimonium.

Resp. Quod quamuis Regula sit, quod ratihabitio retrotrahitur, & mandato æquiparetur, tamen non habet locum in hoc criminis impedimento fauore matrimonij, & ideò nullum impedimentum criminis est contractum inter eos, quamuis peccatum sit; *Glossa in dict. Can. primo si quis viuente 31. quæst. 1. Ioannes Guttierez de matrimonio cap. 105. num. 8. tomo. 1. 2; & 3. Sanchez lib. 7. disp. 78. num. 6. Nauarrus cap. 22. num. 46. Ac etiam Syl-*

Syluester verbo matrimonium 8. *quæst*. 9. sic inquit: Si homicidium mandauit, vel consuluit, quod idem est, ac si interfecisset? Si verò nihil horum fecit, sed tantum ratum habuit, dicendum est, quod si nihil operata est, vt occideretur; ratihabitio non inducit hoc impedimentum, siuè sit factum homicidium nomine suo, siuè non, licet in alijs maleficijs ratihabitio retrotrahatur, & comparetur mandato. *qui citat Iura, & DD.*

8 Limitatur vltimò, quando non succedit homicidium Coniugis, sed alterius consanguinei, etiam patris, vel matris, non inducitur hoc impedimentum; Veluti si Berta filia Petri vult ducere Antonium in virum, & ille eam in vxorem, sed pater non vult dare eam in matrimonio dicto Antonio; Idem verò Antonius occidit patrem Bertæ, illa etiam machinante, ad finem contrahendi matrimonium, sequuta morte patris præfatæ Bertæ, ipsa poterit ducere Antonium in virum, nec adest impedimentum huius criminis, etiamsi occiderit matrem, vel Tutorem, vel Patruum ipsius Bertæ, nolentes eam sibi collocare; his namque casibus matrimonium consistere poterit inter eos, nam tunc contrahitur hoc impedimentum criminis, quando vnus ex coniugibus occisus sit. *DD. locis citatis*: *& Sotus in* 4. *distinct*. 37. *quæst. vnica art*. 4. in principio ait: quamuis sit grauiùs peccatum, sed non inducit impedimentum patrem, vel matrem occidere. Ratio cur impedimentum ab Ecclesia inductum sit, est, vt vitentur cædes, & adulteria inter coniuges, quæ sublata spe contrahendi inter delinquentes, non ità facilè committuntur. *DD. citati Can. Si quis* 31. *quæst*. 1.

9 Dixi vt mors sequatur, cum requiratur effectus consumatus, vt suprà clarè dixi.

Hinc patet; eum qui dedit mandatum occidendi, sed posteà reuocauit mandatum, morte non sequuta, non esse reum huius criminis, seù impedimenti, cum requiratur effectus sequutus; *dic. Can. Si quis. Bonacina de matrimonio, de impedimento criminis, quæst*. 3. *punct*. 6. *num*. 6. *Sanchez loc. cit. num*. 7.

10 Circà secundum, quando adulterium est mixtum cum homicidio, inducitur impedimentum criminis impediens, & dirimens matrimonium, *dic. cap. Super hoc de eo qui duxit &c. Can. Denique. Can. Si quis viuente, Can. Illud* 31. *quæst*. 1.

11 Exemplum est huiusmodi; Titius committebat adulterium cum Lucretia vxore Petri, cum qua volens contrahere matrimonium, ad hunc finem occidit Petrum virum Lucretiæ, ipsa non con-

consentiente, siuè ignorante, etiam contradicente: secuta morte Petri, inter eos non potest esse matrimonium, ratione criminis; Ideò indigent dispensatione Summi Pontificis, nam in hoc casu sufficit ad inducendum hoc criminis impedimentum vnius coniugis consensus, cum adulterium sit loco consensus alterius coniugis futuri, vt dixi.

12 Limitatio. Sed si Titius, qui committebat adulterium cum Lucretia vxore Petri; Petro posteà naturaliter mortuo, vellet ducere Lucretiam, in hoc casu potest esse matrimonium inter ipsos, dummodo Lucretia non promiserit Titio cum quo adulterata est se contracturam post obitum Coniugis; Quando ergo intercedit promissio matrimonij inter adulterum, & adulteram cum copula, siuè antecedenti, siuè consequenti promissionem, tunc est impedimentum, vt contrahere nequeant, vt habetur in *cap. de eo qui duxit vxorem, quam polluit &c. & cap. Significasti eodem titulo. Toletus in instruct. Sacerd. lib. 7. cap 6. num. 4.*

Limitatur, vt non procedat, quando commissum est homicidium mixtum adulterio, non ad finem contrahendi matrimonium, sed in rixa, in duello, vel huiusmodi; tunc enim non contrahitur hoc impedimentum, *dic. cap. laudabilem de conuers. infid. vt melius intelligatur.*

13 Sit dubium. Titius adulterauit cum Lucretia vxore Petri, & publicè scitur ab omnibus; Petrus deindè occisus est a Titio, qui in conscientia asserit, se non ad finem contrahendi matrimonium cum Lucretia occidisse, sed ob inimicitias, vel in rixa. An in hoc casu matrimonium possit iniri inter Lucretiam, & Titium, cum sit homicidium mixtum cum adulterio, vel adulterium mixtum cum homicidio.

Resp. Quod in foro Poli, hoc est in conscientia, & foro Dei, possent contrahere matrimonium; Verum quia Ecclesia non iudicat de occultis, ideò in foro fori necesse est in hoc matrimonio contrahendo dispensatio Summi Pontificis, aliàs nullum est matrimonium in foro exteriori. *Sotus in 4. sentent. distinct. 37. qu. 1. art. 4.*

14 Sed maior difficultas. Caius committebat adulterium cum Berta vxore Pauli secretò, nullam habens intentionem contrahendi matrimonium cum ea; post adulterium commissum Paulus animaduertens adulterium, decreuit occidere suam vxorem, & Caium adulterum, multaque signa ostendebat ambos occidere, quæ signa cum videret vxor sua, dixit Caio, quicquid maritus operatur, vt ipsos occidat; Caius adulter vna cum adulte-

ra per præuentionem occiderunt Paulum, fine intentione contrahendi inter eos matrimonium, sed ipsum occiderunt, vt commodiùs adulterium committerent, mortemque communem effugerent; sequuta morte Pauli, Berta dixit Caio, vt eam in vxorem acciperet, dum cum ea filios procreauit tempore adulterij; An hoc matrimonium possit consistere, cum sit adulterium mixtum cum homicidio in persona Pauli, vtroque machinante mortem Pauli.

Videtur affirmandum per supradicta; Ratio est, quia huiusmodi homicidium per præuentionem fuit patratum, & ad alium finem, quam ad finem matrimonij contrahendi, & in foro Dei non indigent dispensatione, sicque matrimonium valeret, cum occultum sit homicidium. Ità *Nauarrus in Consil. primo de eo qui duxit in matrimonium quam polluit &c.* Sed si homicidium esset publicum, quamuis sit patratum ad alium finem, non autem ad finem matrimonij contrahendi, tamen præsumeretur in foro Ecclesiastico, quod esset patratum ad finem contrahendi matrimonij; Et per hoc in isto foro requiritur dispensatio. *Nauarrus in dic. Consil. primo; Et in manuali, cap. 22. num. 46.*

15 Circà tertium, quando scilicet interuenit adulterium mixtum cum promissione de contrahendo matrimonio, inducitur hoc criminis impedimentum impediens, & dirimens matrimonium, *cap. finali de eo qui duxit &c. Can. Relatum* 31. *quæst.* 1. & ratio huius conclusionis est, ne sublata fide præstita ab vxore marito, procuret cum adulterio mortem coniugis.

16 Ampliatur primò ista conclusio, vt hoc impedimentum criminis inducatur, siuè vterque sit coniugatus, siuè alteruter tantum; semper enim hoc inducitur impedimentum, & mortuo vtroque coniuge, vel altero, non potest inter eos esse matrimonium sine dispensatione. *DD. citandi infrà.*

Secundò ampliatur, vt etiam procedat siuè adulterium præcedat fidem, siuè fides præcedat adulterium; nam semper contrahitur hoc impedimentum, *cap. Significauit de eo qui duxit &c. Sotus in 4. Senten. distinct. 37. quæst. 1. art. 4. Bonacina de impedimento criminis quæst. 3. punct. 6. num. 8. in fine.*

Tertiò ampliatur, vt etiam procedat, siuè fides sit præstita de matrimonio contrahendo, siuè sit iuramentum appositum, siuè nuda tantum sit promissio, nam semper hoc impedimentum contrahitur, nam omnia hæc Domino Deo displicent. *Can. iuramenti 22. quæst. 5.* Et Ecclesia hoc statuit, ne detur ansa captandæ mortis coniugis.

Quan-

Quarto ampliatur etiamsi promissio de contrahendo matrimonio fuerit inualida, quia inter promittentes non poterant consistere sponsalia, & inter eos interuenit Adulterium.

Exempli gratia, mulier quædam habebat virum absentem per decem annos, & nunquam nuncium certum habuit de morte ipsius, qui adhuc viuebat; interim commisit adulterium cum Titio, qui sciebat eam habere virum, ac etiam promisit cum ea contrahere matrimonium secuta morte viri; posteà venit certus nuncius de morte viri; Titius non potest contrahere matrimonium, quia interuenit promissio cum adulterio, viuente viro, quamuis sponsalia nulla fuerunt. *Nauarrus Consil. 2. de eo qui duxit &c.*

Quintò ampliatur conclusio, vt procedat, etiamsi Adultera haberet virum, cum quo contraxit matrimonium ratum tantum, & non consumatum, vel è conuerso; Adhuc enim hoc impedimentum contrahitur per adulterium mixtum cum promissione de matrimonio contrahendo. *Nauarrus cap. 22. num. 46.*

17 Quid si interpositum sit decretum ab Ecclesia, vt separatio Tori inducatur inter Antonium, & Camillam ob adulterium commissum per illam; An durante ista Tori separatione, Camilla possit alteri fidem dare, & contrahere in futurum, sequuta morte Antonij viri sui.

Resp. Negatiuè, quia adhuc durat vinculum matrimonij indiuiduum; Ideoque si durante separatione Tori, Camilla cum Titio commisit adulterium, & fides inter eos sit præstita, vel nuda promissio de matrimonio contrahendo, mortuo Antonio viro Camillæ, inter eam, & Titium, non potest esse matrimonium, propter hoc impedimentum inductum. *cap. significasti de eo qui duxit &c. Nauarrus cap. 22. num. 46.*

18 Primò limitatur ista conclusio, vt non procedat, quando adulterium tantum interuenit sine promissione de matrimonio contrahendo; Vel è conuerso, quando sola interuenit promissio sine adulterio; nam tunc potest esse inter eos matrimonium sine dispensatione, cum ad inducendum hoc impedimentum duo copulatiuè requirantur, adulterium scilicet, & promissio de matrimonio contrahendo. *DD. citati.*

Secundò limitatur, vt non procedat, quando interuenit fides, seu promissio de contrahendo matrimonio, & interuenerunt multi actus impudici, inter virum, & mulierem coniugatam, sed nunquam fuit deuentum ad copulam carnalem, & consumationem ipsius; nam tunc potest esse matrimonium, sine dispensatione, mortuo viro. *Sotus in 4. senten. distinct. 37. quæst. 1. art. 4.*

Na-

Nauarrus cap. 22. num. 46. cap. significasti, & cap. vltimo de eo qui duxit &c. Can. primo 31. quæst. 1.

Tertiò limitatur, quod non inducitur hoc impedimentum, quando altero ignorante, & altero sciente commissum est adulterium, & fides interuenit, vel nuda promissio de matrimonio contrahendo; nam posteà inter eos erit, & potest esse matrimonium sine dispensatione, veluti.

Petrus coniugatus rem habuit cum Lucretia soluta, & sic commissum est adulterium, & Lucretia fidem habuit a Petro, ipsum cum ea matrimonium contracturum, sed nihil sciebat de vxore Petri, & in bona fide stetit, credens illum vxorem non habere; mortua vxore Petri, inter ipsum, & Lucretiam in bona fide stantem, & ignorantem, matrimonium potest consistere. Ità *in cap. veniens de eo qui duxit &c.* vndè hoc matrimonium non eget dispensatione Summi Pontificis, sed liberè fieri potest. *cap. primo de eo qui duxit &c. Nauarrus cap. 22. nu. 46.*

Quartò limitatur. Hoc verò perplexum est dubium; Si coniugatus fidem dedit Mariæ sine adulterio, & mortua vxore ducit Bertam; & posteà adulteratur cum Maria, vtrum tunc exurgat impedimentum, vt mortua Berta, nequeat contrahere cum Maria.

Resp. Quod potest contrahere; & ratio, quia contrahens cum Berta videtur recessisse a fide data Mariæ per intermedium matrimonium, & spes, seu ansa machinandæ mortis vxoris extincta est, inito secundo matrimonio. *Abbas in cap. si quis de eo qui duxit &c. Syluester verbo matrimonium 8. quæst. 9. Sotus in 4. sent. distinct. 37. quæst. vnica art. 4.*

19 Illud autem scire oportet in hac materia, quod conclusio in qua asserimus, quod adulterium mixtum cum promissione de matrimonio contrahendo, impedit, & dirimit matrimonium; Intelligitur quando promissio interuenit per modum sponsaliorum, mutuo consensu contrahentium; Ideoque si non repromittitur ab altero ex adulteris, hoc impedimentum non contrahitur; Veluti si adultera dicat adultero, post mortem viri mei, & vxoris tuæ, promittis me ducere in vxorem; & adulter non dicit promitto, sed dicit, vulgari sermone, *basta*, *basta*, aut, *qualche cosa sarà*, vel alia similia verba, per quæ sponsalia non contrahantur, nec repromittit, nec interrogationi respondet; hoc impedimentum non contrahitur, & per hoc licitè matrimonium sine dispensatione contrahi potest. *Syluester verbo matrimonium num. 9. Sotus & Nauarrus locis citatis*, supradicta verba *basta &c.* non signifi-

gnificant promissionem, neque pollicitationem, nec habent adiunctum periculum machinandæ mortis alterius, ad quam præcauendam Ius induxit hoc impedimentum, Ius autem requirit promissionem; Ficta autem promissio, appellatur promissio solo nomine, nec est vera promissio, consequenter non sufficit ad inducendum hoc impedimentum; quia facta fuit animo decipiendi, & in foro conscientiæ non inducit impedimentum. Ità *Bonacina de impedimento Criminis quæst. 3. punct. 6. §. 3. num. 8. in fine. Henriquez lib. 12. cap. 14. num. 3. Rebellus lib. 3. quæst. 8. nu. 10. & alij. Sanchez, Guttierez existimant sufficere fictam promissionem;* tamen eorum argumenta facilè soluuntur ex præfatis rationibus.

20 Circà quartum; quando adulterium est mixtum cum matrimonio de præsenti inducitur hoc impedimentum, si tamen adulterium interueniat. *Sotus in 4. sent. distinct. 37. quæst. vnica art. 4. §. sed si.*

21 Exemplum. Petrus Hyspanus; habens vxorem in sua Regione, venit Neapolim, asserens se non habere vxorem, sed esse solutum; Matrimonium de præsenti contraxit cum Camilla Neapolitana consentiente, & sciente illum habere vxorem; si moriatur prima vxor, mortua illa non poterit matrimonium contrahere cum eadem Camilla; Et si cum Camilla velit contrahere, indiget dispensatione, quia contractum est impedimentum criminis inter eos per adulterium mixtum cum matrimonio de præsenti. Ità *textus in cap. veniens penultimo, & vltimo de eo qui duxit &c.*

22 Vt autem hoc impedimentum contrahatur, duo sunt necessaria copulatiuè, & vnum sine altero non sufficit ad dirimendum matrimonium; Primum vt interueniat matrimonium de præsenti cum adulterio; Secundum vt vtroque sciente, tam viro, quam muliere committatur hoc adulterium; Idest tam vir, quam mulier sciat adesse aliam vxorem in sua regione. Nam si quis viuente prima secundam huius rei insciam duxerit vxorem, mortua prima licitè remanet cum secunda; nouo consensu interueniente, modò impedimentum sit occultum. *Summa in cap. veniens, de eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium. Nauar. cap. 22. n. 46. & 47. Sanchez lib. 7. disp. 79. n. 31. qui alios DD. citat.*

23 Hinc vt euitentur multæ fraudes, & scandala, rectissimè statutum est *à Conc. Trident. in cap. Multi sess. 24.* vt alienigena ducturus vxorem in aliquo loco fidem producat se aliam non habere vxorem; aliàs non admittatur ad matrimonium contrahendum ab Ordinario loci, eo modo quo diximus suprà.

Sic quoque contrahitur hoc impedimentum, si Petrus per te-

stes falsos, & fidem falsam ostendit se aliam non habere vxorem in sua regione, & mulier cum qua contrahit sciebat illum aliam habere vxorem viuentem, vel dissimulauit & tacuit; nam mortua illa vxore in sua regione, inter eos non potest esse matrimonium sine dispensatione Summi Pontificis; Secus si prima non erat legitima vxor. *cap. significauit de eo qui duxit &c.*

23 Si verò mulier ignorabat illum habere vxorem, sed potiùs credidit illa carere, vt potè qui per fidem falsam ostendit se carere, & ità fuit in bona fide in matrimonio cum eo contracto; si venerit certum nuncium mortuam esse veram vxorem, an hoc matrimonium cum hac secunda muliere sit validum, & quid sit faciendum.

Resp. Quod matrimonium nullum fuit, sed perfici potest reuocando consensum, in quo non est necessaria dispensatio Summi Pontificis propter bonam fidem, & innocentiam mulieris. *dic. cap. veniens de eo qui duxit &c.* Et in hoc casu, in renouatione consensus mulier decepta potest virum repudiare, quia inter eos nunquam fuit matrimonium; Homo verò deceptor omninò complere, & perficere tenetur hoc matrimonium ne ex suo dolo commodum consequatur. Quod si mulier consenserit, non amplius indigent denunciationibus, neque amplius Parochi, & testium præsentia, cum hoc impedimentum sit secretum, & secreto renouabitur consensus. *Nauarrus cap. 22. num. 46. 47. & 70. in fine. Bonacina de impedimentis matrimonij, & præcisè de impedimento Criminis quæst. 3. punct. 6. num. 8. circa finem §. verum. Et in cap. Propositum, de eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium. Sotus in 4. sentent. distinct. 37. qu. vnica art. 4. §. Tertium verò Crimen.*

Prudens verò Confessarius, quando mulier est inscia, admonebit istum hominem deceptorem, ne reuelet suam turpitudinem mulieri, quia nunqnam quietè viuerent, dum eam sic decepit, & renouabitur consensus cum aliquo prætextu, siuè colore, veluti dicat Camilla mea te valdè diligo, & si non consensissem, vtique contraherem tecum ob tuas qualitates, & mulier vtique similia verba responderet, & sic renouaretur consensus sine scandalo, & hæc est vtilis praxis. Idem *Nauarrus loc. cit.* quod diximus, intelligitur quando impedimentum est occultum, quando verò impedimentum est publicum, opus est, vt denuò matrimonium ineant cum dispensatione coram Parocho, & testibus. *Sanchez lib. 7. de impediment. disp. 79. num. 39.*

24 Verum retento eodem casu, si post duos menses post matrimonium contractum de præsenti, Camilla Neapolitana habuerit no-

titiam de alia vxore Petri hyſpani, & per hoc conſtituitur in mala fide, & poſt illam malam fidem reddit, vel petit debitum a Petro, ſicut anteà faciebat, cùm adhuc viuebat Petri vxor, contrahitur hoc impedimentum, & ea mortua non poterit matrimonium contrahere cum Petro ſine diſpenſatione; cum ſit contractum hoc criminis impedimentum, propter malam fidem ſuperuenientem; Nam ad hoc vt poſſint contrahere matrimonium ſine diſpenſatione, requiritur, vt ſemper alterius coniugis bona fides interueniat vſque ad certum nuncium de morte primæ vxoris, & habita notitia nunquam petat, neque reddat debitum. *Nauar. Conſil. 3. de eo qui duxit &c. & eſt tex. de hac materia in cap. veniens eodem titulo de eo qui duxit &c.*

25 Si autem filij ſint nati de hac ſecunda muliere, quæ ſemper in bona fide fuit in matrimonio, viuente prima vxore, iſti filij legitimi ſunt, cum bona fides matris eos legitimos faciat; & ideò in bonis ſuccedere poſſunt. *cap. Ex tenore, qui filij ſint legitimi & cap. penult. fin. de eo qui duxit &c.* & non ſolum in maternis ſuccedunt, ſed etiam paternis, ex dictis Iuribus, quamuis matrimonium nullum, & inualidum fuerit, & totum hoc fit ob bonam fidem, quam habuit alter coniux, ob quam matrimonium quamuis nullum, filios legitimos facit.

26 Ex his infertur, quod ſi diſpenſatio ſurreptiè à viro ſit obtenta a Summo Pontifice, & mulier bona fide fuit ſemper in matrimonio, ob illam bonam fidem, matrimonium in foro exteriori pro validò habetur, & filij ſunt legitimi, ob bonam fidem alterius coniugis; Ideoque inferri poterit ad ſimilia in quibus bona fides vnius coniugis, facit legitimos filios. *cap. Ex tenore qui filij ſint legitimi.*

27 Si tamen mater filios concepit & peperit, in mala fide exiſtente ipſa, & viro ſuo in hac diſpenſatione ſurreptitia, tunc filij ſunt illegitimi, & ad eos legitimandos neceſſe eſt, vt impetretur alia diſpenſatio a Summo Pontifice, in qua fieri debet expreſſio, & mentio, quod ſunt concepti, & parti in mala fide vtriuſque; & vir aliam habebat vxorem. *Abbas in cap. Cum haberet, & in cap. Veniens de eo qui duxit &c.*

Sed ſi diſpenſatio obtineri non poſſit, eorum Pater de Iure Canonico eis alimenta, & filiabus dotem, quæ loco alimentorum ſuccedit, præſtare cogetur. *Abbas loc. cit.*

De Iure verò Ciuili tales filij, & filiæ omni legum auxilio deſtituuntur. *Authen. Ex complexu C. de inceſtuoſis nuptijs.* Hodiè autem ſtatur non ſolum de Iure Canonico, ſed etiam de Iure Ciuili

uili; quia Ecclesia hoc induxit ex quadam æquitate naturali, ne filij alimentis priuati, pereant.

Sextum Impedimentum impediens, & dirimens Matrimonium est Cultus Disparitas.

QVÆSTIO XX.

SVMMARIVM.

1 *Quid significat Cultus disparitas, & qua ratione non potest consistere matrimonium inter duos diuersæ fidei.*

2 *An Christianus possit contrahere matrimonium cum Cathecumena; & quid si contraheret cum hæretica, vel schismatica; vel è conuerso.*

3 *Quæ sint conditiones, quando alter Coniux infidelis conuersus ad fidem, alter verò remanet in sua infidelitate; vt possit ducere vxorem viua vxore infideli, & è contrà.*

4 *An matrimonium contractum inter duos Christianos, si alter Coniux fiat hæreticus, vel Apostata dissoluatur.*

5 *Quid si prædictus hereticus resipuerit; an vxor teneatur eum recipere.*

6 *An hæretici conscij, habentes complices, & ad fidem conuersi, possint absolui vigore Iubilei, in quo datur facultas Confessarijs absoluendi, à quibuscunque Censuris, etiam in Bulla Cenæ contentis; Et quid de Hæretico occulto.*

7 *Quid faciendum de muliere, quæ habebat virum suum Nautam, qui captus fuit à Turcis, & posteà ad notitiam eius peruenit ipsum Turcham esse factum, ibique aliam duxisse vxorem.*

IMpedimentum igitur impediens; & dirimens matrimonium est Cultus disparitas.

1 Matrimonium non potest consistere inter duos disparis Cultus, idest diuersæ fidei, sed benè consistit inter duos eiusdem cultus, siuè fidei; scilicet non potest consistere matrimonium inter Christianum, & mulierem infidelem vel è contra. Huius ratio est, quia in matrimonio requiritur bona educatio liberorū, & quieta habitatio, quæ ratio cessat inter duos diuersæ fidei, cultus enim dispa-

disparitas generat discordiam. Secunda ratio est, quia matrimonium est humani, & Diuini Iuris communicatio. *l. 1. ff. de ritu nuptiarum*; quæ non cadit in duos, qui non sunt eiusdem Diuini Iuris, & humani.

Benè tamen consistere potest inter duos eiusdem cultus, veluti inter duos Turcas, Saracenos, Paganos, duos Infideles, vel Iudæos; vel inter duos, vnum Iudæum, & alteram Turcam, quatenus est contractus, non tamen quatenus est Sacramentum; seruato tamen iure naturæ, hoc est, ne filius ducat matrem, vel pater filiam, nec frater sororem, cum sit contra Ius naturæ, & a principio nullum fuit matrimonium inter illos, etiam antequam conuertantur. Pariter illi qui duxerunt plures vxores, si conuertantur non possunt retinere nisi primam, cum qua debent manere, quamuis dederint illi repudium; quod si ista non conuertatur, tunc possunt de nouo eligere vnam ex conuersis, cum qua contrahant nouum matrimonium, vel aliam in Christiana Religione. *Filiuccius de matrim. par. 2. cap. 7. num. 231. Toletus lib. 7. cap. 7. num. 2.*

Quando Infideles Coniuges ad Christianismum conuertuntur, tunc in suo matrimonio debent perseuerare, quamuis contraxerint contrà Ius Canonicum, dummodo non habeant aliquid contrà Ius naturæ; vt proximè diximus. Hoc habetur in *cap. Gaudemus de Diuortijs*, vbi notat Papa, quod si in 2. vel 3. vel 4. gradu contraxerunt, adhuc debent manere, quia hi gradus sunt prohibiti Iure Canonico, quod non obligat Infideles. *Idem Toletus loc. cit.*

Seruato ordine naturæ matrimonium inter Infideles valet, non ratione Sacramenti, sed ratione ciuilis contractus, ad euitandam fornicationem, ac etiam ad Sobolem procreandam. *Abbas in cap. Quanto de diuortijs. Sotus in 4. sentent. distinct. 39. quæst. 1. art. 1. & 2. Notabili 5.*

Sic etiam optimè, ratione ciuilis contractus, & ratione Sacramenti inter duos Christianos matrimonium consistit, remotis tamen impedimentis impedientibus, & dirimentibus matrimonium. Sed non consistit matrimonium inter Christianum, & Turcam, vel Iudæam, vel alium Infidelem, & Christianam, ratione cultus disparitatis matrimonium impedientis, & dirimentis. Et leges Ciuiles mortis pœnam imponunt Christiano, cum Iudæa, vel alia infideli matrimonium contrahenti. *l. Ne quis C. de Iudæis*, & si contrahant nullum est matrimonium, vt dixi *Can. 28. quæst. 1. Toletus loc. cit. num. 1.*

2 Am-

2 Ampliatur quod nec etiam Christianus, vel Christiana possit contrahere matrimonium cum Cathecumena, vel Cathecumeno; qui nondum est baptizatus, vel baptizata. *Can. Caue. Can. si quis Iudaicæ, & Can. Non oportet, cum multis sequen.* 28. *quæst.* 1.

At verò si Christianus contrahat cum Muliere hæretica, vel schismatica, vel Apostata fidem negante; vel è conuerso; matrimonium vtique valet, quamuis grauissimè peccet, & valet matrimonium ratione characteris indelebilis baptismi, tam si contraheret scienter, quam ignoranter; esset enim tantum error qualitatis, qui matrimonium non irritat, & valet. *Sotus loc. cit. Nauarrus cap.* 22. *num.* 48. *& alij*.

3 Matrimonium inter duos Infideles, valet vt diximus ratione ciuilis contractus, non ratione Sacramenti, cum careant baptismo; Sed tamen si post contractum matrimonium, alter Coniux conuertatur ad fidem, alter verò remanet in sua infidelitate; matrimonium non dissoluitur, nisi quibusdam conditionibus concurrentibus, quibus casibus coniux ad fidem conuersus potest ducere vxorem, viua vxore infideli; Et vxor conuersa viuo viro infideli, potest alium ducere.

Primus casus est, si Infidelis coniux omninò recedat a coniuge conuersa ad fidem, tunc conuersa potest ducere alium, etiam viuente viro Infideli, ità è conuerso. Si aut Infidelis coniux vult habitare cum vxore conuersa ad fidem Christianam; Tunc subdistinguitur, nam aut habitatio potest fieri sine contumelia Creatoris, aut cum contumelia Creatoris; Si habitatio succederet cum periculo contumeliæ Creatoris, tunc coniux conuersus ad fidem potest recedere, & transire, vel ad aliud matrimonium, vel ingredi Religionem. Si verò habitatio potest fieri sine periculo contumeliæ Creatoris, tunc locum habet dictum *D. Pauli* 1. *ad Corinth.* Si quis frater vxorem habeat infidelem, non dimittat illam; hoc totum habetur in *cap. Gaudemus de Diuortijs*. Habitare cum iniuria, & contumelia Creatoris est, si Infidelis maritus vult inducere vxorem in aliquod peccatum, aut retrahere eam in infidelitatem, tunc enim vt dictum est; conuersa potest coniugem relinquere, & contrahere cum altero in Christiana Religione. *Toletus loc. cit. num.* 3.

Et quando coniux infidelis non vult habitare cum coniuge fideli conuerso ad fidem; Eique infideli præfigitur temporis spatium, veluti per mensem; si infrà illum mensem præfixum, Infidelis ad fidem non est conuersus, tunc coniux conuersus secundum potest contrahere matrimonium, viuente coniuge infideli,

vel

vel etiam poteſt ingredi Religionem, quæ cautela optima eſt; quam ponunt DD. & probant *Tex. in multis Can. 28. quæſt. 1.*

2 Quæres quemnam ſequantur filij, quando Parens conuertitur ad fidem, altero perſiſtente in infidelitate.

Reſp. Sequi conditionem parentis fidelis, quando filij nondum ſunt doli capaces. Ità deciditur in *Can. Iudæi 28. quæſt. 1. in fauorem fidei.*

Dixi quando filij non ſunt doli capaces, nam filij doli capaces relinquendi ſunt in propria libertate, nec ſunt cogendi ad fidem, Eccleſia enim non cogit aliquem ad bonum faciendum per vim, ſed voluntarium vult militem; *Can. De Iudæis diſtinct. 45. ità communiter DD. quos citat. Sanchez diſp. 73. num. 16. lib. 7.* In dubio an filij ſint capaces doli, præſumendum eſſe in fauorem fidei, addunt *Emmanuel Sà, Coninchus, & alij citati à Bonacina de impedimentis matrimonij quæſt. 3. punct. 7. num. 11. de impedimento diſparitatis cultus.*

3 Quamobrem licèt Iure attento, filius minor triennio apud matrem educandus ſit, maior autem apud patrem *l. Neque C. de patria poteſtate.* At id fallit quando alter parens infidelis eſt, tunc enim Infans, etſi triennio minor ſit, apud patrem fidelem educandus eſt, & quamuis ſit maior apud matrem fidelem; quod ratio ætatis, & patriæ poteſtatis cedunt fauore fidei. Sic docent *Gloſſa cap. finali in fine de conuerſione infidelium, & multi DD. citati à Sanchez loc. cit. num. 16. in fine.*

4 An matrimonium contractum inter duos Chriſtianos, ſi alter coniux fiat hæreticus, vel Apoſtata diſſoluatur, ità vt innocens coniux ſecundum matrimonium poſſit contrahere, viuo coniuge facto hæretico, vel Apoſtata.

Reſpondetur quod non poteſt contrahere ſecundum matrimonium, eo viuo; benè tamen fidelis non debet cum eo habitare cum Apoſtaſia, cum hæreſis ſit fornicatio ſpiritualis; ſi enim per adulterium carnale, ſit ſeparatio Tori, tantò magis per fornicationem ſpiritualem; vt in *cap. vltimo de conuerſ. coniug. Couarr. in 2. par. de matrimonio par. 2. cap. 7. §. 5. num. 4.* Et quamuis ſecundum matrimonium contrahere non poſſit, Religionem tamen ingredi, & in ea profiteri coniux innocens licitè poteſt. *Canon. Agathoſa 27. quæſt. 2. Ità Abbas in cap. Mulier de conuerſ. coniugat. num. 6.*

5 Et ſi prædictus hæreticus reſipuerit, & ad fidem ſit conuerſus, & petit admitti ad cohabitationem Tori cum ſua vxore, quæ fidelis remanſit; an mulier tenetur eum recipere.

Pri-

Prima opinio est; si mulier innocens nolit monachari, eum recipere tenetur. Ità *Sotus in 4. senten. dist. 39. quæst. 1. art. 4.*

Contraria tamen opinio probabilior est, quod non tenetur, & ratio est;nam si per fornicationem carnalem dimissam vxorem,vir non tenetur recipere, estò quod millies eam pæniteat, quantò magis in fornicatione spirituali, cum eius vir factus sit infamis per Apostasiam. *cap. De illa de diuortijs. Alfonsus de Castro lib. 2. cap. 7. Couarr. in 2. par. de matrim. cap. 7. §. 5. num. 4.* Dummodo iudicio Ecclesiæ mulier ab eo recesserit. *Et Vrbanus tertius in dic. cap. de illa de diuortijs*, dixit: ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam.

Hæc tamen procedunt de hæretico publico, vel condemnato, qui conscios, vel complices habeat, & postea resipuit, & ad fidem conuersus, & fuit absolutus à Summo Pontifice. Sed quando hæreticus est occultus, si resipiscit, & emendetur, tunc debet recipi ab vxore fideli; nam cessat ratio infamiæ: nec fornicatio spiritualis est notoria. *Abbas in cap. mulier de conuers. coniug.*

Et ratio quam assignat. *Glossa in dic. cap. vltimo de conuers. coniug.* quare in fornicatione carnali non compellitur maritus recipere vxorem etiam emendatam; sed in spirituali compellitur, hæc potest esse: Quia si maritus cognosceret vxorem post carnalem fornicationem, postea ea mortua, ad ordines promoueri minimè potest, propter defectum Sacramenti, & sic præiudicium ei fieret. *cap. si laici distinct. 34.* sed hoc non contingit in fornicatione spirituali, quia per pænitentiam purgata est.

Item alia ratio, vel causa est; quia in fornicatione carnali, siuè adulterio anima, & corpus polluitur, sed in spirituali tantum anima: Et in carnali fornicatione non tantum fit in anima, quod displiceat marito, sed etiam in corpore; quod non fit in spirituali, & vir magis scandalizatur ex eo quod fit in corpore, & magis offenditur, quam ex eo quod fit in anima; & ità causa maioris scandali illati viro fit; Vt post carnalem fornicationem non compellatur, sed post spiritualem fornicationem compellitur, nisi ad Religionem transire voluerit. *dicta Glossa citata.*

6 In Re proposita hìc obiter proponam dubium notabile, & menti tenendum, maximè a Confessarijs tempore Iubilei.

An Confessarij tempore Iubilei possint absoluere hæreticum conscium, siuè habentem complices, siuè publicum, virtute eiusdem Iubilei, in quo datur facultas Confessarijs approbatis ab Ordinario absoluendi à quibuscunque Censuris, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis.

Resp. Quod talis hereticus præterquam a Summo Pontifice, non potest absolui, neque a Pænitentiarijs Romanæ Curiæ, neque per maiorem Pænitentiarium, neque vigore Iubilei, in quo datur facultas Confessarijs absoluendi a quibuscunque Censuris, etiam in Bulla Cænæ Domini contentis; nam hic casus implicitè est reseruatus Summo Pontifici, & ità declarauit Pius V. & Gregorius XIII. ità etiam est stylus in Romana Curia vide. *Barbosam in Colletanea in Concil. Trident. sess. 24. de reform. cap. 6. liceat Episcopis, aliasque rationes, & Iura inuenies in meo lib. Romæ impresso de Suffragijs, Indulgentijs, & Iubileis tit. de Iubileo Extraordinario num. 4. & de Iubileo Romano num. 15. & 16.*

De Hæretico verò occulto alij dicunt, quod possit absolui, cum non dum sit hoc declaratum. Sed alij Authores classici negant etiam vigore Iubilei posse absolui. At hodiè occultus hæreticus potest absolui a Maiore Pænitentiario, siuè per se, siuè per alium per Constitutionem nuper editam ab Innocentio XII. sub die 3. Septembris 1692. *incip. Romanus Pontifex in §. Eos tantum hæreticos in foro Conscientiæ dumtaxat &c. vide Ioannem Aloysium Riccium par. 3. dec. 279. & 280. qui multos DD. citat. Sanchez etiam de omnibus præmissis, de præceptis Decalogi tom. 1. lib. 2. cap. 2. num. 2. Manuel addit. ad Bullam §. 9. & alij.*

7 Dubitatur. Mulier quædam habebat virum suum nautam, qui nauigando captus fuit a Turcis, & post aliquos annos ad notitiam ei peruenit ipsum factum esse Turcam, ibique aliam duxisse vxorem, quæritur quid faciendum de hac muliere.

Resp. Quod potest monachari si vult, sed non potest alium ducere virum illo viuente; Sed si talis renegatus fugeret a Turcis relinquendo illam secundã vxorem, & ad fidem reuerteretur, & ad suam patriam veniret; hæc sua vxor fidelis ad sui libitum posset illum recipere, vel dimittere, vt in casu suprà proximè narrato, licèt non fuerit ab Ecclesia sententiatus, cum paria sint notorium esse hæreticum, siuè condemnatum; Et ideò non tenetur, nec cogi potest illum emendatum recipere, cum rarissimè accidat, quod tales Christiani renegati ad fidem verè conuertantur, cum sint inconstantes, & malæ vitæ, semper enim remanent in eis reliquiæ hæresis; propterea consultius faceret hæc mulier si Religionem ingrederetur, ità *DD. suprà citati in Dubio quinto.*

Se-

Septimum Impedimentum impediens & dirimens Matrimonium, est Vis & Metus.

QVÆSTIO XXI.

SVMMARIVM.

1 *In matrimonio requiritur consensus liberrimus, Vis autem, & Metus sunt contraria consensui.*
2 *Exemplum primum, & secundum.*
3 *An Domini temporales, Magistratus Regij, Barones &c. cogentes suos subditos ad matrimonium contrahendum cum persona certa, & designata, incidant in excommunicationem latam per Concilium Tridentinum.*
4 *Metus duplex est intrinsecus, & extrinsecus; grauis, vel leuis, scilicet cadens in constantem virum, vel cadens in inconstantem virum.*
5 *An matrimonium celebratum per metum leuem sit inualidum, & quid per metum grauem.*
6 *Metus dupliciter incuti potest, vel iustè, vel iniustè; quomodo id intelligatur; & quando matrimonium est validum, & quando inualidum, ponuntur exempla.*
7 *Vtrum matrimonium sit validum, quando stuprator contraxit cum stuprata etiam consentiente, cum lex indifferenter statuat, vt cogatur cum ea matrimonium inire.*
8 *An matrimonium sit validum contractum ab eo, qui sub pena excommunicationis cogitur ad contrahendum matrimonium.*
9 *Sed maior difficultas est, vtrum validum sit matrimoniũ, quando Iudex secundum allegata, & probata cogit aliquem ad contrahendum, sed coactio materialiter, & à parte rei est iniusta.*
10 *An validum sit matrimonium contractum per metum iustæ accusationis; Et quid si incutiatur metus mortis priuata auctoritate inferendæ.*
11 *Non est opus relaxatione Iuramenti, quando matrimonium celebratum fuit per metum grauem, addito Iuramento, nec hoc matrimonium resoluitur in sponsalia, nec peccat contrahens hoc modo.*

VIS, ET METVS.

1 IN contrahendo matrimonio requiritur consensus liberrimus *cap. Cum locum de sponsalibus:*& hoc Sacramentum concontinet vinculum indissolubile, & si ab initio gratum non est, vi, vel metu interueniente & cogente, felices exitus habere non potest. *Can. Præsens 20. quæst. 3.*

Cum igitur in matrimonio requiratur consensus liberrimus, & Vis, & Metus sint contraria consensui, sequitur quod Vis, & Metus matrimonium impediat, & contractum dirimat.

2 Exemplum est. Paterfamilias minis & verberibus inducit, & cogit filiam suam ad contrahendum matrimonium cum aliquo Iuuene, quem filia renuit, & abhorret, nec cum eo vult matrimonium contrahere; tamen minis, & verberibus inducta, cum eo Iuuene matrimonium contrahit, omnibus solemnitatibus Ecclesiæ interuenientibus, hoc matrimonium nullum est, ob impedimentum Vis, & Metus. *l. si patre cogente ff. de ritu nuptiarum. Bonac. de impedim. Vis, & Metus qu. 3. punct. 8. num. 6. qui multos citat.*

Secundum exemplum est. Si Domini temporales, vel Magistratus Regij, & Barones cogerent suos subditos ad matrimonium contrahendum cum aliqua persona certa, & designata, & adigerent inuitum, vel inuitam; matrimonium nullum est, quia præcessit in eis Vis, & Metus prædictorum Dominorum, & ipsi Domini cogentes sunt excommunicati. *Cap. Plerumque sess. 24. in Tridentino.*

3 In

3 In hac excommunicatione non comprehendi Dominos priuatos cogentes sua mancipia contrahere matrimonium, sicut neque comprehendi parentes, qui prohibent, vel cogunt filios inuitos ad matrimonium; nam Concilium loquitur de cogentibus habentibus Iurisdictionem in foro externo, vt patet ex præfatione illius Capituli, inquit *Sanchez lib. 4. disp. 22. Guttierez cap. 29. num. 11.* Nec etiam includi eos, qui prohibent matrimonium contrahi; Concilium enim non loquitur de prohibentibus, sed de cogentibus habentibus iurisdictionem, inquiunt *Nauarrus cap. 27. num. 150. & Idem Sanchez lib. 4. disp. 22.*

4 Supponendum est, metum alium esse intrinsecum, alium extrinsecum; Metus intrinsecus dicitur ille, qui causa intrinseca, vel naturali infertur, qualis est metus grauis ex periculosa infirmitate, aut a feris, siuè animalibus; hic metus dicitur intrinsecus, seù a causa intrinseca, vt distinguatur a metu extrinseco, qui fit a causa extrinseca libera, idest ab homine. Constat matrimonium celebratum per metum incussum a causa intrinseca, & naturali esse validum, sicut etiam validum est votum; Sed metus extrinsecus, hoc est ab homine, vel est grauis, aut leuis.

Metus dicitur vel cadens in constantem virum, & est metus grauis; vel cadens in incostantem virum, & dicitur metus leuis, & est ille quo aliquis maius malum, & inconueniens eligit, ad fugiendum minus; veluti si quis alicui dicat, si non ducis hanc in vxorem, non dabo tibi centum, quæ tibi promisi, qui metus matrimonium non irritat, si iste talis elegerit maius inconueniens, quod est non spontè ducere vxorem, quam amittere centum. Metus grauis cadens in constantem virum est, quo aliquis minus malum eligit, vt euitetur maius malum; vt metus mortis propriæ, aut filiorum, aut rei suæ magnæ, & notabilis amissionis, aut verberum, aut carceris perpetui, & similia, veluti etiam metus infamiæ Iuris, vel facti, cum melius sit bonum nomen, quam diuitiæ multæ. *Prouerb. 12.* maiora enim sunt hæc mala, quam ducere vxorem, & contrahere cum quacunque. *Toletus lib. 6. cap. 8. num. 2.*

5 Matrimonium ergo celebratum per metum leuem, cadentem in virum inconstantem, non est inualidum; tum quia in Iure non habetur ratio metus leuis, tum quia sicut cæteri contractus celebrati per metum leuem, non sunt irriti; ità neque est irritum matrimonium, cum huiusscemodi metu celebratum. Nullus enim textus extat illud irritans; neque Ius naturæ ipsum irritat; alioquin

quin omnia plena essent litibus, & controuersijs, cum metus leuis frequenter adesse soleat. *Bonacina de impedimentis matrimonij quæst. 3. punct. 8. num. 8.*

Matrimonium autem celebratum per metum grauem, seù cadentem in costantem virum, est inualidum Iure Ecclesiastico, modò metus sit iniustè incussus a causa libera ad hoc, idest ad extorquendum consensum. Ità *Nauarrus cap. 22. num. 50. & alij communiter, & constat ex cap. Veniens il 2. de sponsalibus, & cap. 2. de eo qui duxit in matrimonium &c.*

Dixi, modò metus sit iniustè incussus; quia si matrimonium celebratur per metum iustè incussum, validum est; vt testantur præcitati DD. quod vt meliùs intelligatur.

6 Aduertendum est metum dupliciter incuti posse; Primò iustè, secundò iniustè, quando iustè incutitur, validum est matrimonium, secus quando iniustè.

Metus verò, qui iustè incutitur ob vnum finem, non semper licitè incuti potest ob alium, vtpotè ad extorquendum matrimonium. Exempli gratia, aliquis habet Ius accusandi Titium ob iniuriam sibi illatam per contumeliam, vel per furtum, vel per homicidium; Iste potest metum accusationis incutere Titio, vt ab eo extorqueat debitam sibi satisfactionem, & in hoc casu dicitur, metum iustè incutere. Non potest tamen ob iniuriam sibi illatam per contumeliam &c. minari accusationem, vt extorqueat consensum matrimonij, nam iste metus repugnat libertati matrimonij, & est iniuriosus Sacramento, cum per huiusmodi metum Titius cogatur inuitus celebrare matrimonium cum filia, vel sorore illius, & matrimonium debeat esse liberum, & non coactum. Ità *Coninchus num. 15. & alij citati, & Sanchez modo citandus.*

Ex quo sequitur, eum qui minatur accusationem alteri, cum periculo longæ detentionis in carcere, vel exilij, nisi ducat propriam filiam, quam consentientem carnaliter cognouit, dici metum iniustè incutere, per ordinem ad matrimonium; Nam qui cognouit carnaliter aliquam consentientem, non tenetur præcisè ratione copulæ matrimonium cum ea contrahere, & si contrahat, eo quod contrahat per metum iniustè sibi incussum ad extorquendum matrimonium, matrimonium est inualidum. *Bonacina de impedimento Vis, & Metus quæst. 3. punct. 8. num. 11.*

Secus dicendum est, si ille cui metus incutitur dedit causam incutiendi sibi metum ob culpam, propter quam iure licito compelli potest ad matrimonium; tunc enim validum est matrimonium, eo quod metus sibi iustè incutitur. EX-

Explico Rem Exemplis.

PRimum exemplum eſt. Pater minatur accuſationem Titio, niſi ducat propriam filiam, quam ſtuprauit; videndum eſt in hoc caſu, an filia voluntariè conſenſerit, vel inuoluntariè violata ſit; ſi inuoluntariè violata eſt, validum eſt matrimonium celebratum cum metu accuſationis, nam hic metus iuſtè incutitur ob cauſam, propter quam ſtuprator iure licito compelli poteſt ad contrahendum matrimonium; ſi verò filia voluntariè conſenſerit, non videtur validum matrimonium celebratum cum metu accuſationis, ex qua timeatur graue damnum; nam ſtuprator virginis conſentientis, non dedit cauſam incutiendi ſibi metum ob culpam, propter quam licitè compelli poſſit ad matrimonium; ſtuprator enim virginis conſentientis, non tenetur illam ducere, niſi alius titulus adſit, veluti ſi ibi recepta eſſet lex præcipiens contrahere matrimonium cum ſtuprata, etiam conſentiente; vel ſi præceſſiſſent ſponſalia, ſiuè promiſſio matrimonij, vt ait *Sanchez lib. 4. diſput. 14. num. 7. & alij.*

Secundum Exemplum. Aliquis minatur accuſare furem quem vidit de furto, niſi talem mulierem ducat, iniuſte minatur accuſationem, per ordinem ad extorquendum conſenſum, conſequenter matrimonium cum huiuſmodi minis, & metu celebratum, videtur inualidum. *Reginaldus num. 27. & alij DD. citati à Bonacina eodem titulo quæſt. 3. punct. 8. num. 11. in fine.*

7 Ex dictis ſequitur: validum eſſe matrimonium, quod ſtuprator contraxit per metum cum ſtuprata etiã conſentiente, quando ſcilicet lex ſtatuit ſub pæna mortis, vel alterius mali, vt qui ſtuprauerit virginem, indifferenter loquens, cogatur cum ea matrimonium inire; & ratio eſt, tum quia Iudex iuridicè procedens, non dicitur inferre metum. *l. continet §. ſed vim ff. de eo quod metus cauſa,* tum quia ſtuprator ſponte ſua ſe illi pænæ ſubiecit per delictum, cui impoſita eſt à Iure huiuſmodi pæna, conſequenter nullam patitur iniuriam, ſi cogatur matrimonium inire cum ſtuprata. *Filiuccius tract. 10. cap. 8. par. 2. num. 26. Bonacina de impedimento vis quæſt. 3. punct. 8. num. 11. in fine, qui citat Sanchez lib. 4. diſp. 13. num. 2. & 3.*

8 Item etiam validum eſt matrimonium contractum ab eo, qui ſub pæna excommunicationis cogitur ad contrahendum matrimonium cum qua contraxit ſponſalia, & cogitur ſtare ſponſali-

bus

bus anteà celebratis, nam iustè cogitur ob culpam, propter quam iure licito compelli potest; & metus iste prouenit potius à causa intrinseca, quam ab extrinseca. Ità *Henriquez lib. 11. cap. 9. num. 2. & alij, ac etiam Bonacina de impedimento vis quæst. 3. punct. 8. num. 13.*

9 Sed maior difficultas est, vtrum validum sit matrimonium, quando Iudex secundum allegata, & probata, iustè cogit aliquem ad contrahendum matrimonium cum aliqua, sed coactio materialiter, & à parte rei est iniusta; vt quando Iudex cogeret Titium inire matrimonium cum sponsa, quæ post sponsalia fornicata est, ratione cuius fornicationis, Titius licitè potest à sponsalibus resilire, sed cogitur illis stare, & inire matrimonium, eo quod non possit in iudicio probare fornicationem sponsæ.

Resp. cum *Sanchez lib. 4. disp. 13. num. 8. de consensu coacto, & alijs ab ipso citatis*, Matrimonium validum esse; Ratio est, tum quia huiusmodi compulsio, & coactio est veridica, & iusta formaliter, & secundum ordinem iuris; tum quia non est credibile Ius positiuum quod irritat matrimonium celebratum per metum grauem, velle in proposito casu matrimonium esse inualidum, cum Iudex iuridicè procedat, secundum allegata, & probata. Secus dicendum quando Iudex iniustè cogit, quando scilicet non procedit secundum allegata, & probata.

10 Insuper validum est matrimonium contractum per metum iustæ accusationis, vel carceris vel mortis, iuridicè per Iudicem infligendæ, incussum Titio à Patre mulieris nisi ducat filiam suam, quam Titius deflorauit; ficta promissione matrimonij; nam metus iustè incutitur per ordinem ad matrimonium. Secus dicendum est, si incutitur metus mortis, priuata auctoritate inferendæ; tunc enim inualidum est matrimonium, eo quod Titius non compellatur iure licito, sed illicito, & iniustè: vt quando pater puellæ inuenerit iuuenem cum filia sua in fraganti stupro, illumque cogit metu mortis ad cōtrahendum matrimonium cum filia sua; si enim contraheret; matrimonium esset inualidum in foro Dei, etiamsi iuramentum ad hoc apposuerit; nam iuramentum esset contrà bonos mores, & non est obligatorium iniquitatis: quamuis in foro exteriori reputaretur pro matrimonio, quia Ecclesia non iudicat de occultis; hic autem metus est ab extrinseco, scilicet ab homine iniustè incussus. *Abbas in cap. Veniens il 2. de sponsaltbus in fine. Bonacina de impedimento vis quæst. 3. punct. 8. num. 15.*

11 Sciendum iuxtà communiorem DD. sententiam, non esse opus relaxatione iuramenti, quando matrimonium per metum graueni

uem

uem celebratum fuit, addito iuramento, neque est opus relaxatione, vbi non adest vinculum, & obligatio. Ità *Rodriquez prima par. cap.* 131. *num.* 4. *Bonacina loc. cit. num.* 27 *& alij.*

Idem dicendum est de sponsalibus per metum grauem celebratis cum iuramento, *vt ait Emmanuel Sà verbo sponsalia num. primo.*

Sic etiam matrimonium celebratum per metum grauem, non resoluitur in sponsalia, neque inducit obligationem sponsaliorum; Ratio, quia huiusmodi cotractus est irritus iure positiuo; sicut enim matrimonium requirit consensum liberum, ità etiam sponsalia, ità *Henriquez lib.* 11. *cap.* 18. *num.* 6. *& alij communiter.*

Neque peccat contrahens matrimonium per metum grauem; quia nulli facit iniuriam, sed potiùs ipse patitur iniuriam ab eo, qui metum incussit; neque facit iniuriam Sacramento, cum matrimonium non sit irritum defectu ipsius, sed ex decreto Ecclesiæ. Hoc idem asserunt DD. quando matrimonium contrahitur per metum grauem cum iuramento. *Coninchus disput.* 28. *dub.* 3. *Guttierez num.* 18. *Reginaldus num.* 80. *eodem titulo. Bonacina loc. & titulo citato num.* 30.

12 Matrimonium celebratum per metum incussum à causa libera, non ad hunc finem vt matrimonium ineatur, sed ob aliam causam, validum est; *Petrus Ledesma quæst.* 47. *art.* 3. *& alij.* Ratio est, tum quia adest sufficiens voluntarium ad matrimonium, quod spontè eligitur, & est gratum contrahenti, tum quia nullo iure constat irritari; Vndè validum est matrimonium celebratum cum meretrice ad euitandam mortem in ijs locis, in quibus consuetudine receptum est, vt morte damnato, si velit matrimonio iungi cum aliqua meretrice, donetur vita; ratio est, quia metus mortis non incutitur ad extorquendum matrimonium, sed iam incussus propter delictum anteà commissum, aufertur, oblata occasione ducendæ meretricis. *Bonacina de impedimento vis, & metus quæst.* 3. *puncto* 8. *num.* 16.

Ex his sequitur validum esse matrimonium, quod quis contraxit cum aliqua, ad euitandum periculum Animæ; Ratio est, quia metus non est incussus a causa libera, ad extorquendum consensum, sed est metus intrinsecus, non autem extrinsecus, ità *Sotus in* 4. *distinct.* 29. *quæst.* 1. *art.* 3. *Sauchez lib.* 4. *disp.* 12.

Ex quo vlteriùs patet, validum esse matrimonium, quod quis contraxit cum Concubina metu inferni, vel infamiæ, vel mortis, vel naufragij.

Validum etiam est matrimonium contractum ab eo qui damnatus erat ad mortem à Iudice, sed Iudex, vel alius liberationem

à morte promisit, si filiam propriam duceret in matrimonium; Ratio est, quia hic metus non est incussus ad extorquendum matrimonium, sed iam incussus aufertur, oblata occasione matrimonij, & tradito modo, quo ille se possit à morte liberare. *Sotus distinct. 29. quæst. 1. art. 3. Filiuccius tract. 10. cap. 4. quæst. 1. Couarr. Bonacina loc. cit. num. 20. & alij.*

Validum quoque est matrimonium contractum à defloratore puellæ, quem pater, vel frater puellæ volebat occidere, sed ipsemet deflorator sua sponte obtulit se ad celebrandum matrimonium, vt mortem euitaret; Ratio est, quia metus non est incussus ad extorquendum matrimonium, Pater enim, vel frater puellæ defloratæ intendebant defloratorem occidere, non verò metum incutere ad coniungendam filiam, vel sororem in matrimonium cum defloratore; ipse enim deflorator spontè obtulit matrimonium, vt tolleret metum sibi alio fine incussum. Secus dicendum est, si metus mortis fuit incussus ad extorquendum matrimonium. Itá *Henriquez num. 2. Reginaldus num. 77. eodem titulo. Bonacina eodem titulo de impedimento vis loc. cit. num. 22.*

Validum est etiam matrimonium contractum inter filiam Medici, & Egrotum, quem Medicus curare nolebat, nisi duceret propriam filiam; nam metus mortis non est incussus à Medico, sed à morbo. *Sanchez disp. 12. num. 15. Coninchus num. 11. Emmanuel Sà num. 9. Filiuccius num. 105. eodem titulo, & alij.*

Sponsalia celebrata per metum grauem non inducunt impedimentum publicæ honestatis; nam hoc impedimentum inducitur ex sponsalibus validis. Secus dicendum est de sponsalibus celebratis per metum leuem. *Bonacina loc. cit.*

13 Obseruandum quoque est, quando metus est ab intrinseco non irritat matrimonium, tam carnale, quam spirituale; secus est quando est ab extrinsecó vt supra diximus, prout *Abb. in cap. Sicut il 2. de Regularibus. Sotus in 4. sentent. distinct. 29. quæst. 1. art. 3. Couarr. in 2. parte de matrimonio cap. 5. §. 4. & 5.* Exemplum est.

Si quis in Mare naufragium patiendo fecit votum, quod si non interiret Monachus fieret, hoc casu si periculum mortis euaserit, & ad salutis portum peruenerit, omninò votum perficere tenetur, cum ab intrinseco metus venerit; Nec sunt audiendi qui dicunt, hoc votum non valere, quia metu mortis fuit factum, & subiungunt hoc valere, si in Terra fuerit firmatum; Nam semper hoc votum perficere tenetur, cum non venerit ab extrinseco, sed ab intrinseco conscientiæ suæ, cum ipse fecerit votum, & nemo alius faciendi causam dederit. *Sotus loc. cit.*

Sic

Sic quoque si quis in Carcere fecerit votum; si indè exierit, uotum perficere tenetur; cum hoc votum sit ab intrinseco; Secus esset, si cum fecerit hæc vota, quis mentis compos non fuerit. *Abbas, & Sotus locis citatis*.

14 Altera propositio est; quod ille metus, qui valet rescindere contractum in foro exteriori, valet etiam rescindere matrimonium tam carnale, quam spirituale in foro interiori; Veluti.

Si metu renerentiali (non quocunque, sed graui, qui scilicet coniunctus est cum minis, vel cum timore malæ tractationis, vel cum alio graui incommodo) & non sua voluntate, aliqua puella professionem fecerit in monasterio; quo casu professio nulla est, quamuis in foro exteriori pro valida reputetur; Ità quoque si fiat matrimonium carnale, nullum est in foro Dei, quamuis in foro exteriori pro valido reputetur. *DD. suprà citati*; quando verò hoc impedimentum probatur in foro exteriori, matrimonium irritum declaratur.

Vnde aduertant Parentes puellarum, ne metu cogant filias suas ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum, vel ad professionem emittendam; nam in tali casu sunt etiam excommunicati, vt decreuit. *Concilium Tridentinum sess. 25. de Regularibus in cap. Anathemati*.

15 In omnibus tamen casibus prædictis, in quibus in foro Dei nullum est matrimonium tam carnale, quam spirituale remedium erit, vt renouetur consensus vtriusque coniugis in matrimonio carnali, vt fiat liberè, sicut priùs fuit coactus, quamuis absque præsentia Parochi, & testium; Et Confessarius sic debet consulere; sic etiam in professione inualidè facta potest renouari consensus, absque interuentu Superioris, vel Abbadissæ. *Nauarrus cap. 22. num. 70. Bonacina tomo primo de Clausura quæst. 2. punct. 10. Difficultate prima proposit. 3. num. 3. & sequent.*

16 Filij debent requirere consensum parentum antequam matrimonium ineant. DD. communiter; Et Cathechismus Romanus his verbis innuit; Inter cætera autem maximè hortandi sunt filij familias, vt parentibus, & ijs in quorum fide & potestate sunt, eum honorem tribuant, vt ipsis inscientibus, nedum inuitis & repugnantibus matrimonium non ineant, nam in veteri Testamento licet animaduertere filios à parentibus semper in matrimonium collocatos esse. 2. *Genesi 24. per totum, & 28. 29; & 21. cap. Honorantur 32. quæst. 1. & cap. 1. De desponsat. impuber. Idem Catechismus de matrimonio parte 2. num. 32.*

17 Sed maior difficultas est, an filij peccent lethaliter parentibus

inſcientibus, contrahendo matrimonium. *Bonacina de Matrimonio, quæſt.4. punct. 17. num. 25. cum DD. ab ipſo citatis,* aſſerunt filios peccare mortaliter contrahendo matrimonium, non præmiſſo parentum conſilio, niſi fortè filijs habeant iuſtam cauſam contrahendi abſque ipſorum conſilio.

Et *Nauarrus cap. 14. num. 15. in fine dicit*, quod non ſolum debent filij de honeſtate, ſed etiam de neceſſitate, quoad effectum non peccandi, licet non quoad effectum, vt ad id cogi poſſint.

Belarminus verò lib. primo de matrimonio cap. 19. propoſit. 3. in fine, & alij inquiunt, exiſtente iuſta cauſa in filio, eum culpæ eſſe immunem, vt ſi pater iniuſtè prohibeat filium ſuum illud matrimonium, quod appetit inire; & benè exemplificat, vt ſi pater indigno matrimonio filium ſuum collocare velit, gratia amplioris dotis; Vel ſi pater velit filium ſuum ducere vxorem ægram, imprudentem, immorigeratam, aut inferioris conditionis, cum qua probabiliter credatur filius fore, vt pacem non habeat; Vel ſi filia vigeſimum quintũ annum exceſſerit, & pater non cogitat, vel nolit eam collocare in matrimonium; Et ratio eſt, quia Ius Canonicum omnimodam in matrimonio libertatem exigit, ne minuatur contrahendi libertas, cui arridet Ius Cæſarium ex *Authen. Sed ſi poſt Cod. de inofficioſo teſtamento*.

At probabilius exiſtimo cum *Sanchez lib. 4. diſp. 23. num. 10.* Filios teneri ſub culpa lethali conſilium Parentum circà matrimonium petere, non tamen illud ſequi in caſibus prædictis, & ità licitè poſſe ipſis inuitis, priùs tamen conſultis, inire matrimonium, quod volunt; Prætercà quia Iuri naturæ, quo parentes in liberos funguntur, ſub quorum ſunt poteſtate, conforme eſt, ne citrà parentum conſilium, aliquid de re tam graui, vt eſt matrimonij vinculum, à quo totum vitæ inſtitutum pendet, filius deliberet; & ipſa perpetuitatis ratio, & amoris nexus, quo debent coniuges conglutinari, parentum conſilium in nuptijs celebrandis expoſcit.



Octauum

Octauum Impedimentum impediens, & dirimens matrimonium est Ordo Sacer.

QVÆSTIO XXII.

SVMMARIVM.

1 *An Clerici insigniti ordinibus minoribus contrahendo matrimonium peccent; & Beneficiati perdant beneficium.*
2 *Quando Ordo Sacer præcedit matrimonium, illud est nullum ipso Iure.*
3 *In quam pœnam incidant initiati Ordinibus Sacris contrahentes matrimonium.*
4 *Quid si constitutus in Ordine Sacro nunquam intellexit inesse in Ordine Sacro Votum solemne Castitatis?*
5 *An matrimonium sit nullum, etiamsi illud contrahat Clericus in Sacris, sed depositus, siuè degradatus, vel verbaliter, vel realiter.*
6 *Quid si Clericus in Sacris, sub promissione matrimonij contrahendi, virginem violauerit, cum qua deindè matrimonium fecit.*
7 *Limitatio valdè digna scitu.*
8 *Conclusio certa super re proposita.*
9 *Quid si Summus Pontifex dispensaret cum Sacerdote absque legitima causa.*
10 *Vtrum suscipiens Ordines Sacros, cum intentione positiua non vouendi, teneatur Voto Castitatis.*
11 *An Ordo vi præcisa susceptus valeat, obliget, & cum eo recipiatur Character; Et quid quando adest solus metus.*
12 *Constat apud omnes eum, qui post matrimonium metu viri constantis recipit Ordinem Sacrum, non teneri continere quoad vsum illius matrimonij.*
13 *Vtrum puer ordinatus antè rationis vsum teneatur seruare castitatem, ità vt matrimonium ab ipso postea celebratum sit inualidum.*
14 *An iste puer, qui postquam peruenit ad rationis vsum, noluit ratificare votum dicto, vel facto, remaneat suspensus ab vsu ordinis, vel frui debeat priuilegijs Clericalibus.*
15 *Vtrum initiatus Ordine Sacro antè pubertatem, vel antè 16. annum,*

teneatur

teneatur seruare castitatem, & possit matrimonium contrahere.

16 *Queres quam pœnam aliam incurrant initiati Sacris Ordinibus, contrahendo matrimonium.*

17 *Quæres vtrum vir coniugatus possit aliquando licitè Sacros Ordines suscipere; aut petere, & reddere debitum; & quid quando initiatur absque vxoris consensu.*

18 *Vtrum coniugatus possit ad Episcopatum promoueri.*

19 *An vxor que voto castitatis emisso, licentiam coniugi dedit suscipiendi Ordines Sacros, seù ascendendi ad Episcopatum, vel Cardinalatus dignitatem, validè possit mortuo coniuge nouum matrimoniū inire.*

20 *Vtrum Orientalibus scilicet Græcis Sacerdotibus licitum sit, vel fuerit contrahere matrimonium.*

OCtauum impedimentum impediens, & dirimens matrimonium, est Ordo Sacer habens votum annexum solemne Castitatis, *cap. Cum olim de Cleric. coniug.* & in *cap. vnico de voto in 6. Ità deffiniuit Ioannes 22. in sua Extrauag. Antiqua de voto, & nouissimè Conc. Trident. sess. 24. de matrimonio Can. 9.*

1 Alij verò Ordines non Sacri, scilicet minores, quia non habent votum annexum castitatis, non impediunt matrimonium contrahendum, nec contractum dirimunt; vndè Clerici initiati Ordinibus Minoribus, si non possint, vel nolint sustinere vitam continentem possunt ducere vxorem. *Can. Si quis eorum. Can. Lectores. Can. Placuit 32. distinct. cap. primo, & secundo de Clericis coniugatis*; Ideò si vxorem ducunt non peccant, quia meliùs est nubere, quam vri; Solum puniuntur in hoc, quod si habuerint beneficium aliquod, ducendo vxorem, statim illud beneficium vacat. *Abbas in dict. cap. 1; & 2. de Clericis coniugatis.*

Sciendum quod facienda est distinctio quando Ordo Sacer impedit, & dirimit contractum, quæ talis est; aut Ordo Sacer præcedit matrimonium, aut matrimonium præcedit Ordinem Sacrum.

2 Primo casu, scilicet quando Ordo Sacer præcedit matrimoniū, quod subsequitur post Ordinem Sacrum susceptum; veluti si Subdiaconus, vel Diaconus, vel præsbyter ducat vxorem, & contrahat matrimonium, siuè ratum, siuè consumatum; illud matrimonium nullum est ipso Iure, cum præcedat impedimentum essentiale Sacri ordinis, impediens, & dirimens matrimonium contractum.

3 Et talis initiatus Ordine Sacro esset in perpetuo concubinatu, cum tot sacrilegijs, & etiam esset excommunicatus per *Clement.*

ment. 1. de Consang. & affin. & Irregularis, non valens amplius exercere Ordines Sacros absque dispensatione, vt in *Extrauag. Ioannis 22. incipiente antiquæ sub titulo de voto. Glossa & DD. in dic. cap. vnico de voto in 6. Nauarrus cap. 22. num., 52.* & esset casus sanctæ Inquisitionis.

4 Ampliatur Conclusio, quod matrimonium contractum à Clerico in sacris constituto nullum est, etiamsi Clericus nunquam intellexit inesse in Ordine Sacro votum solemne castitatis; & ratio, quia hoc votum solemne castitatis est annexum Ordini Sacro, ex statuto Ecclesiæ, & qui vult antecedens, vult & consequens, & in sacris ordinatus illud implicite promittit, perinde ac si esset Regularis professus, siuè Monachus, vt in *cap. vnicò de voto in 6.* hoc enim votum scire debuit, & si ignorauerit sibi imputatur. *Abbas in dic. cap, vnico in 6. & DD. communiter.*

5 Ampliatur secundò, quod matrimonium nullum est, etiamsi illud contrahat Clericus in Sacris, sed depositus, siuè degradatus, siuè verbaliter, siuè realiter; & ratio est, quia cum habeat præcedens votum castitatis ossibus infixum, & caracterem indelebilem, si deindè matrimonium contrahat, illud est nullum. *Sotus in 4. sentent. distinct. 38. quæst. 1. art. 1. Nauarrus loc. cit. & toto titulo, Qui Clerici, vel Vouentes. Ibi Abbas in cap. 1; & 2.*

6 Ampliatur tertiò, si Clericus in sacris sub promissione matrimonij contrahendi, virginem violauerit, cum qua deindè matrimonium fecit, illud quidem matrimonium nullum est. Et Clericus est irregularis, & excommunicatus, vt suprà diximus, ac in perpetuum carcerem detrudendus est; Et hic casus spectat ad sanctam Inquisitionẽ ità *Bernardus Dias in praxi criminali. cap. 74.*

7 Limitatur Conclusio, vt non procedat, sed matrimonium validum sit, si Clericus in sacris illud contrahat cum dispensatione Summi Pontificis; si enim Summus Pontifex dispensaret, & Sacerdos duceret vxorem, illud matrimonium validum esset, & filij ex eo nati essent legitimi: & ratio est, quia Summus Pontifex potest dispensare, cum hoc votum castitatis inhærens Ordini Sacro sit ex statuto, & præcepto Ecclesiastico, & per consequens de iure positiuo, suprà quod est Summus Pontifex. ità dicit *Nauarrus Consil. 37; & 38. de voto,* quod Summus Pontifex potest etiam dispensare, vt Monachus professus matrimonium contrahat, & si dispensaret, matrimoniũ validum esset, & filij ex eo nati essent legitimi; quæ conclusio intelligitur quando dispensatio non fuit subreptitia, vel obreptitia, quia tunc dispensatio nulla esset in foro Dei, quamuis in foro fori reputaretur validum matrimonium.

In

In Præfata limitatione conclusionis nonnulli DD. discordant, vt est videre apud citatum *Nauarrum in dicto Consil. 37; & 38. de voto,* asserentes, Papam posse tantummodo dispensare in ordine Subdiaconatus, & Diaconatus, non autem in ordine Presbyterij, tenentes Sudiaconatum, & Diaconatum esse quidem ordines participatiuè, sed non integrè vt Sacerdotium, quos DD. refert *Dominicus Sotus 4. sentent. distinct. 38. quæst. 2. art. 2. de voto*, inquiens, hoc esse contrà omnem Catholicorum opinionem, à qua discedere temerarium esset, cum solemnitas voti castitatis in ordine sacro non sit inducta iure naturali, nec Diuino, sed humano Ecclesiastico; vt est textus in dicto *cap. primo de voto in 6.*

Et idem *Nauarrus subiungit in dic. Consil. 38. num. 11. Ibi*, Sacrosanta Sedes Apostolica frequenter dispensauit cum Subdiaconibus, & aliquando cum Diaconibus, vt contraherent matrimonium, & multi testantur præsertim doctissimus Michael Medina Franciscanus, qui ait se vidisse multas dispensationes Subdiaconorum, & non paucas Diaconorum; & Ramirus delato sibi Regno Aragoniæ, qui Monachus, & Archipresbyter erat, matrimonium ex dispensatione Sanctæ Sedis Apostolicæ contraxit, vt testantur Paludanus, Caietanus, & alij graues historici; & videtur quod Papa id fecerit iusta causa, tanquam Vicarius Christi, assistente sibi Diuina prouidentia, & habito grauissimorum virorum consilio, quod grauissima res exigebat, & ità piè credi potest non potuisse errare; cum ergò nullo Iure Diuino naturaliter indito, neque supernaturaliter tradito, vitentur Sacerdotibus matrimonia, cum continentia, & Sacerdotium non sint inseparabiliter annexa; Cum denique S. Thomas, & alij expresè affirment, Papam posse dispensare cum Presbytero iusta de causa de plenitudine suæ potestatis cum quolibet sacro ordine initiato, tam Presbytero, quam Subdiacono, & Diacono iusta de causa; licèt contrarium teneat super voto Monachali. Idem *D. Thom. 2.2. quæst. 88. in corpore.*

Alij distinguunt; quod non potest Papa dispensare cum Presbytero, vt ità contrahat matrimonium, quod simul vtatur eius, & Sacrorum ordinum exercitio; non autem quod non possit dispensare, vt relicto Sacrorum Ordinum exercitio, possit vti coniugio, & actibus coniugalibus, quæ declaratio honestissima est, & digna, quæ in casu præsenti suscipiatur. Idem *Nauarrus, loc. cit.*

8 Vltima Conclusio certa, & de fide Catholica est, quod Papa potest dispensare circà omne Ius humanum, iuxtà *cap. cuncta per mundum, & tradunt omnes, & sunt multi Canones de hac re*; Constat

ſtat autem ſolemnitatem voti caſtitatis in Ordine Sacro tacitè contentam, eſſe iure humano inductam, ergo poterit ſuper ea iuſta de cauſa Papa diſpenſare.

9 Si Summus Pontifex diſpenſaret cum Sacerdote abſque legitima cauſa, validum eſſet matrimonium ab eo Sacerdote initum, nam cenſeretur ablatum impedimentum dirimens ab Eccleſia inductum; eſſet tamen illicitum huiuſmodi matrimonium, nam votum caſtitatis, quamuis iure naturæ non faciat inualidum matrimonium, facit tamen illicitum, quia matrimonium includit obligationem ad copulam, votum verò abſtinentiam à copula. *teſte Conincho de Sacramento Ordinis num.* 115. *Bonacina de impedimento Ordinis quæſt.* 3. *punct.* 9. *num.* 12. *in fine*.

10 Vtrum verò ſuſcipiens Sacros ordines cum intentione poſitiua non vouendi, teneatur voto caſtitatis.

Reſp. Non teneri ratione voti præcisè, ſed ratione præcepti Eccleſiaſtici; & conſequenter ſi iſte talis contraheret matrimonium eſſet inualidum, non ratione voti, cum votum non ſit validum, votum enim eſt lex priuata, quam quiſque ſibi voluntariè imponit; ſed ratione præcepti Eccleſiaſtici, quo cauetur ne initiatus Ordine Sacro validè contrahat matrimonium. *Bonacina loc. cit. num.* 11.

11 Conſtat apud omnes, ordinem vi præciſa ſuſceptum ad nihil prorſus obligare, ratio eſt, cum deſideretur voluntas, eadem non adeſt; Ergo non valet Ordo, nec Character recipitur, vt conſtat ex *cap. Maiores de Baptiſmo*; quare tota difficultas eſt, quando eſt ſolus metus; igitur in eo caſu adeſt voluntas, & valet Ordo, imprimitque Characterem, vt conſtat ex eodem *cap. Maiores. fatentur omnes DD. & Sanchez lib.* 7. *diſp.* 29. *num.* 1.

12 Secundò conſtat apud omnes, eum qui poſt matrimonium, metu viri conſtantis recipit Ordinem Sacrum, non teneri continere, quoad vſum illius matrimonij, ſed poſſe illo liberè vti, ac ſi ordinem non accepiſſet, eo quod rationi conſentaneum minimè eſt, eum Iure vtendi matrimonio inito priuari; qui non ſua ſponte, ſed metu graui compulſus ad ordinem aſcendit; & id eſt verum, quamuis matrimonium conſumatum non ſit, vt fatentur *Abbas cap. Maiores*, §. *vltimo num.* 7. *de Baptiſmo*, Immò habet verum, quamuis vxor continere vellet; *Hoſtienſis ſumma eodem titulo num.* 5. *verſ. ſed numquid conditionaliter*. Et non ſolum non teneretur ad caſtitatem, ſed nec etiam ad diuinum Officium recitandum. *Sanchez lib.* 7. *diſp.* 29. *num.* 2. 6. *&* 7.

13 Vtrum puer ordinatus antè rationis vſum teneatur ſeruare ca-

ſtitatem, ità vt matrimonium ab ipſo poſteà celebratum ſit inualidum.

Reſpondeo cum *Sanchez lib. 7. diſp. 30. num. 2. Sylueſtro verbo matrimonium 8. quæſt. 12; & alijs ab ipſis citatis*, non teneri ad ſeruandam caſtitatem, non enim tenetur ratione præcepti, quia non eſt credibile, Eccleſiam velle ipſum ſuo præcepto obligare ad ſeruandam caſtitatem, niſi ordines ſuſceptos ratificauerit; neque tenetur ratione voti, nam votum eſt voluntaria promiſſio facta Deo, infans autem antè rationis vſum non poteſt Deo promiſſionem voluntariè facere; ergo non tenetur ad ſeruandam caſtitatem.

14 Ex quo ſequitur ipſius matrimonium eſſe validum, ſi poſtquam peruenerit ad rationis vſum, non ratificauerit votum liberè, ſpontè, dicto, vel facto; quare huiuſmodi infanti poſtquam ad rationis vſum peruenerit, danda eſt optio, num velit in Ordine ſuſcepto permanere; ſi velit, remanebit vinculo caſtitatis adſtrictus; ſi verò noluerit in eo permanere, remanebit ſuſpenſus ab vſu ordinis, nec gaudebit, nec frui debebit priuilegijs clericalibus; æquum enim non eſt, vt qui onus ſentire recuſat, ſentiat commodum, contrà Regulam, *qui ſentit, de Regulis Iuris in 6. Idem Sanchez loc. cit. num. 4. & 5. & diſput. 29. num. 3.*

15 Vtrum initiatus Ordine Sacro antè pubertatem, vel antè 16. annum teneatur ſeruare caſtitatem, & poſſit matrimonium contrahere.

Reſpondet, Idem *Sanchez lib. 7. diſput. 30. num. 8, & plures alij DD.* quos pro ſe citat, non teneri ſeruare caſtitatem. Ratio eſt, quia profeſſio facta ante decimumſextum annum non obligat; ità neque videtur obligare votum caſtitatis adnexum Ordinibus Sacris ſuſceptis ante 16. annum; Addens non teneri ad caſtitatem, niſi poſt 16. annum ratificet votum; conſequenter poteſt matrimonium contrahere, niſi votum ratificauerit. Ob eandem rationem dici poteſt, iſtum non teneri ad recitandas horas canonicas, niſi poſt legitimam ætatem ratificauerit Ordines ſuſceptos. Mihi autem probabiliùs dicendum videtur cum *Soto de Iuſtitia lib. 7. quæſt 2. art. 5. in fine, Claui regia lib. 6. cap. 5. num. 9. Coninchoc loc. cit. dub. 14. num. 136. Caietano 2.2. quæſt. 88. art. 9. Bonacina de impedimento Ordinis, quæſt. 3. punct. 9. num. 16. & alijs.* Sic ordinatum teneri voto caſtitatis, & oneri recitandi diuinum Officium; Ratio eſt, quia qui vult principale, vult etiam acceſſorium, ſed principale eſt ordo, acceſſorium eſt votum, & aliæ obligationes conſequentes ordinem; Ergo adoleſcens qui vult ordines ſuſci-

ſcipere antè 16. annum, vult etiam obligationes ordini ſacro adnexas, videlicet votum caſtitatis, & onus recitandi Diuinum Officium, *DD. citati*. Ex quo patet iſtum non poſſe matrimonium validè contrahere. Neque obſtat ratio *Sanchez*, nam aliter ſancitum eſt de profeſſione, quam de ſuſceptione ſacrorum ordinum; vnde non valet argumentari ab vno diſparato ad aliud.

16 Quæres quam pœnam incurrant initiati ſacris ordinibus contrahendo matrimonium.

Reſpondeo incurrere primò in excommunicationem, vt habetur *in Clementia vnica de conſang. & affin. vt ſuprà dixi. Nauarr. cap. 27. num. 14. & alij communiter.* Secundò incurrere in irregularitatem, *cap. Quotquot 27. quæſt. 1.* quæ irregularitas incurritur etiam antè conſumatum matrimonium, iuxtà *Sanchez lib. 7. diſp. 48. Couarr. 2. parte de matrimonio, cap. 6. §. 3. num. 1. & alios.*

17 Quæres vtrum vir coniugatus poſſit aliquando licitè ſacros ordines ſuſcipere.

Reſpondeo poſſe; Primò quando poteſt facere diuortium quoad Torum, & habitationem; aut Religionem intrare, etiam inuita vxore. Secundo quando ſuſcipit ordines cum libero, & legitimo vxoris conſenſu, legitimus autem vxoris conſenſus eſt, ſi ipſa exiſtens iuuenis, ingrediatur Religionem, & profiteatur; Vel ſi Senex fuerit, ſaltem voueat caſtitatem, vt ſuprà diximus, *cap. Agatoſa 27. quæſt. 2. Sauchez lib. 7. diſput. 39. num. 6. & alij citati à Bonacina loc. cit. num. 18. de impedimento ordinis.*

Hinc deducitur, eum qui legitimo vxoris conſenſu ſacros ordines ſuſcepit, non poſſe petere, nec reddere debitum, quia voto caſtitatis tenetur.

Qui verò ſuſcipit ordines abſque legitimo vxoris conſenſu, non poteſt petere debitum, quia eſt adſtrictus voto caſtitatis, & debet abſtinere ab omni actu venereo; Poteſt tamen reddere vxori petenti, vel ab ea reuocari poteſt, nam ipſa non fuit priuata iure ſuo, propter Ordines ſuſceptos à viro, abſque legitimo ipſius vxoris conſenſu. *Nauarrus cap. 22. num. 52. in fine, Sanchez, Rodriquez, Guttierez, Filiuccius citati à Bonacina de impedimento ordinis loc. cit. S. Thomas ab omnibus receptus in 4. diſtinct. 37. art. 2.*

18 Quæres vtrum coniugatus poſſit ad Epiſcopatum promoueri.

Reſp. poſſe concurrentibus his conditionibus. Prima eſt, vt ipſa vxor conſentiat. Secunda vt ipſa Religionem ingrediatur, & in ea profeſſionem emittat. *cap. ſanè de conuerſ. coniug. Ibi*, prohibemus ne vxoratum præſumatis in Epiſcopum ordinare, niſi vxor ipſius profeſſa ſit continentiam, ſacrum ſibi velamen imponat,

ponat, & Religiosam vestem assumat, ità *Couarruuius 4. Decretalium par. 2. cap. 6. §. 3. num.3. Sanchez de matrimonio lib.7.disp.41. num. 2. & alij.*


19 Quæres, vtrum vxor quæ, voto castitatis emisso, licentiam coniugi dedit suscipiendi Ordines Sacros, seù ascendendi ad Episcopatum, vel ad Cardinalatus dignitatem, validè possit, mortuo coniuge, nouum matrimonium inire.

Resp. Nec licitè, nec validè posse; Quod licitè non possit, patet, quia detinetur vinculo castitatis; Quod verò validè non possit, probatur ex dispositione Iuris irritantis huiusmodi matrimonium. *cap. Quia sunt distinct.28.* ità, *Abbas in cap. Constitutus nu.6. de conuers. coniugat. Sanchez lib.7. disp. 4. num. 2. & alij ab ipso cit.*

20 Vtrum verò Orientalibus, scilicet Græcis Sacerdotibus licitum sit, vel fuerit contrahere matrimonium.

Certum est, nunquam licuisse, aut permissum esse, quare si Græcus aliquis Sacerdos contraheret matrimonium, inualidè contraheret; permissum est tamen Græcis iam coniugatis suscipere Sacros Ordines, & vti matrimonio ante sacros ordines celebrato, vt patet ex *cap. alter distinct. 31.*

Vt hæc meliùs intelligantur; Aduertendum est ordines sacros dirimere matrimonium Iure Ecclesiastico, non solum ratione voti solemnis, quod est adnexum sacris ordinibus, ex decreto Ecclesiæ, quod Decretum non est acceptatum à Græcis, vt inquit Innocentius Tertius *cap. cum olim* (alioquin non possent vti matrimonio) sed etiam ratione ipsorum ordinum, & hoc Ius viget in Ecclesia Græcorum, ità vt initiatus ordine sacro non validè contrahat matrimonium; quamuis iam Coniugatus possit ordines suscipere, & vti matrimonio anteà contracto *Azorius prima par. lib. 3. cap.13. Sanchez lib.7. disput. 28. Bellarminus lib.1. de Clericis coniugatis cap. 19. Et ex Concilio Romano cap. 8. & ex alijs Concilijs.*



Nouum

Nonum Impedimentum impediens, & dirimens Matrimonium est ligamen.

QVÆSTIO XXIII.

SVMMARIVM.

1 *Quid significet ligamen, scilicet Polygamia.*
2 *Summus Pontifex nullatenus in hac pluralitate vxorum dispensare potest.*
3 *Quares si Infideles contrahant matrimonium cum multis fœminis, an illorum matrimonium validum sit tantummodo cum prima.*
4 *Sequitur inualidum esse Iure naturæ matrimonium vnius fæminæ cum pluribus viris.*
5 *Vtrum sint Sacramentum Nuptiæ, non solum primæ, verum etiam secundæ, & reliquæ legitimè celebratæ.*
6 *An inducatur impedimentum ligaminis, nullumque sit matrimonium secundum consumatum, quando primum matrimonium fuit separatum solemniter iudicio Ecclesiæ, ob adulterium commissum.*
7 *Dubitatur; Vxor relicta à viro, post decennium habuit literas testimoniales alicuius Hospitalis, vel Testes deponentes apud iudicem mortuum esse suum virum, vnde contraxit secundum matrimonium; si postea primus maritus redierit, an peccauerit, & filij procreati cum secundo viro sint legitimi, & quid agere debeat.*
8 *Qualis certitudo de morte coniugis requiratur, vt superstes possit cum alio matrimonium inire; Et nota obseruationes sequentes.*
9 *Vtrum vxor quæ contraxit matrimonium cum secundo, credens priorem virum mortuum esse, teneatur recedere à secundo, postquam cognouit priorem virum superstitem esse.*
10 *Quares, vtrum sit validum matrimonium contractum ab eo, qui falsò credebat superstitem esse priorem vxorem, sed reuera mortua erat.*
11 *Quid dicendum de eo, qui contraxit matrimonium, credens adesse impedimentum dirimens, quod reuera non aderat;*

1 NOnum impedimentum impediens, & dirimens matrimonium, est ligamen, hoc est vinculum alterius matrimonij; Persona enim alligata vni matrimonio, aliud eodem tempore

pore contrahere nequit, nam vir ligatus est suæ vxori, & vxor suo viro; Si tamen quis errorem habens cum qua ligatus est, aliud matrimonium ea viua contrahat de facto, etiamsi matrimonium cum secunda consumet, & prima nondum cognita, secundum matrimonium nullum est, sic è conuerso, ex impedimento ligaminis. *Caietanus in verbo matrimonium,* cuius dicti ratio est; quia Polygamia, idest habere plures vxores, siuè viros eodem tempore prohibitum est Iure Diuino, & humano. *Cap. Gaudemus de diuortijs, & toto titulo de sponsa duorum, & nouissimè ex Concilio Tridentino sess. 24. de matrimonio Can. 3. his verbis.* Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nulla lege Diuina esse prohibitum. Anathema sit. Et ex testimonio Christi, *Matthæi 19. quicunque dimiserit, vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur;* Quamuis autem antiquis Patriarchis hoc fuerit licitum, scilicet habere plures vxores, tamen eis fuit permissum ex dispensatione Dei, ad multiplicandam generationem; hodiè verò satis est multiplicata generatio; Et ideò Saluator noster verus Deus, & Homo volens restituere matrimonium ad eam rectitudinem, & decorem, quæ in prima sui institutione habuit ab ipso Deo, sustulit omninò Polygamiam, quasi primęuæ matrimonij institutioni aduersam; cum enim interdicat, dimissa vxore propter fornicationem, ad alias nuptias transire; a fortiori is transitus, vxore retenta, interdictus censendus est. *Sanchez lib. 7. disp. 80. num. 1.*

Hinc confutatur aperta hæresis Lutheri, & Anabaptistarum, impiè defendentium pluritatem vxorum; quam & spurcissimus Mahumetus in nefanda sua lege suis sectatoribus concessit. Ità *Sanchez loc. cit. num. 2.*

Notandum Polygamiam dici, quando simul plures habentur vxores. Bigamiam verò propriam, & veram esse, quando plures vxores successiuè habentur, quando scilicet mortua prima, ducitur secunda.

2 Sequitur, Pontificem nullatenus in hac pluritate vxorum dispensare posse, quod tum lege naturali, tum etiam lege Christi, ob veram Sacramenti significationem interdicta sit, constat enim ex *cap. Gaudemus de diuortijs*; vbi eam nunquam licuisse, citrà Diuinam dispensationem, deciditur; ità docent *D. Thomas 4. dist. 33. quæst. 1. art. 2. Bellarminus lib. 1. de matrimonio cap. 11. proposit. 1. & alij apud Sanchez loc. cit.*

3 Infideles contrahentes matrimonium cum multis fœminis, inualidè contrahunt, & illorum matrimonium validum est tantum-

tumodo cum prima, non verò cum alijs, quoniam cum iam in lege Euangelica eiusmodi dispensatio cessata sit per Christum Saluatorem nostrum, quando *Matthæi* 19. reduxit matrimonium in pristinum statum, in quo vnica vxor licebat; ideò nullis fidelibus, nec infidelibus licita est hodiè Polygamia, & dum infideles baptisma susceperint, cogendi sunt ad primam vxorem legitimam redire, separandique sunt ab alijs matrimonijs ea superstite initis, tanquam ab omninò irritis; quod expressè decidit Innocentius Tertius in *dic. cap. Gaudemus de diuortijs*, quia lege naturali ad quam omnes etiam Infideles adstringuntur, id matrimonium erat irritum, & ex sola Dei dispensatione valebat, cessata ergo dispensatione per Christum, iam matrimonium illud manebit in terminis Iuris naturæ irritum. Itaque non dico esse irritum respectu Infidelium propter legem positiuam Christi, ea enim non obligat Infideles ante susceptum baptisma; sed propter Ius Diuinum naturale id irritans; ad quod sublata dispensatione per Christum, reductum est matrimonium in Iure naturali, & ità nunc minimè licere Infidelibus Polygamiam, & secundas nuptias esse irritas; docent *Sotus* 4. *distinct.* 33. *dub.* 1. *art.* 2. *Colum.* 9. *Conclusione* 3. *Belarminus lib.* 1. *de matrimonio cap.* 11. *ad finem*. *Sanchez lib.* 7. *disp.* 80. *num.* 14. *& alij*.

4 Sequitur a fortiori, inualidum esse Iure naturæ matrimonium vnius fœminæ cum pluribus viris; tum quia hoc repugnat primario fini matrimonij, qui est prolis procreatio, impeditur enim proles per commixtionem seminum, vel si proles nascetur, non benè educabitur, propter illius incertitudinem; tum quia in hac re nunquam fuit dispensatum, sicut dispensatum fuit, vt vnus vir plures vxores haberet, vt suprà dictum est de antiquis Patriarchis. Ità *Sanchez loc. cit. num.* 4. *Filiuccius num.* 164. *locis citatis, & alij communiter*.

5 Vtrum non solum primæ verum etiam secundæ, & reliquæ nuptiæ sint Sacramentum.

Respondeo affirmatiuè, nihil enim deest, ratione cuius non sint Sacramentum, cum in illis reperiantur omnia quæ pertinent ad Sacramentum matrimonij; verum tamen est per secundas nuptias, cum non significetur perfectè coniunctio Christi cum Ecclesia, induci irregularitatem, modò copula sit consumata, cum seminis emissione intra vas; Patet enim irregularitatem etiam induci per bigamiam, non solum quando plures successiuè habentur vxores, sed etiam per eam bigamiam, quæ incurritur per vnum solum matrimonium celebratum cum vidua, vt infra dicemus

mus de bigamia. *Bonacina de impedimento ligaminis quæst. 3. punct. 10. num. 11.*

6 An inducatur impedimentum ligaminis, nullumque sit matrimonium secundum consumatum, quando primum matrimonium fuit separatum solemniter iudicio Ecclesiæ ob adulterium commissum; veluti Petrus cum Lucretia ratum, & consumatum contraxit matrimonium; Lucretia deinde accusata est ob adulterium commissum, ob quod Ecclesia diuortium fieri declarauit inter Petrum & Lucretiam, hoc igitur casu, an Petrus aliam vxorem ducere possit.

Respondetur, Negatiuè; quia diuortium factum fuit quo ad Torum, & habitationem, non quoad vinculum matrimonij, & si de facto contrahat, nullum est secundum matrimonium, quia primum matrimonium fuit solutum tantum quoad Torum, & habitationem, non quoad vinculum, quod adhuc remanet, & ab Ecclesia nunquam soluitur: *Matthæi 19.* vt suprà. Sed tantum Ecclesia aliquando declarat matrimonium nullum fuisse ab initio contractum propter impedimentum essentiale, tunc enim vinculum matrimonij non tollit, sed in matrimonio vinculum non fuisse declarat, & sic nunquam ab Ecclesia vinculum matrimonij tollitur. *cap. Gaudemus §. penultimo de diuortijs.*

7 Dubitatur; Vxor relicta a viro ad bellum prodeunte, vel in Regiones longinquas, post decennium habuit literas testimoniales alicuius Hospitalis, vel Testes deponentes apud Iudicem Ecclesiasticum mortuum esse suum virum, habitis dictis probationibus mulier contraxit secundum matrimonium, ex decreto præfati Iudicis; An si posteà contrarium inueniatur, & primus maritus redierit, mulier sit in conscientia tuta, & quid agere debeat.

Resp. Etiam si ista mulier matrimonium consumauerit, & filios pepererit cum secundo viro, quoniam bona fide, & cautè matrimonium contraxit, cum decreto Iudicis, non peccauit, & filij procreati cum secundo viro sunt legitimi per bonam fidem matris suæ. *cap. Ex tenore qui filij sint legitimi, & cap. Tanta eodem titulo.* Mulier tamen tenetur redire ad primum virum, eumque recipere, & è conuerso maritus quoque tenetur redire ad vxorem, & potest compelli, quia mulier innocens fuit; vt in *Can. Per bellicam, & Can. Cum in captiuitate 34. quæst. 1. & 2. Couarr. in 2. parte de matrim. cap. 8. §. 2. Nauarrus cap. 22. nu. 53.* & ratio est, quia matrimonij vinculum nunquam soluitur, nisi per mortem.

8 Quæres qualis certitudo de morte Coniugis requiratur, vt superstes possit cum alio matrimonium inire.

Resp.

Resp. Requiri certitudinem moralem, seu tantam certitudinem, quantam iudicio prudentis sufficit ad credendum priorem coniugem certò mortuum esse; Ratio est, quia nisi adsit tanta certitudo, contrahentes exponunt se periculo adulterij, cum fieri possit, vt prior coniux sit superstes, huic autem periculo non se exponunt, qui abstinent a matrimonio contrahendo, quando non adest prædicta certitudo. Ità *Sotus 4. distinct. 22. quæst. vnica art. 5. Sanchez lib. 2. disp. 46. num. 6. Guttierez de matrimonio cap. 51. num. 1. & aly.*

Hinc sequitur, vxorem non posse matrimonium cum alio contrahere, quando ipsius vir abfuit per multos annos; nam certitudo moralis non habetur per absentiam multorum annorum: sic nec habetur per solam famam, cum fama oriri soleat ex auctore incerto, & plerumque fallaci, nisi fortè cum fama existant tanta indicia, vt nullus dubitandi locus relinquatur de morte illius. *Sanchez lib. 2. de matrimonio disp. 46. Nauarrus cap. 27. num. 53. & alij.*

Secundò sequitur, vxorem posse cum alio matrimonium contrahere, quando ipsius vir ingressus prælium, non amplius comparuit, & fama est ipsum perijsse, & per literas eorum, qui prælio interfuerunt acceptum est, ipsum mortuum esse. *DD. citati à Bonacina de impedimento ligaminis num. 14.*

Tamen relinquendum est iudicio prudentis viri iudicare in casibus particularibus, an adsit certitudo moralis, & coniecturæ sufficientes ad contrahendum nouum matrimonium, vt ait *Couarruuias secunda parte de matrimonio cap. 7. §. 3. num. 3. & 4. quem alij communiter sequuntur.*

Existimo tamen cum *Sanchez loc. cit. Bonacina loc. cit. num. 16.* Mortem alterius coniugis non sufficienter probari per vnum testem in causa matrimonij, in qua agitur de periculo animæ, nisi fortè adessent aliæ coniecturæ, vel nisi Coniux mortuus sit in loco ità distante, vt non possent facilè haberi aliæ probationes; & hoc modo intelligendum est. *cap. In præsentia de sponsalibus*, vbi præcipitur Prælatis, ne permittant matrimonium contrahi, donec certum nuncium de morte percipiant. Ob id cauere debent Parochi ne aliquos coniungant, nisi obtenta facultate, siuè licentia ab Ordinario, apud quem fieri solent probationes de morte alterius coniugis. Vide *Mascardum de probationibus conclus. 749. & 1705. Guttierez cap. 51. num. 2. de matrimonio in fine. Sanchez lib. 2. dis. 46. per totam.*

Non nego tamen, quin mulier possit matrimonium contrahere,

seclu ſo ſcandalo, quando ipſa ſola nouit certò mortuum eſſe virum, quamuis eius mortem probare non poſſit, vt accidit quando ipſa ſola fuit præſens morti ſui viri. Ità *Rebellius 2.par. lib. 3. qu. 13. Guttierez cap. 51. ad finem, & alij*; Ratio eſt, quia tunc ceſſat periculum adulterij, modò mulier ſit bonæ famæ, & honeſta.

9 Vtrum vxor, quæ contraxit matrimonium cum ſecundo, credens priorem virum mortuum eſſe, teneatur recedere a ſecundo, poſtquam cognouit priorem virum ſuperſtitem eſſe.

Reſp. Teneri recedere a ſecundo, alioquin exponit ſe periculo adulterij, & peccat mortaliter petendo, vel reddendo debitum poſt huiuſmodi notitiam, nam ſecundum matrimonium eſt inualidum. *Can. ſi virgo 34. quæſt. 1: & 2.* Si verò non certò nouit priorem virum ſuperſtitem eſſe, ſed tantummodo dubitat, non poteſt exiſtente dubio petere debitum. *cap. Inquiſitioni de ſententia excomm.* alioquin exponit ſe periculo adulterij; tenetur tamen in hoc caſu alteri coniugi petenti reddere, quamdiù non conſtat priorem coniugem ſuperſtitem eſſe; nam alter coniux habet Ius petendi, nec tenetur credere coniugi dubitanti inualidum eſſe matrimonium, niſi dubitans ità probet, vt alter propter eius motiua, & probationes teneatur credere, vel ità dubitare, vt nequeat deponere dubium. *dic. cap. Inquiſitioni de ſententia excomm.* ſic ibi deciditur: ſi Coniux ſcit pro certo impedimentum matrimonij, non debet reddere debitum, potiùs excommunicationem pati; Si autem hoc ex credulitate probabili, & diſcreta, quamuis non euidẽti, & manifeſta ſciat, poteſt reddere debitum, non autem exigere; ſi ex leui, & temeraria credulitate, depoſita conſcientia, poteſt reddere, & exigere. *Guttierez de matrimonio cap. 49. num. 36. 37. & 38. & alij DD. apud Bonacinam loc. cit. de impedimento ligaminis.*

10 Quæres, vtrum ſit validum matrimonium contractum ab eo, qui falsò credebat ſuperſtitem eſſe priorem vxorem, ſed reuera mortua erat.

Reſp. Validum eſſe, ſi contrahens habebat intentionem contrahendi quantum poterat; Ratio, quia adeſt ſufficiens conſenſus intèr perſonas habiles; Secus dicendum eſt, ſi non habuit intentionem contrahendi quantum poterat; tunc enim matrimonium eſt inualidum, eo quod non habuerit animum contrahendi. *Bonacina de impedimento ligaminis loc. cit. num. 18.*

11 Quid dicendum de eo, qui contrahit matrimonium, credens adeſſe impedimentum dirimens, quod reuera non adeſt.

Reſp. Idem dicendum eſt, quod dictum eſt de eo, qui credebat ſuam

ſuam vxorem viuere, cum reuera mortua erat, vel è conuerſo; Sì matrimonium cum alia contrahit, matrimonium non valere, ſi dum contrahit, credit illud non fore validum, quia non conſentit legitimè in matrimonio. Secus ſi credit matrimonium valere, licèt credat, contrahendo peccare mortaliter, vt rectè *Syluester verbo matrimonium* 8. *quæſt*. 13. §. 5. *Nauarrus cap*. 22. *nu*. 56.

Decimum Impedimentum impediens, & dirimens matrimonium eſt Honeſtas, hoc eſt, Iuſtitia publica honeſtatis.

QVÆSTIO XXIV.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit Iuſtitia publicæ honeſtatis.*

2 *Exemplum.*

3 *Quæ differentia ſit inter Ius antiquum, & Ius nouiſſimum in hoc impedimento.*

4 *In matrimonio rato de præſenti contracto, Ius antiquum remanet incorruptum, licèt matrimonium ratum etiam vocetur impedimentum publicæ honeſtatis.*

5 *Quando dicatur matrimonium ratum, & ponitur Exemplum.*

6 *Quæ conditiones requirantur, vt ſponſalia de futuro inducant hoc impedimentum publicæ honeſtatis.*

7 *Vtrum impedimentum publicæ honeſtatis contractum ex ſponſalibus validis & certis, ceſſet, quando ſponſalia diſſoluuntur mutuo conſenſu contrahentium.*

8 *Vtrum impedimentum publicæ honeſtatis poſſit aliquando concurrere cum impedimento Affinitatis.*

9 *Ad quem gradum extendatur impedimentum publicæ honeſtatis, conſurgens ex matrimonio rato, & non conſumato.*

10 *Vtrum ex matrimonio rato celebrato inter impuberes, ſcilicet ante* 14. *annos completos in maſculo, &* 12. *in fœmina inducatur impedimentum publicæ honeſtatis, & quid ſi malitia ſuppleret ætatem.*

11 *An hoc impedimentum oriatur ex matrimonio celebrato per metum grauem, vel per errorem personæ, vel quando aliquis fictè consensit.*
12 *Ad quem pertinet dispensare in impedimento publicæ honestatis.*

DE hoc impedimento publicæ honestatis tractant DD. præcipuè. *Sotus in 4. sentent. distinct. 41. quæst. 1. art. 2. Nauarrus cap. 22. num. 57. Canonistæ omnes in cap. sponsam de sponsalibus. cap. Iuuenis. cap. Ad audientiam de sponsalibus. Et cap. primo de desponsat. Impuber. in 6. & ibi optimè aduertunt omnes DD.*

1 Iustitia publicæ honestatis, est impedimentum proueniens ex sponsalibus per matrimonij decentiam, siuè honestatem.

Secundò inductum est hoc impedimentum, & vocatur Iustitiæ publicæ honestatis, quasi velit significare æquum esse, & decens abstinere ab hoc matrimonio publicæ honestatis causa; Et oritur hoc impedimentum ex sponsalibus de futuro, non ex consanguinitate, siue ex affinitate contracta, seù ex matrimonio contracto consumato.

2 Exemplum erit huiusmodi. Petrus sponsalia de futuro cum Camilla contraxit, & post sponsalia mortuus est Petrus, qui Camillam adhuc non cognouerat; Ioannes frater germanus Petri, non potest ducere Camillam sponsam Petri, propter hoc impedimentum publicæ honestatis impediens, & dirimens; sic etiam si moriatur Camilla sponsa Petri, non potest Petrus posteà ducere Iuliam sororem germanam Camillæ, quæ est in primo gradu; & si de facto matrimonium contrahatur, illud nullum est. *iuxtà Concilium Tridentinum sess. 24. cap. Iustitia.*

Tertiò dicimus, quod hoc impedimentum oritur non solum ex sponsalibus de futuro, sed etiam ex sponsalibus de præsenti, & sic ex matrimonio rato. *Abbas in cap. sponsum de sponsalibus, & in cap. primo de desponsat. impuber. in 6.*

3 Sed quæritur, quæ differentia sit inter Ius antiquum, & Ius nouissimum in hoc impedimento.

Resp. Quod duplex est differentia. Prima, quia de Iure antiquo hoc impedimentum publicæ honestatis contrahebatur ex sponsalibus de futuro, etiam nullis & inualidis. At hodie de Iure nouissimo *Conc. Trid. in dic. cap. Iustitia sess. 24.* oritur hoc impedimentum ex sponsalibus validis, non autem nullis, & inualidis.

Secunda differentia est, quia de Iure antiquo extendebatur hoc impedimentum vsque ad quartum gradum inclusiue, sicuti impe-

impedimentum ex consanguinitate, & affinitate proueniens. *cap. Ad audientiam de sponsalibus.* At hodiè vltrà primum gradum non extenditur *dic. cap. Iustitia sess. 24. Conc. Trid.*

4 Tamen hoc intelligitur procedere in sponsalibus de futuro, non in matrimonio rato de præsenti contracto.

In matrimonio autem rato, Ius antiquum remanet incorruptum, licèt matrimonium ratum etiam vocetur impedimentum publicæ honestatis, tamen vsque ad quartum gradum inclusiuè extenditur. *Abbas in cap. Non debet de consang. & affin. cap. Sponsam de sponsalibus, Et in cap. primo de desponsat. impuber. in 6.* Et nouissimè per Decretum B. Pij V. Incipiens ad Romanum spectat, vt infrà dicemus.

5 Tunc autem est matrimonium ratum, quando coram Parocho & testibus contractum est per verba de præsenti, vis, & volo, nec ex eo sequuta est copula carnalis; & quamuis Concilium Tridentinum de impedimento huius matrimonij rati nullam faciat mentionem, tamen remanet dispositioni Iuris communis antiqui, quod vsque ad quartum gradum trahit, vt diximus, ac etiam declaratum fuit à B. Pio V. vt infrà clariùs dicemus.

Exemplum de matrimonio rato, quod idem est quod sponsalia de præsenti. Antonius coram Parocho, & testibus, & omnibus solemnitatibus per verba de præsenti vis, & volo, ducit in vxorem Lucretiam,& fit matrimoniũ ratum, & non consumatum, vnde si moriatur Lucretia, Antonius non solum non potest ducere in vxorem sororem germanam Lucretiæ, sed nec etiam consobrinam, neptem, & proneptem Lucretiæ; quia matrimonium ratum inducit impedimentum publicæ honestatis vsque ad quartum gradum inclusiuè, vt ex Bulla B. Pij V. Dictum est supra.

6 Vt sponsalia de futuro inducant hoc impedimentum publicæ honestatis, requiritur vt sponsalia sint valida, vt dispositum est de Iure nouissimo Concil. Trident. Vt autem sint valida, quatuor debent habere conditiones.

Primò vt sint pura. 2. vt sint contracta cum certa persona, non verò incerta. 3. Vt inter contrahentium nullum sit impedimentum contrahendi sponsalia. 4. Vt sint valida, ratione consensus; quæ omnia diximus supra de sponsalibus.

Sequitur, illum qui cum Berta validè contraxit sponsalia, sed postea celebrat alia sponsalia cum sorore Bertæ, non affici impedimento publicæ honestatis, ratione cuius non possit amplius cum Berta contrahere matrimonium; Ratio est, tum quia sponsalia cum sororæ Bertæ sunt inualida, ex sponsalibus autem inuali-

ualidis, non consurgit impedimentum publicæ honestatis, vt patet ex *Trident. loc. cit.* sicut consurgit ex sponsalibus priùs celebratis cum Berta, ratione cuius impedimenti efficitur, non valida esse posteriora sponsalia celebrata cum sorore Bertæ; Tum etiam quia hoc expressè habetur *in cap. vnico de sponsalibus in 6. ità Sanchez lib. 7. disp. 67. num. 23. & communiter alij.*

Vlteriùs patet eum, qui contraxit sponsalia sub conditione de futuro cum Lucretia, & posteà absolutè celebrat alia sponsalia cum Maria sorore germana Lucretiæ, non affici impedimento publicæ honestatis, tum quia priora sponsalia conditionalia, pendente conditione, non sunt vera sponsalia, eo quod deficiat plenus consensus; conditio enim suspendit consensum, vsque ad eius aduentum, quamuis ex vi prioris promissionis adest obligatio expectandi euentum conditionis, antè quem euentum non potest sponsus rem vni sub conditione promissam tradere alteri; matrimonium tamen esset validum si celebraretur cum Maria sorore Lucretiæ antè conditionis euentum, cum non sit inductum adhuc impedimentum publicæ honestatis, ratione cuius dissolueretur matrimonium. *Sanchez lib. 7. disp. 69. num. 2. Reginaldus lib. 31. num. 129. Guttierez de matrimonio cap. 103. nu. 13: & 20. Filiuc. tract. 10. par. 2. cap. 6. quæst. 6. num. 224. & alij.*

Sequitur, Infidelem qui tempore infidelitatis sponsalia contraxit cum Berta, posse validè matrimonium inire cum eius Matre, vel sorore, non solum ante baptismum, verum etiam post susceptum baptismum; Ratio est quia impedimentum publicæ honestatis non est inductum Iure naturæ vel Diuino, sed Iure Ecclesiastico, cui non sunt subiecti Infideles. Ità *DD. citati, & Bonacina de impedimento publicæ honestatis quæst. 3. punct. 11. num. 6.*

7 Vtrum impedimentum publicę honestatis contractum ex sponsalibus validis & certis, cesset, quando sponsalia dissoluuntur mutuo consensu contrahentium.

Resp. Negatiue, & ratio est; tum quia impedimenta matrimonij non dependent à voluntate contrahentium, sed ab Ecclesia, quæ illa constituit; tum quia sequeretur impedimentum publicæ honestatis non esse perpetuum, quod esset contrà. *cap. Sponsam, & cap. si quis desponsauerit il 2. 27. quæst. 2.* tum quia ratio potissima propter quam inductum est ab Ecclesia impedimentum publicæ honestatis adhuc militat, quando sponsalia mutuo consensu dissoluuntur, eo quod non deceat matrimonium contrahi inter aliquas personas, quæ sibi factæ sunt propinquæ per sponsalia; Tandē quia sequeretur hoc impedimentum posse etiam cessa-

re

re per mortem alterius coniugis, non enim videntur sponsalia magis dissolui per mutuum consensum, quam per mortem; sed falsum est impedimentum publicæ honestatis cessare per mortem alterius coniugis, vt tradunt DD. ex *cap. Sponsam de sponsalibus, & cap. Si quis vxorem*, ergo neque cessat per dissolutionem sponsaliorum mutuo consensu factam. Ità *Sanchez lib. 7. disput. 68. num. 20. de impedimento publicæ honestatis. Bonacina eodem titulo qu. 3. punct. 11. num. 7.*

8 Quæres, vtrum impedimentum publicæ honestatis possit aliquando concurrere cum impedimento affinitatis, ità vt inualidum reddatur matrimonium contrahendum cum propria sponsa, aut cum illa cum qua habita fuit copula.

Resp. Vtrumque impedimentum posse simul concurrere, vt habetur *in cap. literas de desponsat. impub.* Ex quo fit, vt qui celebrauit sponsalia cum Berta, & posteà copulam habuit cum sorore germana Bertæ, neutram possit ducere; non enim potest ducere sororem Bertæ, propter impedimentum publicæ honestatis, consurgens ex sponsalibus cum Berta celebratis, dirimens matrimonium cum consanguineis Bertæ in primo gradu; neque potest ducere ipsam Bertam propter impedimentum affinitatis ortum ex copula illicita habita cum sorore ipsius Bertæ, dirimens matrimonium vsque ad secundum gradum inclusiuè. Ità *Nauarrus cap. 22. num. 57. in fine. Sanchez lib. 7. disp. 68. ad finem.*

Hæc tamen est differentia inter copulam licitam, & illicitam, quoniam ex copula licita oritur impedimentum dirimens matrimonium vsque ad quartum gradum inclusiue; Ex illicita verò oritur impedimentum dirimens matrimonium tantummodo vsq; ad secundum gradum inclusiue, vt patet ex *Trident. sess. 24. cap. 4.* Vndè qui fornicatus est cum aliqua, potest contrahere matrimonium cum consanguinea illius in 3. vel 4. gradu. *Bonacina de impedimento affinitatis quæst. 3. punct. 12. num. 6. & alij communiter.*

9 Quæres ad quem gradum extendatur impedimentum publicæ honestatis, consurgens ex matrimonio rato, & non consumato.

Respondeo extendi vsque ad quartum gradum; vnde vir mortua vxore, etiam ante consumatum matrimonium, non potest ducere consanguineam vxoris vsque ad quartum gradum. Sic declarauit B. Pius V. motu proprio, qui incipit *Ad Romanum spectat.* Ex quo patet falsum esse quod asseritur a duobus grauibus DD. vt est videre apud *Bonacinam de impedimento publicæ honestatis quæst. 3. punct. 11. num. 8. & 10.* dicentibus matrimonium ratum inducere impedimentum publicæ honestatis, tantummo-

do

do vſque ad primum gradum, nam iſti DD. decepti ſunt ex inaduertentia Decreti editi a B. Pio V. anno 1568.quod incipit *Ad Romanum. Sanchez lib. 7. diſp. 70. num. 16. Rodriquez cap. 234. & alij communiter.*

Ex dictis ſequitur primò, ex matrimonio rato Amentium, vel puerorum non conſurgere impedimentum publicæ honeſtatis, nam illorum matrimonium eſt inualidum defectu debiti conſenſus. Ità DD. communiter.

10 Dixi ex matrimonio rato celebrato inter impuberes, ſcilicet ante 14. annos completos in maſculo, & 12. in fœmina non conſurgere impedimentum publicæ honeſtatis, vſque ad quartum gradum (niſi malitia ſuppleat ætatem;) nam matrimonium inter impuberes irritatur a Iure, eo quod præſumatur non adeſſe Iudicium, & conſenſus ſufficiens ad contrahendum. Verum tamen eſt ex matrimonio impuberum conſurgere impedimentum publicæ honeſtatis vſque ad primum gradum, ex ſententia eorum, qui dicunt matrimonium impuberum reſolui in ſponſalia, vt colligitur ex *cap. Tuæ nobis de deſponſat impuberum. Valentia tom. 4. diſp. 10. quæſt. 5. punct. 3. §. honeſtas. Sanchez loc. cit. nu. 8. Cardinalis Tuſcus tom. 7. Concluſ. 401. num. 3. Nauarrus cap. 22. num. 57. & alij.*

11 Prætereà hoc impedimentum non oritur ex matrimonio celebrato per metum grauem, vel per errorem perſonæ, vt patet ex dictis rationibus. Ità *Sanchez lib. 7. diſp. 70. nu. 9. & 10. & DD. apud ipſum.*

Nec etiam inducitur hoc impedimentum quando aliquis alteri ficte conſenſit; matrimonium enim eſt inualidum defectu conſenſus, quamuis ficte conſentiens cogendus ſit ſtare matrimonio ratione ſcandali, vel alterius incommodi vitandi. Vnde ratione ſacrilegij, ac etiam iſtorum incommodorum debebat ex animo contrahere. Ità *Bonacina de impedimento publicæ honeſtatis quæſt. 3. punct. 11. num. 14.* Et alij DD. apud ipſum loquentes in ſimili de ſponſalibus inualidis defectu conſenſus. *Rodriquez autem in ſumma caſuum conſcientiæ cap. 244. num. 1. de ſponſalibus,* inquit, ſponſalia obligant ſub pæna peccati mortalis, & nolens adimplere poteſt compelli in foro exteriori ad implementum promiſſi, remanente alia parte aggrauata, aut notata infamia; ſi enim non remaneat grauata, debet monere Iudex vt ducat, non autem compellere; qui citat *D. Thomam, & Sotum lib. 2. de Iuſtitia qu. 2. art. 1.*

12 Vltimò ad quem pertineat diſpenſare in impedimento publicæ honeſtatis. Reſ-

Respondeo pertinere ad Summum Pontificem; ad ipsum enim pertinet dispensare in Iure communi verum etiam est, quando impedimentum publicæ honestatis simul concurrit cum impedimento affinitatis, vtrumque impedimentum explicandum esse in petitione dispensationis, & ratio est, quia sunt duo impedimenta. Ità *Petrus Ledesma loc. cit. quæst. 55. art. 4. ad finem, & alij DD.*

Vndecimum Impedimentum impediens, & dirimens matrimonium est Affinitas:

QVÆSTIO XXV.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit Affinitas.*
2 *Quotuplex sit Affinitas.*
3 *Quomodo, quando, & inter quas personas contrahatur.*
4 *Quæres an Consanguinei Caij, qui copulam habuit cum Berta, fiant affiues cum consanguineis Bertæ.*
5 *Vtrum Titius qui duxit Bertam in vxorem, possit ea mortua ducere illam, quæ fuit vxor fratris Bertæ, mortuo fratre Bertæ.*
6 *Quæres qui nam sint Stipites in Affinitate.*
7 *Qui nam sint effectus huius impedimenti.*
8 *Vtrum Affinitas dirimat matrimonium iure naturæ in aliquo gradu.*
9 *Quid requiratur ad inducendum impedimentum affinitatis.*
10 *Quando non oritur Affinitas.*
11 *An oriatur Affinitas ex copula habita cum fœmina omninò inuita; vel ignorante, vel dormiente, vel insana, vel Ebria.*
12 *An sit alia pœna constituta ijs, qui sine dispensatione contrahunt matrimonium cum Affinibus, vel Consanguineis.*
13 *Obseruationes necessariæ circa titulum de eo qui cognouit Consanguineam vxoris suæ; Et quem effectum pariat affinitas superueniens matrimonio contracto.*
14 *Quid de eo qui cognosceret proprias consanguineas, an consurgat hoc impedimentum petendi debitum, per hanc copulam incestuosam.*

Y 15 *Quan-*

15 *Quando quis cum voto simplici continentię, matrimonium contraxit; an impediatur à petitione debiti.*
16 *Quid dicendum de eo, qui post Votum Religionem ingrediendi, & profitendi matrimonium, contraxit ac consumauit, an prohibeatur petere, & reddere.*
17 *Si vxor in saeculo continentiam vouens, marito licentiam dedit sacros ordines suscipiendi, vel Religionem ingrediendi, an eo defuncto ad secundas nuptias transire possit.*
18 *An Episcopus Iure Ordinario possit super hoc impedimento petendi debitum dispensare.*
19 *An cui dispensatum est ab Episcopo, vt possit petere debitum; mortua vxore, possit licitè matrimonium contrahere.*

1 AD primum Affinitas est personarum proximitas, ex copula carnali proueniens. Ità *Couarr. in 2. par. de matrimonio cap. 6. §. 7. num. 2.*

Dicitur proximitas personarum; quia duæ cognationes diuersæ per nuptias copulantur, & vna cognatio ad finem accedit alterius cognationis. *l. Non facilè §. Affines ff. de gradibus.* Cognati enim vxoris, affines viro fiunt, & cognati viri, fiunt affines vxori, nuptijs mediantibus.

Dicitur ex copula carnali proueniens, nam hoc impedimentum non prouenit ex origine sanguinis ex eodem stipite, sed prouenit ex copula carnali consumata in vase debito.

Dixi in vase debito, quia ex extraordinaria pollutione hoc impedimentum non nascitur. *Can. Extraordinaria 35. quæst. 3. Ibiq; Glossa, & DD.*

2 Ad secundum respondetur, quod affinitas duplex est, licita, & illicita,

Licita est, quæ contrahitur per carnalem copulam maritalem consumatam in vase debito, mediante matrimonio consumato; quoniam ex matrimonio rato tantum, & non consumato, dicitur impedimentum publicæ honestatis, ac etiam dirimit matrimonium vsque ad quartum gradum inclusiuè per Decretum B. Pij V. incipien. *Ad Romanum spectat*, vt dixi in præcedenti impedimento.

Illicita affinitas est, quæ prouenit ex copula fornicaria, seu illicita; & ista impedit, & dirimit vsque ad secundum gradum vt in *cap. in literis, & ibi Abbas cap. discretionem, de eo qui cognouit consanguineam vxoris suæ, & cap. secundo de consanguin. & Affin. Couarr. loc. cit. Concil. Triden. sess. 24. in cap. Præterea.*

3 Ad

3 Ad tertium quomodo, & quando, & inter quas personas affinitas contrahatur?

Resp. Quando duo sese carnaliter per copulam maritalem cognoscunt, fiunt affines cum consanguineis alterius, in eo gradu, in quo sunt ipsi consanguinei inter se; Vt si Caius copulam habeat cum Berta vxore sua, fit affinis cum consanguineis Bertæ, in eo gradu, in quo sunt ipsi consanguinei Bertæ, cum ipsa Berta. Vnde si ipsi sint consanguinei in primo gradu cum Berta, fiunt affines cum Caio in primo gradu; Idem dicendum est de consanguineis viri respectu Bertæ; Nam Berta per copulam maritalem habitam cum Caio fit affinis consanguineis Caij in eo gradu, in quo ipsi consanguinei sunt cum Caio. Ità communiter DD. *Reginaldus, Sanchez, Guttierez, Filiuccius, & alij locis citandis.*

4 Quæres an consanguinei Caij, qui copulam maritalem habuit cum Berta, fiant affines, cum consanguineis Bertæ.

Resp. Negatiuè *cap. quod super his de Consang. & Affin.* licèt Caius fiat affinis cum consanguineis Bertæ, & Berta fiat affinis cum consanguineis ipsius Caij; Nihilominus consanguinei Caij, & consanguinei Bertæ non fiunt affines inter se, nullo enim Iure probari potest huiusmodi affinitas, propterea duo fratres possunt ducere duas sorores, & filius potest ducere illam, cuius matrem pater eius duxit: scilicet filia vxoris ex alio matrimonio habita potest nubere filio, aut fratri sui viri. Vide *cap. quod super his de Consang. & Affin. Emmanuel Sà de impedimentis num. 4. Reginaldus lib. 31. num. 145. Sanchez lib. 7. disp. 67. num. 2. Guttierez de matrimonio cap. 99. num. 8. Coninchus de matrimonio disp. 32. dub. 4. nu. 56. Filiuccius tract. 10. par. 2. cap. 6. quæst. 3. num 219. & alij.*

5 Quæres secundò, vtrum Titius, qui duxit Bertam in vxorem, possit ea mortua, ducere illam, quæ fuit vxor fratris Bertæ, mortuo fratre Bertæ.

Resp. Posse, ratio est quia Titius per copulam maritalem habitam cum Berta, factus est affinis consanguineis Bertæ, non verò affinibus Bertæ; Vxor autem fratris Bertæ non est consanguinea Bertæ, sed affinis, consequenter Titius poterit illam ducere, mortua Berta, & eius fratre; affinitas enim non generat affinitatem. *cap. quod super his de Consang. & Affin. ità Sanchez loc. cit. Guttierez loc. cit. num. 6. Filiuccius loc. cit. nu. 212. & 219. & alij communiter.*

6 Quæres qui nam sint stipites in affinitate.

Resp. Stipites esse, duas illas personas, quæ carnaliter se cogno-

 gno-

gnoscunt; vndè duæ illæ personæ non dicuntur affines, sed principium affinitatis; vt si Titius carnaliter cognoscat Bertam suam vxorem; Titius, & Berta sunt stipites affinitatis, consurgentis ex ipsorum copula. Ità communiter DD. apud *Henriquez lib.* 12. *cap.* 10. *num.* 1. *ad finem, in Comm. lit. G. Sanchez lib.* 7. *disp.* 64. *num.* 5.

7 Ad quartum, qui sit effectus huius impedimenti.

Resp. Effectus huius impedimenti affinitatis est, quod dirimit matrimonium saltem Iure Ecclesiastico, siue consurgat ex copula licita, siue ex illicita. *Henriquez lib.* 12. *cap.* 3. *& alij DD. citati.*

8 Dixi in propositione, saltem Iure Ecclesiastico, quia difficultas est inter DD. Vtrum affinitas dirimat matrimonium Iuræ naturæ in aliquo gradu.

In qua re, duplex est sententia. Primam tenet *Sotus* 4. *distinct.* 41. *art.* 3. *Couarruuias* 2. *par. cap.* 6. *Valentia*, *Vasquez*, *Coninchus disput.* 32. *dub.* 4. *num.* 53. *& alij asserentes*. Affinitatem Iure naturæ dirimere matrimonium celebratum cum affine in primo gradu lineæ rectæ, quando affinitas oritur ex matrimonio; & ratio est, quia omnes nationes ab huiusmodi matrimonio videntur abhorrere.

Dixi in primo gradu lineæ rectæ, quia si loquamur de linea collaterali, certum est affinitatem non dirimere matrimonium Iure naturæ, vel Diuino, consequenter vxor potest mortuo viro ducere fratrem viri mortui, interueniente Summi Pontificis dispensatione. Et hæc fuit magna illa controuersia, quæ suborta fuit tempore Henrici Octaui Angliæ Regis, qui repudiauit Catharinam vxorem fratris mortui, quam cum dispensatione Summi Pontificis duxerat; Eam autem repudiauit hac fictione, quod Summus Pontifex non potuisset dispensare; quod tamen ab eo fieri potuisse, sentiunt omnes DD. apud *Petrum Ledesmam qu.* 55. *art.* 6. *vers. his non obstantibus, & apud Sanchez loc. cit.* Ratio est, tum quia Iacob vir magnæ sanctitatis duxit duas sorores; *Genesi* 29. Ergo signum est affinitatem in linea Collaterali, siuè transuersali non dirimere matrimonium Iure naturę, vel Diuino; Tum quia multi Summi Pontifices in hoc dispensarunt, vt Alexander Sextus cum Rege Lusitaniæ, & Iulius Secundus cum Henrico Septimo; tum quia non apparet tanta indecentia, ob quam debeamus dicere affinitatem in linea laterali dirimere matrimonium Iure naturæ. *Rodriquez cap.* 228. *& alij DD.*

Secunda sententia est. *Caietani* 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 9. *Sanchez lib.*

lib. 7. disp. 66. num. 7. Guttierez Filiuccij tract. 10. par. 2. cap. 6. quæst. 4. num. 21. & aliorum negantium affinitatem dirimere matrimonium Iure naturæ, in nullo gradu, etiam lineæ rectæ, secluso Iure Ecclesiastico. Ratio est quia aliquando celebrata fuerunt matrimonia cum Nouercis, cum quibus intercedit affinitas in primo gradu lineæ rectæ, tum quia non apparet tanta indecentia inter has personas, quanta est inter consanguineos in primo gradu, nec tanta turpitudo reperitur, quæ videatur sufficiens ad irritandum matrimonium Iure naturæ, vel Diuino in primo gradu affinitatis. *Bonacina de impedimento affinitatis loc. cit. num. 7. & alij DD. ab ipso citati.*

9 Quid requiratur ad inducendum impedimentum affinitatis.

Resp. Requiri copulam cum seminis emissione intrà claustrum fœminæ, ratio est, quia ad contrahendam affinitatem, requiritur ea copula, quæ sit sufficiens ad generationem, seù qua vir, & fœmina efficiantur vna caro. *cap. Fraternitatis 35. quæst. 10. seu qua efficiatur sanguinis commixtio. cap. lex Diuinæ 27. quæst. 2.* Sed vir, & fœmina non efficiuntur vna caro, nisi adsit seminis emissio intrà vas fœmineum, ergo ad contrahendam affinitatem requiritur seminis emissio, &c. ità *Emmanuel Sà de impedimentis num. 13. Sanchez lib. 7. disp. 64. num. 11. Coninchus disp. 32. de matrimonio dub. 4. num. 46. & alij apud Sanchez.*

Impedimentum verò quod oritur ex matrimonio rato tantum, & non consumato, non dicitur affinitas, sed publica honestas, quæ etiam in illo impedimento dirimit vsque ad quartum gradum, ex motu B. Pij V. vt suprà diximus.

10 Hinc sequitur primò, non oriri affinitatem, quando sola fœmina semen emittit; nam illius semen non est sufficiens ad generationem, & ad sanguinis comixtionem, emissio verò seminis virilis sufficit, quia semen viri est sufficiens ad generationem; ità *Paludanus, Syluester, Sotus, & alij apud Sanchez lib. 7. disp. 64. num.* 10. contrà nonnullos alios existimantes requiri etiam semen fœminæ.

Secundò sequitur, ex congressu Spadonum non oriri affinitatem, quia Spadones non emittunt semen aptum ad generationem, vt ait *Petrus Ledesma loc. cit. Sanchez loc. cit. num. 11. & alij.*

Tertiò affinitatem non oriri ex actu præpostero extrà vas debitum, sicut nec oritur ex pollutione extrà vas fœmineum. Ità *DD. citati.*

11 An affinitas oriatur ex copula habita cum fœmina omninò inuita,

uita, vel ignorante, vel dormiente, vel insana, vel ebria?

Resp. Affirmatiuè, & ratio est, quia ex huiusmodi copula sequi potest generatio, & fit commixtio sanguinis. *Cap. Discretionem, de eo qui cognouit consanguineam vxoris suæ. itá DD. citati, & Sanchez loc. cit. num.* 17.

12 Quæres, an sit alia pœna constituta ijs, qui sine dispensatione contrahunt matrimonium, cum affinibus, vel consanguineis.

Resp. Constitutam esse pœnam excommunicationis ipso facto incurrendam ab ijs, qui scienter audent contrahere in gradibus affinitatis, vel consanguinitatis, vbi eadem excommunicatio fertur contrà contrahentes matrimonium cum Monialibus, & contrà Religiosos, & Moniales, atque Clericos in sacris initiatos; vt in Clementina vnica de consanguinitate, & affinitate. Ibi, eos qui scienter in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis, &c. *Sanchez lib. 7. disput.* 48. *num.*1.

13 Quæres, quem effectum pariat affinitas superueniens matrimonio contracto; Vt accidit, quando quis post matrimonium cum Berta contractum, copulam habet cum Sorore Bertæ, ratione cuius copulæ fit affinis cum ipsa Berta.

Resp. Duplicem effectum parere; Primus est, vt coniux qui commisit incestum cum consanguinea alterius coniugis in primo, vel secundo gradu, non possit ab ea petere debitum, priuatur enim iure petendi. Secundus effectus, vt ostendunt DD. est non solum eum qui cognouit consanguineam suæ vxoris prohiberi ne contrahat aliud matrimonium, verum etiam illos consanguineos coniugis, cum quibus alter coniux incestum admisit, prohiberi matrimonium cum alijs. *Sanchez lib. 7. disput. 15. num. 3. de impedimentis*, ait, nec tantum ipsis coniugibus incestus huiusmodi reis interdicitur aliud matrimonium, sed etiam illis consanguineis coniugis, cum quibus alter coniux incestum admisit, hæc sunt verba *Sanchez loc. cit. Constat ex cap. primo de eo qui cognouit consanguineam &c.* Ibi, si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit, nec filiastra, nec ille vllo vnquam tempore alijs se poterunt matrimonio copulare. Idem definitur in *cap. Si quis cum Nouerca 32. quæst. 7. quod desumptum est ex Concilio Triburiensi*. Ibi, si quis cum Nouerca sua dormierit, neuter ad Coniugium potest peruenire; & Ratio est, quod iniquè concurrerint ad iniuriam irrogandam matrimonio. *Sanchez loc. cit. qui multos DD. citat; & Bonacina de impedimento affinitatis quæst. 3. punct. 12. num. 20. De hoc dubio vide suprà de impedimentis impedientibus, & dirimentibus matrimnnium, parte 7. quæst. 12. num. 2. in fine, & quomodo hodiè practicatur.*

Dixi

Dixi in primo, vel secundo gradu; quia ex copula illicita non oritur impedimentum, nisi vsque ad secundum gradum; Vndè qui cognoscit consanguineam suæ vxoris in tertiò vel quarto gradu non priuatur Iure petendi, nam impedimentum petendi oritur ex affinitate ex copula illicita, quæ non extenditur vltrà secundum gradum. *Bonacina de impedimento affinitatis qu. 3. punct. 12. num. 20. circà finem*, & adest declaratio Cardinalium, vt ait idem *Bonacina loc. cit. qui multos DD. citat.*

Aduertendum tamen est, eum qui cognouit consanguineam vxoris suæ in primo, vel secundò gradu, teneri reddere debitum alteri petenti, vt habetur in *cap. discretionem de eo, qui cognouit consanguineam &c.* Ratio est, quia par non est, vt innocens damnum patiatur ob copulam delinquentis.

Ex dictis colligi potest, vtrumque coniugem priuari Iure petendi, quando vterque copulam habuit cum alterius consanguineis, aut etiam quando vnus tantum habuit, sed de consensu alterius; Ratio est, quia Ius relinquit potestatem petendi tantummodo coniugi innocenti. *Bonacina loc. cit. de impedimeto affinitatis.*

Secundò colligitur, eum qui per copulam contraxit affinitatem cum sua Coniuge priuari iure petendi, etiamsi copula fuerit occulta, nam affinitas oritur, tam ex copula occulta, quam ex publica. *cap. discretionem de eo qui cognouit &c*; vbi nulla fit distinctio inter publicam, & occultam. Ità, *Sanchez lib. 7. disput. 15. num. 13. Guttierez de matrimonio cap. 87. num 18. & 19; & alij*, quidquid aliqui apud *Sanchez* sentiant in contrarium.

Addo non requiri sententiam Iudicis ad hanc pœnam incurrendam, cum hæc sit pœna priuatiua, non requirens auctoritatem Iudicis, & ità sit vsu recepta, vt ait *Sanchez lib. 7. disput. 64. num. 18. & lib. 9. disput. 30. Reginaldus lib. 31. num. 294.*

14 Obserua; Quod Iura loquuntur de eo, qui cognouit consanguineam vxoris suæ; Et ideò si quis cognosceret proprias consanguineas, hoc impedimentum non contrahit, licèt grauiùs peccat, huiusmodi enim impedimentum non nascitur ex grauitate delicti, sed ex affinitate, quam vir contrahit cum vxore, propter copulam habitam cum eius consanguinea; (nullam verò affinitatem cotrahit vir suas consanguineas cognoscens.) *Syluester verbo matrimonium 7. in fine vers. 3 Graffius parte prima decisionum lib. 2. cap. 80. num. 13. Layman lib. 5. tract. 10. cap. 5. num. 3.*

Idem dicendum est de mulieribus, quæ se cognosci à proprijs consanguineis permittut, *vt dicunt DD. citati.*

Vndè

Vndè neque hoc impedimentum petendi debitum consurgeret ex copula, quam quis haberet cum affinibus coniugis, quia de ea iura non loquuntur. *Bonacina eodem tit. aliàs citatus quæst. 3. punct. 12. num. 20. in fine.*

Adde, quod nec impedimentum huiusmodi contrahitur, Si vir eam cum qua copulam habuit, nesciuit esse suæ vxoris consanguineam, cum enim ignorantia à culpa incestus excuset, excusabit quoque ab eius pœna, non autem à peccato, vt in *dic. cap. 1. de eo qui cognouit &c. Vbi DD. Sanchez. lib. 7. disput. 15. num. 9.*

Idem dicendum, si vxor à consanguineo viri per violentiam cognoscatur, *cap. discretionem eodem titulo Sanchez lib. 7. disp. 15. num.* 10. Cum enim nulliùs culpæ rea sit, omnem euadit pœnam; vt expresè habetur in *dic. cap. discretionem citato*. Is vero mariti consanguinens, qui violenter cognoscit, tamquam veri incestus reus, & affinitatis contractæ inter virum & vxorem, incurret impedimentum ad contrahendum matrimonium. Idem *Sanchez loc. cit: Vide suprà de impedimentis impedientibus, & dirimentibus matrimonium parte 7. quæst. 12. num. 2. in fine.*

15 Quando quis cum voto simplici continentiæ matrimonium contraxit, tunc impeditur à petitione debiti, quamnis reddere possit. *Nauarrus Consil. 17. num. 6. de voto litera B.*

Adde, quod licèt votum simplex continentiæ regulariter non dirimat matrimonium iam contractum, sed tantum impediat contrahendum, ac etiam debiti petitionem. *cap. Meminerimus cap. Consuluit, cap. Rursus qui Clerici, vel vouentes*, tamen peccauit contrahendo, & tenetur adimplere votum, matrimonio soluto, vt suprà dictum est, ac etiam de eo qui Religionem vouit. *DD. suprà citati.*

16 Obserua tamen, quod qui post votũ ingrediendi Religionem, & profitendi, matrimonium contraxit & consumauit; neque petere, neque reddere prohibetur, cum nondum habeat votum castitatis, sed tantum votum de vouenda castitate solemniter, à cuius voti expletione impeditus est, donec matrimonium soluatur; peccauit tamen matrimonium contrahendo. *Nauarrus loc. cit. in Consil. 17. num. 8. de voto. Layman in Theologia morali lib. 5. tract. 10. cap. 3. num. 6. verum Bonacina de secundo præcepto Decalogi disput. 4. quæst. 2. punct. 5. §. 5. num. 5. & alij ab ipso citati*, inquiunt, quod etiam peccat, prima vice petendo, aut reddendo debitum; post primam vicem autem potest petere, & reddere; rationem, vide *in parte 6 quæst 10. num. 6. circà finem.*

17 Sciendum quoque est, si vxor in sæculo continentiam vouens, Ma-

Marito licentiam dedit sacros ordines suscipiendi, vel Religionem ingrediendi, tam eo viuo, quam eo defuncto, nec licitè, nec validè quidem ad secundas nuptias transire potest, *cap. Quia sunt, vbi Glossa verbo fuisse, & cap. sequenti distinct. 28. cap. seriatim distinct. 32.* Ità *Abbas in cap. Constitutus num. 6. de Conuers. Coniug. Sanchez lib. 7. disput. 40. num. 2. sequent. & alij ab ipso citati.*

Sic etiam apud Græcos, eo ipso quod mulier consentit, quod vir suus ordinem sacrum suscipiat, obligat se ad hoc, quod ipsa in perpetuum alteri non nubat, quia significatio matrimonij non seruaretur, quæ in matrimonio Sacerdotis præcipuè exigitur; Si autem sine consensu eius ordinatur, non videtur ad hoc teneri; hæc sunt verba *D. Thomæ 4. sentent. distinct. 37. quæst. 1. art. 2. ad. 4.*

18 Potest autem Episcopus super impedimento petendi debitum, Iure ordinario per consuetudinem acquisito dispensare. *Syluester in verbo luxuria num. 4. dicto 5. Graffius parte prima decis. lib. 2. cap. 81. num. 2. & alij apud Layman lib. 5. tract. 10. cap. 1. num. 14. Nauarrus in manuali, cap. 16. num. 34. vers. Interrogatus autem; Diana par. 1. tract. 11. resol. 68. latè Sanchez de matrimonio lib. 8. disput. 12. num. 13. & seq. Barbosa de officio, & potestate Episcopi part. 2. Alleg. 35. num. 8; & seq. & Alleg. 37. num. 12. & alij Doctores.* Potest etiam dispensare Sacra Pœnitentiaria per constitut. nuper editam per Innocentium XII. 3. nonas Septemb. 1692.

Addunt alij, quod hæc dispensatio fieri potest extrà Sacramentum Confessionis, & vrgente necessitate etiam per literas, ità *Diana par. 3. tract. 2. resolut. 14. vbi citat. Portel. in addit. ad dubium Regular. verbo Confessor dispensans num. 13. & 14.*

19 Obserua tamen vt dixi, quod qui fecit votum simplex castitatis, vel Religionis, mortua vxore non potest matrimonium licitè contrahere, etiamsi Episcopus cum eo dispensauerit, vt posset petere debitum, nam in tali casu Episcopus non relaxat simpliciter votum, sed solum ex parte, & secundum quid, nempè ad solum petendum debitum, & ita mortua coniuge, tota voti obligatio reuiuiscit. *Bonacina in tractatu de legibus disput. 4. quæst. 2. pun. 7. §. 4. num. 15. Diana parte prima tract. 11. resolut. 66. Barbosa dic. par. 2. Alleg. 37. num. 10.*

Duodecimum Impedimentum impediens, & dirimens matrimonium est Impotentia Coeundi.

QVÆSTIO XXVI.

SVMMARIVM.

1 *Quot modis dicatur Impotentia.*
2 *Quotuplex sit hoc impedimentum.*
3 *Quando matrimonium nullum est ex hoc impedimento.*
4 *Quando possit probari hoc impedimentum.*
5 *Quid interest inter impotentiam perpetuam & temporalem.*
6 *Quid de fœmina si tam arcta esset, vel si præ latitudine, aut alia egritudine cognosci minimè possit à viro.*
7 *Quid sentiendum de matrimonio Eunuchorum, qui sana & integra virilia habent, & vtroque testiculo carent.*
8 *Quid censendum sit de matrimonio senum.*
9 *An validum sit matrimonium celebratum cum fœmina inepta ad seminandum.*
10 *An validum sit matrimonium initum cum fœmina arcta, quæ potest fieri apta per incisionem.*
11 *Vtrum fœmina arcta, quæ potest fieri apta proprio viro per incisionem, teneatur pati incisionem, vt apta reddatur.*
12 *An teneatur virgo pati hanc incisionem à proprio viro, instrumento aliquo ligneo, vel ferreo, vel digitis.*
13 *Quæres quid faciendum sit à Coniugibus, quibus constat adesse impotentiam perpetuam.*
14 *Quid faciendum quando matrimonium dissolutum fuit ab Ecclesia, & facta dissolutione, vir ingressus est Religionem, & in ea professionem emisit, sed posteà compertus est error, & deceptio Iudicis, eo quod fuerit tantummodo impotentia temporalis, vtrum professus cognito errore, teneatur redire ad vxorem.*
15 *Vtrum vir qui ex præsumptione perpetuæ impotentiæ sacros ordines suscepit, remanente vxore in sæculo, restituendus sit vxori petenti, postquam cognoscitur impotentiam non esse perpetuam.*
16 *Vtrum sint validæ secundæ nuptiæ, quando vnus coniugum iniit secun-*

das

das nuptias, & alter professionem emisit in Religione approbata, credens inualidum fuisse prius matrimonium propter impotentiam præsumptam perpetuam, quæ reuera non erat perpetua.

17 *An Hermaphroditus possit validè matrimonium inire, & iuxtà quem sexum.*

18 *Rogabis ad quem pertineat indicare, quinam sexus præualeat, & quid faciendum est in dubio.*

19 *Vtrum Hermaphroditus in quo vterque sexus est equalis, facta semel electione sexus, & contracto semel iuxtà illum sexum matrimonio, possit mortuo coniuge mutare electionem, & secundum alium sexum contrahere matrimonium.*

20 *Impotentia superueniens matrimonio consumato, Id non dirimit.*

21 *Quid si impotentia superueniat matrimonio rato, nondum consumato.*

DVodecimum impedimentum impediens, & dirimens matrimonium, est impotentia coeundi, de quo impedimento agunt. *Nauarrus cap.22. num.59. Sotus 4. sentent. distinct 34. quæst. 1. art. 1. & 2. & totus titulus de frigidis, & maleficiatis.*

1 Ad primum dico, quod impotentia consideratur dupliciter, alia est impotentia generandi, alia seminandi, seu coeundi.

Impotentia generandi non inducit impedimentum matrimonio, nec impediens, nec dirimens matrimonium. Si verò Senex cum Vetula matrimonium contrahat, licèt non possit generare, tamen matrimonium est validum, & sic etiam inter steriles rectè constat matrimonium, quamuis non valeant generare. *DD. citati.*

Insuper hæc impotentia coeundi consideratur duobus modis, nam aut est naturalis, aut accidentalis; Naturalis est quando quis nascitur debilissime complessionis, ità vt semper sit impotens.

Accidentalis verò est, quando quis ob maleficia sibi illata, est ad coeundum impotens, ideòque accidentalis appellatur, quia per accidens fit.

2 Ad secundum, hoc impedimentum impotentiæ coeundi, est duplex, vel enim est perpetuum, vel temporale.

Perpetuum tunc est, quando nulla arte medicinæ, nulloque humano remedio dissolui potest, & liberari; veluti quia ex natura mulier ità est arcta, vt nullo modo, & nullo remedio possit cognosci, quod impedimentũ coeundi perpetuum, facit nullum esse matrimoniũ, ideoque si talis mulier matrimonium contrahat, illud nullum est.

Temporale impedimentum est, quando durat ad tempus, veluti

luti puer & puella antè pubertatem impotentes sunt, sed ad tempus, adueniente verò tempore pubertatis potentes fiunt, & matrimonium contractum post pubertatem valet, tempore statuto à Iure Canonico.

3 Ad tertium vt clarior fiat materia, sciendum est, quod aut matrimonium præcedit coeundi impotentiam; aut ipsa impotentia coeundi præcedit matrimonium.

Quando matrimonium præcedit, & deindè subsequitur impotentia coeundi; tunc matrimonium non impeditur, nec soluitur, sed firmum, & validum remanet.

Exempli gratia Petrus contraxit matrimonium cum Lucretia, post contractum, accidit ipsi Petro impedimentum fortuitum coeundi, & sic perdidit potentiam coeundi; hoc casu matrimonium non dirimitur, sed firmum remanet. *Abbas in cap. ex literis de frigidis, & maleficiatis*; & habitabunt simul, vti frater, & soror, vt in *dic. cap. citato*.

Secundo casu quando impotentia coeundi præcedit matrimonium; Veluti si quis Iuuenis à Turcis fuerit captus, & ab eis castratus, siuè exsectus fuit; Posteà regressus contrahit matrimonium cum Lucretia, quæ liberè, siuè spontè illum exsectum, & impotentem in virum recipere contenta est, tunc matrimonium nullum est, estò quod ambo sint contenti matrimonium contrahere, *dic. cap. citato*.

4 Si Aliqui matrimonium contrahant, & multi menses elabuntur, & vxor adhuc est virgo, & alter eorum conqueritur, tunc vxor virum relinquere non potest, nec vir vxorem, sed opus est, vt iudicium Ecclesiæ interueniat, & si impedimentum ex fœmina veniat, probatio impedimenti istius ad copulam, fit per manus honestarum matronarum, si verò impedimentum venit ab homine, tunc probatur per Medicos arte peritos. *Nauarrus Consil. primo & 2. & vltimo de frigidis & maleficiatis*.

Medici autem videbunt, an sit Enuchus, & impotens à natiuitate, vel ex accidenti; Si à natiuitate impotens sit, quia impedimentum est perpetuum, Ecclesia declarabit nullum esse tale matrimonium. Et hodiè extat Bulla Sixti V. quod carens ambobus testibus, si matrimonium contrahat, illud nullum sit, vt infrà dicemus clariùs, si verò vnum habeat testem, quia potest seminare, matrimonium validum est; De qua Bulla Nauarrus mentionem facit in dicto Cõsilio in vltima carta in suis voluminibus Romę impressis; Si verò impedimentũ sit accidentale, quia ità Medici periti referunt, tunc Ecclesia statuit, vt vir cũ vxore per trien-

nium

nium cohabitent, & si post triennium, adhuc vir impoteus sit, Ecclesia tunc declarat nullum esse matrimonium, vt in *cap. Laudabilem, cap. Fraternitatis, cap. Ex literis, & cap. Consultationi de frigidis, & maleficiatis*.

Materia huius impedimenti apprimè necessaria est, quæ frequenter accidit in Tribunalibus Ecclesiasticis, & in Confessionibus occurrit, & facillimè potest circà illam aberrari, tum ob nimiam eius difficultatem, tum etiam quia satis obscurè disputatum inuenitur, proindè vnusquisque eam studiosè perlegere debet,

5 Prima Conclusio ad maiorem intelligentiam, Impotentia perpetua ad copulam, reddit irritum subsequens matrimonium, secus de impotentia temporali; Hæc est apud omnes certissima sententia, & de impotentia perpetua constat ex *cap. 2. De frigidis, & maleficiatis, & ex toto eius titulo*. Quando autem impotentia est temporalis, eam non dirimere constat. *Ex cap. Fraternitatis, vers. quamuis igitur, eodem titulo*, & ratio vtriusque partis ea est, quod perpetuæ impotentiæ repugnet obligatio ad copulam coniugalem, ex matrimonij contractu consurgens. *cap. Nemo ad impossibile de regulis Iuris in 6.* Secus de impotentia temporali, qui enim in præsenti non est aptus ad soluendum, cum tamen sit spes fore in futurum, potest ad soluendum obligari; Cuius obligationis incapax est, qui nunquam aptus ad soluendum foret,

6 Secunda Conclusio, quod si fœmina tam arcta esset, vt non posset semen intrà vas recipere, nec artè aliqua iuuari posset, incapax matrimonij foret.

Similiter esset incapax matrimonij fœmina, si præ latitudine, aut alia ægritudine cognosci minimè posset à viro; Constat ex eadem ratione, & docent *Hostiensis summa titulo de frigidis, & maleficiatis, §. quæ impotentia num. 5. & 6. & cap. Consultationi, num. 1. eodem titulo*; & Ibi *Ioannes Andreas num. 2. Anton. in fine.* Secus est si fœmina recipere posset semen intrà vas, quamuis semen receptum retinere nequiret, tunc enim valeret matrimonium, quippe tunc vere consumatur matrimonium, vt efficiantur Coniuges vna caro, & ipsa solum sterilis est, quod valori matrimonij non obstare dicimus. *Sanchez lib. 7. de impedimentis disp. 92. num. 11. & 26.*

7 Tertia Conclusio, Indubitata sententia est Ennucohs vtroque testiculo carentes, esse matrimonij incapaces, ac proindè irritum esse matrimonium quod inierint, quia ad matrimonij veritatem desideratur potentia verum semen intrà vas fœmineum emittendi; At Eunuchi quamuis membrum erigant, atque quandam aquo-

aquosam materiam emittant, ea tamen non est verum semen, nec eiusdem rationis cum vero semine, nam testiculi sunt tamquam folles, omnia membra commouentes; nam cor, iecur & cerebrum, quæ sunt tres nostri corporis præcipuè partes transmittunt suos spiritus ad testes, qui virtutem habent hos spiritus retinendi, ex quibus totum corpus calefit; at si testes deficiant, spiritus non retinentur, sed euanescunt illuc transmissi, nec calor per totum corpus reflectitur; Vnde Eunuchi frigidiores fiunt, & inepti ad verum semen emittendum, vt optimè probant ex *Galeni doctrina Antonius Musa in Aphorismis Hipocratis, & Galeni lib.6. Aphorism. 28. Sanchez loc. cit. num.* 17. Sunt autem Eunuchi incapaces matrimonij, quare ità declarauit Sixtus V. motu proprio Anno 1587. de verbo ad verbum refert. *Guttierez in quæstionibus Canonicis in secunda editione lib. 1. cap. 16.num.vltimo.*

8 Infertur quartò quid censendum sit de matrimonio senum, eo quod eorum semen sit sterile, & non prolificum, vt ex *Aristotile, Galeno, Alberto magno. Tiraquello lib. 6. connubiali.* Item quia lex Papia interdicit viris sexagenarijs, ac fœminis quinquagenarijs nuptias.

Verum certissimū est apud omnes, vsusque Ecclesiæ id comprobat, solam senectutem non obstare valori matrimonij, quare legem illam Papiam tanquam iniquam, primus omnium abrogauit *Claudius Cæsar, & eum sequutus est Iustinianus, l. Sancimus &c.* de nuptijs, deinde id probatur ex *D. Augustino de bono viduitatis, cap. septimo, & refertur in cap. Nuptiarum* 27. *quæst.* 1. vbi agens de nuptiarum bono ait, in quibusdam esse humanitatis solatium. vbi *Glossa verbo in quibusdam*, explicat de senibus.

Vnde nunquam ob senectutem deneganda est alicui ab Ecclesia facultas ineundi matrimonij, nisi aliud impedimentum allegetur, & probetur. *Sanchez loc. cit.& alij.*

Atque hoc in fœmina quantumcunque Vetula certiùs est, quia frigiditas coitum viri senis impediens, ipsi non obstat, vtpotè quæ patiens est, & semen recipit, ad quod calor iuuenilis minimè desideratur. *Syluester verbo matrimonium* 8. *quæst.16. dicto* 4. *in fine. Barbosa in l.* 1. *par.* 1. *num.* 97. *ff. soluto matrimonio, & alij.* & ità sustinet *D. Thomas* 4. *dist.* 34. *quæst. vnica art.* 2. *ad* 2. receptus passim ab omnibus Theologis, & Iuris Pontificij Professoribus.

9 An validum sit matrimonium celebratum cum fœmina inepta ad seminandum.

Resp. Affirmatiue, cum huiusmodi matrimonium non censea-

seatur celebratum cum impotente, cum semen fœmineum non sit necessarium ad generationem;iuxtà veriorem sententiam,ita *Henriquez lib. 12. cap. 7. num. 4. Guttierez cap. 112. num. 8, & alij.*

10 An validum sit matrimonium celebratum cum fœmina arcta, quæ potest fieri apta per incisionem.

Resp. Affirmatiue,nam huiusmodi matrimonium non censetur celebratum cum impotentia perpetua;Secus dicendum est, quando fœmina non potest semen recipere, & adeo arcta est, vt non possit iuuari ità DD. citati.

11 Si quæras vtrum fœmina arcta quæ potest fieri apta proprio viro per incisionem, teneatur pati incisionem, vt apta reddatur.

Resp. teneri,etiam cum graui dolore, quia hoc videtur necessarium ad copulam, cuius potestatem, & Ius transtulit in maritum; nec tenetur tamen huiusmodi incisionem pati cum grauissimo morbi incommodo, quia non videtur obliganda ad debitum coniugale reddendum cum tanto incommodo; Matrimonium tamen cum ea celebratum validum est,eo quod non adsit impotentia perpetua,nam illa fęmina potest arte humana fieri apta per incisionem, (absque vitæ periculo vt suppono) quamuis ipsa nolit eam pati, aut non teneatur pati. *Doctor infrà citandus.*

13 Nec tenetur virgo pati hanc incisionem à proprio viro, instrumento aliquo ligneo, aut ferreo ad id apto, digitisque claustra huiusmodi virginis a se ductæ reserare, vt sic consumare possit matrimonium; quæ omnia mature,prius expendenda sunt, antequam ad medium adeò rigidum perueniatur, & quando ad illud deueniendum est, Chirurgi peritia desideratur, vt iuxtà artis præscriptum fiat; quare existimo id non licere viro propria auctoritate efficere; Et si probabilis timor sit fore, vt id intentet; separanda est mulier, ac in loco tuto constituenda, vt docent *DD. citati à Sanchez*,donec lis decidatur,aut plena securitas detur; sicut quando ratione sæuitiæ sit separatio. iuxtà *cap. literas in fine de restitut. spoliat.* Idem *Sanchez de impedimento matrimonij lib. 7. disput. 39. num. 29.*

13 Quæres quid faciendum sit a Coniugibus, quibus constat adesse impotentiam perpetuam.

Respondetur non posse debitum petere, vel reddere, nec posse delectari tangendo, osculando &c. Imò disoluendum est matrimonium, non expectato triennio, si clare constet adesse impotentiam perpetuam; Ratio est, quia matrimonium celebratum cum impotentia perpetua est inualidum, actus autem coniugales, quales sunt reddere, tangere, osculari &c. non possunt exerceri,

ceri, exiſtente matrimonio inualido; Si verò non tam clarè conſtet, ſed tantummodo dubitetur adeſſe impotentiam perpetuam permittuntur Coniuges ſimul cohabitare per triennium, vt matrimonium conſument, quo tempore ſi nequeant conſumare, non amplius permittuntur cohabitare ad conſumandum matrimonium, quia iudicatur adeſſe impotentia perpetua, & conſequenter inualidum eſt matrimonium, propterea facienda eſt ſeparatio, propter periculum incontinentiæ; Secluſo verò periculo incontinentiæ, Iura permittunt, vt vir habeat eam tamquam ſororem, quam non poteſt habere vxorem, *cap. laudabilem, cap. Requiſiſti 33. quæſt. 1. Rebellius quæſt. 16. num. 5. Emmanuel Sà num. 14. Guttierez cap. 114. Sanchez diſp. 97. lib. 7. & alij communiter.*

14 Quæres quid faciendum ſit, quando matrimonium diſſolutum fuit ab Eccleſia, quæ iudicauit adeſſe impotentiam perpetuam, & facta diſſolutione matrimonij, vir ingreſſus eſt Religionem, in eaque profeſſionem emiſit, ſed poſteà compertus eſt error, & deceptio Iudicis, eo quod verè non fuit impotentia perpetua, ſed tantummodo temporalis; Vtrum profeſſus cognito errore teneatur redire ad vxorem.

Reſp. Diſtinguendo hoc modo, aut vir profeſſus eſt, antè conſumatum matrimonium, aut poſt conſumatum matrimonium, ſi profeſſus eſt ante conſumatum matrimonium, non debet redire ad vxorem, *cap. Ex publico de conuerſ. coniug.* ratio eſt, quia matrimonium ratum tantum diſſoluitur per profeſſionem. Si vero profeſſus ſit poſt conſumatum matrimonium, debet redire ad vxorem, quia matrimonium conſumatum non diſſoluitur per profeſſionē; Conſumatum matrimonium hoc loco appello, quando vxor recepit ſemen viri, quacunque arte, quamuis nulla intercesserit violatio clauſtri virginei, vt docet *Sanchez lib. 2. diſp. 21. num. 6. 7. & 8. Guttierez cap. 54. num. 21. & deinceps.*

Hinc colligi poteſt, Primò vtrum ſit valida profeſſio, & matrimonium diſſoluatur, quando vterque coniux facta ſeparatione ob errorem impotentiæ ingreſſus eſt Religionem, in eaque profeſſus eſt, ſed poſteà cognitum fuit impedimentum, propter quod facta fuit ſeparatio, non eſſe perpetuum; Dicendum enim eſt validam eſſe profeſſionem, & matrimonium non diſſolui, ſi profeſſio facta fuit ante conſumatum matrimonium, nam matrimonium nondum conſumatum diſſoluitur per profeſſionem; matrimonium verò conſumatum non diſſoluitur: Ità DD. *à Bonacina citati de impedimentis matrimonij quæſt. 3. punct. 13. num. 23.* Poſſent tamen in hoc caſu (ſecluſo periculo incontinentiæ,) & de com-

communi consensu vellent se continere, iterum emittere professionem coram superiore, (cum casus sit publicus,) & permanere in Religione, vt anteà dixi.

15 Secundò colligi etiam potest, vtrum vir qui ex præsumptione perpetuæ impotentiæ sacros ordines suscepit, remanente vxore in sæculo, restituendus sit vxori petenti, postquam cognoscitur impotentiam non esse perpetuam; Dicendum est namq; restituendum esse, quia vinculum matrimonij adhuc perseuerat, eo quod non sit irritum propter impotentiam præsumptam, nec sit dissolutum per susceptionem Sacrorum Ordinum; propterea vir tenetur reddere debitum vxori, cum ipsa non sit priuata Iure petendi; Non tamen ipse posset petere propter votum castitatis emissum in susceptione Sacrorum Ordinum. *Sanchez lib. 7. disput. 99. nu. 40. & alij apud ipsum Doctorem.*

16 Tertiò colligi potest, vtrum sint validæ secundæ nuptiæ, quando vnus coniugum inijt secundas nuptias, & alter professionem emisit in Religione, credens inualidum fuisse prius matrimoniũ, propter impotentiam perpetuam præsumptam, quæ reuera non erat perpetua.

In hoc casu distinguendum est hoc modo, aut matrimonium erat consumatum, aut non; si erat consumatum inualidæ sunt secundæ nuptiæ, adhuc autem perseuerat vinculum prioris matrimonij, quod non fuit dissolutum per professionem alterius, si verò non erat consumatum, videndum est, num inierit secundas nuptias antè professionem, vel an inierit post professionẽ alterius coniugis; Si eas inijt post professionem, validæ sunt secundæ nuptiæ, quia prius matrimonium non consumatum dissolutum fuit per professionem alterius coniugis in Religione, consequenter vxor remanens in sæculo potuit post viri professionem validè celebrare matrimonium cum alio; si verò inijt secundas nuptias antè professionem alterius coniugis, secundæ nuptiæ inualidæ sunt propter impedimentum ligaminis, eo quod celebratæ fuerint adhuc subsistente vinculo prioris matrimonij: Vndè vt validè fiant istæ secundæ nuptiæ requiritur nouus consensus post professionem prioris coniugis, coram Parocho, & Testibus, dum impedimentum est publicum. *Sanchez loc. cit. lib. 7. num. 38.*

17 An Hermaphroditus possit validè matrimonium inire, & iuxtà quem sexum.

Respondeo primò, Hermaphroditum in quo præualet vnus sexus, posse matrimonium inire iuxta sexum qui in ipso præualet, vndè si præualeat sexus virilis potest contrahere cum fœmina; Si

preualeat sexus fœmineus, potest contrahere cum viro; Ratio est quia censetur esse illius sexus, qui in eo præualet, vt ait *Baldus in l. Quæritur* 10. *ff. de statu hominum*, *& DD. proximè citandi*.

Ex quo sequitur, matrimonium esse inualidum si celebretur iuxtà sexum inferiorem, nam si in hermaphrodito præualeat sexus fœmineus censetur fœmina, consequenter non potest cum fœmina contrahere, si autem præualeat sexus virilis non potest cum viro nuptias celebrare, eo quod censeatur illas celebrare cum persona eiusdem sexus.

Sequitur etiam, Hermaphroditum in quo sexus est equalis, & neuter præualet, posse eligere quem sexum ipse voluerit, & iuxtà illum contrahere matrimonium. *Sanchez lib.* 7. *disput.* 106. *Gutierez de matrimonio cap.* 119. *Coninch. disp.* 31. *dub.* 7. *num.*89. *Filiuccius tract.* 10. *par.* 2. *cap.* 3. *quæst.* 6. *num.*91. *Nauarrus, Henriquez, Syluester, & alij*.

18 Rogabis, ad quem pertineat iudicare quinam sexus præualeat; & quid faciendum sit in dubio.

Resp. Iudicium pertinere ad Medicos, vel ad Matronas peritas, quæ ex pudendarum partium inspectione iudicium ferre debent, vt ex *Turrecremata*, *Sanchez loc. cit. num.* 2.

In dubio tamen Iudicium ferendum ex ipsius hermaphroditi assertione, nullus enim magis valet hunc statum discernere, quam ipsemet, vel quem valeat diudicare Medicus innixus assertioni ipsius hermaphroditi. *DD. citati*.

19 Vtrum hermaphroditus in quo vterque sexus est æqualis, facta semel electione sexus, & contracto semel iuxtà illum sexum matrimonio, possit mortuo coniuge mutare electionem, & secundum alium sexum contrahere matrimonium.

Resp. Non posse absque graui peccato, variaret enim electionem in re grauissima, cum sit valde indecens vti modò vno sexu, modò altero. Si tamen contraheret, validè contraheret; quia nullum Ius irritat illius matrimonium, nec illius potentia naturalis aufertur per electionem, aut per iuramentum anteà præstitum non variandi electionem sexus. *Vgolinus*, *Coninchus*, *Guttierez*, *Sanchez*, *Filiuccius*, *& alij citati à Bonacina de impedimento impotentiæ. qu.* 3. *punct.*13. *num.* 29.

20 Impotentia superueniens matrimonio consumato id non dirimit.

Quando matrimonium est consumatum, nemo potest in dubium reuocare, an per superuenientem impotentiam cassetur; quod res certissima sit, matrimonium fidelium sola morte naturali

rali dissolui posse; quando consumatum est. *Sanchez lib. 7. de impedimentis disp. 102. num. 1.*

21 Quid si impotentia superueniat matrimonio rato, nondum consumato.

In hac difficultate verissima sententia est, nec matrimonium ratum dirimi per quamcunque impotentiam superuenientem; Quod probatur ex *cap. Hi qui 32. quæst. 7.* quod est ex Nicolao Pontifice, vbi generaliter dicitur, ob nullam impotentiam superuenientem matrimonium solui; deinde quod receptissima sententia sit, matrimonium ratum fidelium per solam professionem certissimè dissolui; aut probabiliter per dispensationem Pontificiam; & ideò id sustinent ex Theologis D. Bonauentura *4. distinct. 34. art. 2. qu. 2. & alij multi citati à Sanchez loc. cit.*

PARS NONA.

Tractatus de Maleficijs.

QVÆSTIO XXVII.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit Maleficium.*
2 *An Malefici suis maleficijs hominem reddere possint impotentem ad copulam.*
3 *Quæ differentia sit inter frigidum, & maleficiatum.*
4 *Quot modis soleant Dæmones arte maleficij viros impotentes ad copulam reddere.*
5 *Quando censetur maleficium perpetuum, & an maleficium maleficio tollere liceat.*
6 *Qui soleant vt plurimum in matrimonio maleficiari, & ligari.*

1 Maleficium propriè dicitur impedimentum copulæ, vel seminationis factum arte dæmonis, vel arte magica, qua etiam dæmon ligat, vtens nomine suo, ac sæpe instrumento fœmineo ad illa maleficia facienda, *DD. de frigidis & maleficiatis infrà citandi.*

2 Ad primum dubitari non potest, maleficos suis maleficijs reddere hominem impotentem ad copulam, tum quia id comprobatur ex communi Theologorum omnium sententia. Cum *D.Th. 4. distinct. 34. quæst. vnica art. 3. & etiam in 3. par. quæst.* 58. *art.* 2. Idque praxis Ecclesiæ approbarit, quæ sic maleficiatos post triennij experientiam, a matrimonio inito separat, tum quia quod id doceat experientia quotidiana multis exemplis comprobata. Et experientia compertum est maleficiatum quandoque ad omnes, quandoque ad vnam solam, quam maximè amat, impotentem esse; atque ablato ligamine, potentem esse. *Sanchez lib. 7. disp. 94. num.* 1.

3 Est autem differentia inter frigidum, & maleficiatum, nam Iura non concedunt frigido, vt post separationem ab vna, ducat alteram, quia quod naturale est, respectu cuiusque est; At maleficiato concedunt, quia aliquando dæmon impedimentum facit alicui respectu vnius, non autem respectu alterius. Ità *D. Thomas 4. sentent. distinct. 34. art.3. Armilla verbo matrimonium* §. 49. *vide Canones de frigidis & maleficiatis.*

4 Quinque modis solent dæmones arte maleficij viros impotentes ad copulam reddere; quos refert *Paludanus 4. distinct. 34. quæst. 2. art. 3. num.* 16. & ex ipso omnes desumpsere.

Primus modus est, corpora impediendo, ne sibi mutuo appropinquent ad coitum, vel directè secernendo ea, detinendo, vt in diuersis locis; vel indirectè interponendo se in corpore assumpto, & quando copulari contendunt, inijciendo intermedium phantasma, vel quid aliud.

Secundus est, ità inflammando ad actum, vt antè coitum effundatur semen; vel refrigerando ab actu illo, adhibendo occùltè virtutes rerum, quas optimè nouit dæmon.

Tertius est, turbando immaginationem, & æstimatiuam, qua reddit mulierem viro exosam, menti obijciendo speciem fœminę deformis, vt eam exosam habeat; vel alterum alteri; vel inuicem odiosos reddendo per calumniam, suspicionemuè, aut morbi alicuius immissionem, & odio exardescunt, ità vt alter alterum cędat, vel vnguibus laceret.

Quartus est, prohibendo vigorem membri, reddita viri virga flaccida, saltem quando coire vult.

Quintus modus est, prohibendo missionem spirituum ad membra, in quibus est virtus motiua, quasi intercludendo vias seminis, ne ad vasa generationis descendat, vel ne excidatur, vel ne emittatur, vel semen subtrahendo; his modis addit alium, licèt rario-

rariorem. *Delrius lib. 3. disquisitionum magicarum par. 1. quæst. 4. tota sectione octaua*; Nempè nimium arctando vas muliebre, aut viri genitalia abscondendo, vel retrahendo.

Additur quod non solum viri, sed etiam fœminæ possunt maleficijs impotentes ad copulam reddi, quod omnes fatentur. At frequentiùs id malum in viros serpit, quod plus operæ, & instrumentorum in eis desideretur.

Adde quia plures sunt maleficæ, quam malefici, & ideò dæmones potiùs viros, quam fœminas maleficijs lædere conantur. Sic aduertit idem *Delrius loc. cit. pagina prima*; *& Abulensis notat cap. 19. Matthæi quæst. 90. columna* 3. quod maleficia circa viros fiunt communiter, modis vt suprà diximus. At fœminæ communiter maleficiantur per solam opinionem, seù phantasiæ lesionem, & cum vir conatur accedere, illa subitò horret genitale viri, quasi improportionatæ magnitudinis, & nulla ratione sinit se cognosci, cum tamen reuera non ità sit, sed dæmon efficit speciem in phantasia mulieris, vt membrum aliter appareat, quam reuera sit; quandoque solet dæmon vas fœmineum etiam coarctare, vt suprà diximus. *DD. citati*.

5. Censetur autem maleficium perpetuum, si non possit auferri per opus humanum, nisi per aliud maleficium, quod absque peccato auferri nequit: Et maleficium maleficio tollere, grauissimum est scelus. *D. Thomas 4. distinct. 34. quæst. vnica art. 3. & alij communiter*.

Sed potiùs maleficiatus ipse recurrat ad *Textum in cap. Si per sortiarias 33. quæst.* 1. Ibi dicitur, quod faciat suorum peccatorum generalem Confessionem totius vitę suæ, Eleemosynas largiatur, orationibus, & ieiunijs Domino satisfaciat; & confugiat ad Ecclesiæ ministros, qui eum per exorcismos, ac cætera Ecclesiasticæ medicinæ munia sanare procurent. *dicto cap. si per sortiarias 33. quæst.* 1.

Et quando Coniuges post esperientiam triennalem, non potuerunt copulam habere, præmissis precibus, & alijs remedijs humanis, pro maleficio amouendo, tunc maleficium dicitur perpetuum, quia Deus sic permittit iusto iudicio suo; Iudicia enim Domini recta, & occulta nimis, & si nobis ea reuelare dignaretur, vtique diceremus iustus es Domine, & rectum Iudicium tuum. *Bonacina de impedimento impotentiæ quæst. 3. punct. 13. nu. 9.*

6 Solent autem in matrimonio maleficiari, & ligari, vt plurimum ij qui faciunt matrimonium, vt Equus, & Mulus, in quibus non est intellectus, & sola carnis concupiscentia matrimonium

nium contrahunt, aliàs non contracturi; Vel qui contrahunt matrimonium solum sub spe bonorum. Solent etiam ligari, illi qui habentes Concubinam, vxorem ducunt ad parentum exaggerationem, & nihilominus Concubinam retinent; Vel ob alias causas eueniunt ista maleficia, quæ Deo Optimo Maximo sunt notæ, & nobis occultæ. vide *lib. Thobiæ cap. 6. num. 16. 17. & 22. & DD. quos citat Catechismus Romanus de matrimonio par. 2. num. 13.*

In his maleficijs Deus vtitur dæmone tanquam Carnifice, prout in *dic. cap. Si per Sortiarias 33. quæst. 1. cap. Cum infirmitas de pœnitentijs, & remissionibus*, dicente Domino languido, quem sanauerat, vade, noli amplius peccare, ne deteriùs aliquid tibi contingat. *Et Glossa in eodem cap. cessante causa, cessat effectus, & cap. potest fieri 52. de pœnitentia distinct. prima*: ibi, quod nocet corpori, iuuat spiritum, *& Glossa in eodem*, sed sæpè per talia Homo recognoscit peccatum suum, & compungitur, & armatur contrà diabolum. *Summa Hostiensis lib. 4. de frigidis, & maleficiatis*. Sicut fecit Apostolus Corinthio, tradendo eum Satanæ in interitum carnis, vt interimeret in se sceleratam carnis concupiscentiam, vt spiritus saluus sit in die Domini Iesu. *Diuus Augustinus tom. 7. lib. 3. in principio Tomi contrà Parmenianum loquens de Epistola D. Pauli ad Corinth. ac de actibus Apostolorum* 5. inquit, quid agebat Apostolus, nisi vt per interitum carnis saluti spirituali consuleret.



PARS

PARS DECIMA

De penultimo Impedimento ſcilicet de Raptu Carmen.

Raptaque ſit Mulier, nec parti tradita tuta.

QVÆSTIO XXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Iuxtà Concilium Tridentinum raptus dirimit matrimonium.*
2 *Enumerantur pœnæ latæ à Concilio contra raptores, & fautores.*
3 *An excommunicatio ipſo Iure lata à Concilio ſit Pontifici reſeruata.*
4 *An matrimonium contractum inter raptorem, & raptam, dum exiſtit ſub poteſtate raptoris, ſit validum.*
5 *An raptor ad dotandam raptam teneatur.*
6 *Si raptor ducat raptam conſtitutam in loco tuto, an liberetũr ab hac infamiæ pœna.*
7 *An Parochus aſſiſtens matrimonio raptoris cum rapta, nondum reſtituta ad priſtinam libertatem, vltra pœnas in cap. finali de clandeſtina deſponſatione, incurrat in pœnas Decreti Tridentini, cum raptoris eſſe fautor videatur.*
8 *An ille dicatur raptor, qui fœminam abducit ſolum cauſa explendæ libidinis.*
9 *Quæ requirantur, vt dicatur verè raptus.*
10 *An dicatur raptus, quando per vim abducitur corrupta, ſiuè coniugata, ſiuè meretrix.*
11 *An eiſdem pœnis raptus, ſubdatur fœmina rapiens virum, vel aliam fœminam.*
12 *An ſit raptus, quando quis Virginem opprimit in domo patris, aut illam trahit de vno Cubiculo ad aliud.*
13 *An validè celebretur matrimonium cum ea, cum qua celebrata fuerunt ſponſalia, quando per vim celebratur matrimonium.*
14 *An dicatur raptus, quando ſponſa volens abducta fuit ad contrahendum matrimonium, etiam inuitis parentibus, quid de Iure Ciuili, & quid de Iure Canonico.*

15 *Dn-*

15 ***Dubitatur vtrum ille dicendus sit raptor , qui puellam cum qua contraxit matrimonium nondum consumatum, abducit inuitam per vim, quando ipsa vult vti spatio duorum mensium , sibi concesso à Iure , ante consumationem matrimonij .***

De Raptu.

1 ATtento Decreto Tridentini, raptus dirimit matrimonium, obnoxiusque sit raptor excommunicationi , & pœnis in eo decreto contentis, vt mox dicemus.

2 Præmittendum est, Tridentinum *sess.24. de Matrimonio cap. 6.* aliquas pœnas raptoribus statuisse, nimirum, vt matrimonium inter raptorém, & raptam consistere nequeat, quamdiù rapta in potestate raptoris manserit; Secus si iam extrà illius sit potestatem, ac in loco tuto, & libero constituta.

Deindè raptores, ac consilium, auxilium, aut fauorem præbentes, sint ipso Iure excommunicati, perpetuò infames, ac omnium dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint de proprio gradu decidant.

Tandem, vt raptor teneatur raptam decenter arbitrio Iudicis dotare, si eam duxerit, siuè non.

Quæ excommunicatio est latæ sententiæ, ac proindè nullum actum Iudicis desiderat; quod constat, quia Ibi dicitur sint ipsò Iure excommunicati. At particula ipso Iure denotat sententiam latam. Veracrux appendice ad speculum, vbi de raptu *fol.* 85. §. *relicta ergo, & fol.* 81. §. *hìc considerandum*, cui nemo contradicit.

3 An hæc excommunicatio sit Pontifici reseruata.

Manuel tom. 1. summæ 2. editione cap. 213. num. 7. sustinet hanc excommunicationem esse Summo Pontifici reseruatam. Verum *Sanchez lib. 7. disp. 13. num 1. & Bonacina de impedimento raptus quæst. 4. punct.* 18. *num.9. in fine*, inquiunt, quod Tridentinum in eo decreto minimè reseruet, ac subindè locum habeat Regula tradita *cap. Nuper verò in 2. casu de sententia excommunicationis*, nempè vt reseruata non sit, cum in Tridentino mentio reseruationis non fiat, vide etiam *Filiuccium qui idem dicit de Sacramento matrimonij par. 2. cap.8. num. 264. circà medium.*

4 An matrimonium contractum inter raptorem & raptam, dum sub

ſub raptoris poteſtate exiſtit, nec ſeparata eſt, ac in loco tuto, & libero conſtituta, valeat?

Reſp. Eſſe prorſus irritum, vt ſupra diximus, quare raptus pro eo tempore eſt impedimentum dirimens; Conſtat clarè ex decreto Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. Immò addit benè *Henriquez lib.* 12. *de matrimonio cap.* 14. *num.* 4. Id eſſe verum, licèt rapta adhuc ſub raptoris poteſtate conſtituta, reuera liberè conſentiat; quod Tridentinum non eam ſolam liberatetm petat ad huius matrimonij valorem, ſed etiam vt plenè rapta libera ſit a raptoris poteſtate.

5 An raptor teneatur ad dotandam raptam.

Reſp. Manifeſtum eſſe requiri ad id ſententiam Iudicis, quod clarè conſtat, eo quod Tridentinum addit teneri arbitrio Iudicis dotare decenter. *Sanchez lib.* 7. *diſput.* 13. *num.* 1. *& Henriquez num.* 5. *loc. cit.* addunt arbitrium hoc Iudicis fore, attenta qualitate raptoris, & raptæ, & dos arbitrio Iudicis taxanda venit.

Perpetua quoque infamia ſententiam Iudicis poſtulat; Et idem dicendum eſt de ea pæna decidendi a proprio gradu; Eos decidendos eſſe, ac deponendos, manifeſtè ſignificans non depoſitos eſſe, donec miniſterium Iudicis deponentis accedat, *Nauarrus proximè allegandus. Quamuis Bonacina infrà citandus, & Coninchus ab ipſo citatus teneant*, quod hæc pæna incurratur antè Iudicis ſententiam.

De Pæna autem incapacitatis dignitatum poſſet ambigi, quod ſit pæna priuatiua, tamen meritò inhabilitatem indigere Iudicis ſententia, ob eius penæ maximam acerbitatem, docet *Nauarrus in Extrauag. Gregorij XIII. de datis pro iuſtitia, vel gratia. Notabili* 31. *num.*44. *Molina tomo primo de iuſtitia tract.* 2. *diſp.* 96. §. *quod attinet ad pęnam*; quod maximè verum eſt, quia ea dignitatis incapacitas ſequitur infamiam, & proinde immediatè poſt infamiam poſita eſt in eo Tridentini decreto; infamia antem minimè incurritur antè Iudicis ſententiam. *Sanchez lib.* 7. *diſp.* 13. *num.* 1.

6 Sed maior difficultas eſt, ſi raptor ducat raptam conſtitutam in loco tuto, an liberetur ab hac infamiæ pæna, poſtquam Iudex tulit ſententiam. *Aliqui DD. vt Enriquez dic. cap.* 14. *num.* 4. *Manuel tomo* 1. *ſumma* 2. *Editione cap.* 232. *num.* 1. *Vega* 2. *tomo ſummæ cap.* 34. *caſu* 175. *in fine*; *& Couarruuias* 4. *decretalium* 2. *par. cap.* 7. §. 4. *num.* 11. *in l. vnica C. de raptu Virginum* dicunt impoſitam raptori pænam, non ità ſtrictè debere ſeruari in ſpon-

so de futuro, propriam sponsam rapiente, sed propter præuiam consensus coniugalis promissionem, temperandum esse rigorem illius legis.

Et sic DD. allegati suprà liberant raptorem, si raptam ducat, ab hac infamiæ pæna, & ducuntur, quod id credendum sit ex pia Tridentini mente, durum etenim esset raptam cogere, vt nubat infami, quod in matrimonij grauamen cederet, contrà fauorem, quem ipsi Tridentinum concedere intendit.

At optimè *Sanchez lib. 7. de impedimentis matrimonij disp. 13. num. 1. in fine* sustinet cum alijs ab ipso citatis omninò tenendum esse minimè ab ijs pænis raptorem eximi, etiamsi raptam ducat, quod id apertis verbis, ibi decernat Tridentinum, vbi enim dixit, posse duci raptam, si ad pristinam libertatem restitutam, consenserit, & tunc concessit, vt eam habeat raptor in vxorem; Subdit hæc: & nihilominus raptor ipse, & omnes illi consilium, auxilium, fauorem præbentes sint ipso Iure excommunicati, ac perpetuò infames, omnium dignitatum incapaces, vbi ponderanda est dictio, nihilominus; quæ non minus hyspanicè *contodo esso* significat. *l. finali ff. de in integra restitut. vt notat Rebuffus alios textus allegans l. 59. §. eamque nihilominus ff. de verbor. significatione.*

Nemo enim raptam cogit, sed in sua potestate situm est, an id matrimonium, aliudue eligere velit, & sic non est compellere raptam, vt infami nubat; Nec id matrimonij fauori aduersatur, quoniam non ea pæna imponitur ob contractum matrimonij, sed ob raptus delictum; Immò maximus est matrimonij fauor, quod tanti eius Tridentinum libertatem faciat, vt illi contrauenientes, raptu admisso, subdantur, grauissimis pænis, non obstante matrimonio postmodum liberè subsequuto. Ità *Sanchez loc. cit. Lessius, Filiuccius citati à Bonacina de matrimonio de impedimento raptus quæst. 4. punct. 18. num. 10.*

7 An Parochus assistens matrimonio raptoris cum rapta, nondum ad pristinam libertatem, extrà raptoris potestatem restituta, vltrà pænas *in cap. fin. de clandest. desponsat.* nimirum suspensionem triennalem, incurrat in pænas huius decreti Tridentini, cum fautor raptoris videatur.

In pænis huius decreti eum minimè subdi existimat. *Sanchez infrà citandus*, quæ tantum imponuntur aduersus fautores raptus; At Parochus assistens posteà matrimonio, non fauet raptui, vt potè qui iam omninò admissus est. At vtique incurreret, si antè raptum promitteret illi eam assistentiam, qua animosior factus est,

eſt raptor ad raptum exequendum, tunc enim verè fautor eſſet raptus. *Sanchez loc. cit. num. 1. in fine.*

8 An ille dicatur raptor qui fœminam abducit ſolum cauſa explendæ libidinis.

Reſp. Non ſolum illum eſſe raptorem, qui abducit fœminam cauſa contrahendi matrimonij, ſed etiam qui abduxit tantum cauſa explendæ libidinis, conſequenter ſubiacere pænis contrà raptorem conſtitutis in Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 6. de reform. matrimonij, vt benè ait Emmanuel Sà verbo matrimonium num. 9.* vbi aſſerit hoc ità declaratum eſſe a Cardinalibus. Ratio noſtra eſt, quia Tridentinum generaliter loquitur; cum autem conſtet illum eſſe raptorem, qui abduxit cauſa explendæ libidinis, aut cauſa contrahendi matrimonij, ſequitur etiam ipſum ſubiacere pęnis Tridentini.

Addo raptorem ſubiacere pænis Tridentini, quamuis poſteà non expleuerit libidinem ob ſuperueniens impedimentum, aut eo quod ipſum pænituerit rapuiſſe, nam adhuc verè dicitur raptor. *Guttierez cap. 86. num. 13. Reginaldus lib. 31. num. 165. & alij.*

9 Ad raptum duo requiruntur, primò requiritur vis, quando verò nulla vis infertur in abducenda fœmina, ſed fœmina ipſa ſpontè, aut etiam precibus diſcedit cum amatore neſcientibus parentibus, non eſt propriè raptus, ſed potiùs eſt fuga voluntaria, nulli enim vis infertur. Ità docet *Sanchez lib. 7. diſp. 13. nu. 13. ac etiam Enriquez lib. 12. de matrimonio cap. 14. num. 5.* hunc non ſubdi pænis ſtatutis raptui in Tridentino.

Tenent alij. Secus dicendum, ſi expreſsè parentes abductioni reſiſterent, tunc enim grauiùs delinqueretur, vis enim infertur parentibus, vel Tutoribus, vel fratribus, qui habentur loco parentum; vt refert *Sanchez loc. cit. num. 12. 13. & 14.* aut quando diſcedit precibus adeò importunis, vt æquiparentur violentiæ; vt tradit *Guttierez cap. 86. num. 15.*

Secundò requiritur abductio cauſa libidinis, vel matrimonij. Ex quo fit, vt ſi fœmina non abducatur cauſa libidinis, vel matrimonij, ſed redigendi illam in ſeruitutem aliquam, non dicitur raptus, ſed Plagium. *DD. citati, & Bonacina de raptu.*

10 Addo raptum committi quando fœmina abducitur per vim, ſiue ipſa ſit virgo, ſiue corrupta, ſiue coniugata. *Bonacina loc. cit. num. 7. de raptu, & alij quos ipſe refert, & Sanchez loc. cit. num. 14. D. Thomas 2. 2. quæſt. 154. art. 7.*

Tandem infertur meretricis raptorem non incidere in pænam *in l. vnica C. de raptu Virg.* quod ad eas pænas incurrendas deſide-

retur honestas in muliere rapta. Sed is raptor pęna extraordinaria arbitrio Iudicis puniendus erit; Constat etiam *ex l. verum est 4. ff. de furtis, atque ità docet Glossa institut. de publicis iudicijs §. Item lex Iulia, verbo, viduam, & alij apud Sanchez lib. 7. disput. 12. nu. 23.*

Quod limitandum est. Nisi vitæ antè actæ pænitentia ducta, meretrix illa vitam honestam agere cepisset; sed non sufficeret pænitentia illa, absque honestæ vitæ inceptione. Ità *Salicetus dic. l. vnica num. 3. oppositione 1. & alij apud Sanchez loc. cit.*

Etiam limitandum est, nisi meretrix illa esset coniugata, quia tunc marito raptor irrogaret iniuriam in abductione illius meretricis, ac subinde Iure optimo raptoris pænis obnoxius esset. Ità *Paulus Hippolitus num. 30. Carrerius, Decius, Mascardus, & alij apud Sanchez loc. cit.* quod intellige, nisi maritus esset leno, tunc enim respectu ipsius cessaret iniuria. *DD. citati Sanchez loc. cit.*

9 An ijsdem pænis raptus subdatur fœmina rapiens virum, vel aliam fœminam.

Quidam affirmant ijsdem pænis raptus obnoxiam esse fœminam viri raptricem, & ratio, quia in raptu viri concurrunt duo illa requisita ad raptum, videlicet vis, & abductio causa libidinis, vel matrimonij. *Enriquez lib. 12. cap. 14. num. 4.* cum alijs recentioribus.

Existimat tamen *Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 12. num. 25. & disp. 13. num. 16.* cum alijs ab ipso citatis, pænas Concilij Tridentini non incurri per raptum viri; nam Tridentinum videtur tantummodo loqui de raptore fœminæ; Sed alia pæna extraordinaria puniendam esse, & ratio est, tum quia, rarissimè, & vix auditum est vt fœmina virum rapiat, tum quia maior honestas consideretur in fœmina. *l. si furiosi C. de nuptijs*, tum quia atrocius delictum est raptus fœminæ perpetratus à viro, quam si fœmina virum rapiat, multo enim grauior iniuria irrogatur honestati fœminæ raptæ, quam viri rapti, quippè nec masculus raptus nec eius parentes, ac consanguinei eam iniuriam, & infamiam patiuntur, ac quando fœmina rapta est, quamobrem cum pæna delicto compensari debeat. *cap. non afferamus 24. quæst. 1.* eadem pæna puniri non debet.

Quod si fœmina fœminam rapiat, consulendi sunt. *DD. citati*, & breuiter existimo non extendi eas pęnas ad hunc raptum, quod hic quoque casus sit rarissimus; quamuis inuenio aliquos tenere oppositum. Idem *Sanchez loc. cit. disp. 12. num. 25.*

12 An sit raptus, quando quis virginem opprimit in domo patris, aut illam trahit de vno cubiculo ad aliud.

Resp.

Respondetur non committi raptum ab eo, qui virginem repertam in domo patris, vel in alia domo, & non educit de ea domo, sed illam ibi opprimit, aut trahit de vno cubiculo ad aliud, vt ibi illam commodius violet. *Bonacina infrà citandus*.

Idem dicendum est, si virginem in agro repertam inde trahat per aliquot passus vt abutatur; Secus si indè deducat in aliquam domum, extrà illum agrum, aut in alium locum, vt ait *Molina disp.* 105. *num.* 3. *Rodriquez in summa prima parte cap.* 232.*num.* 2. *Guttierez cap.* 86. *num.* 9. *Bonacina de raptu quæst.* 4. *punct.*8. *nu.* 8. *de ijs quæ pertinent ad vsum matrimonij, & alij apud ipsos*.

13 An validè celebretur matrimonium cum ea, cum qua celebrata fuerunt sponsalia, quando per vim celebratur matrimonium.

Resp. Inualidum esse matrimonium contractum cum sponsa, quæ per vim fuit abducta post sponsalia liberè celebrata, nam verè interueuit raptus, & matrimonium celebratum inter raptorem, & raptam inualidum est, quamdiù rapta est in potestate raptoris. Ità *Rebellus* 2. *par. lib.* 3. *quæst.* 11. *num* 5. *Azorius Sanchez lib.* 7. *disp.* 13. *num.* 15. quamuis aliqui oppositum sentiant.

14 Secus dicendum est, dum sponsa volens abducta fuit ad contrahendum matrimonium, etiam si forte ipsius parentes inuiti essent, hic enim Iure quidem Ciuili est raptus; Iure tamen Canonico non reputatur raptus, tum ob *textum in cap. Cum causa de raptoribus*, tum quia fœmina est sui Iuris in causa matrimonij. *Sanchez lib* 7. *disp.* 12. *num.* 15. Secus dic si volens abducatur ad turpem actum inuitis parentibus. DD. *citati*.

15 Quæres, vtrum ille dicendus sit raptor, qui puellam cum qua cõtraxit matrimonium, nondum consumatum, abducit inuitam per vim, quando ipsa vult vti spatio duorum mensium, sibi concesso a Iure ante consumationem matrimonij.

Resp. Affirmatiue; ratio est, quia abducit inuitam per vim ad explendam libidinem, & facit illi iniuriam, cum sponsa habeat Ius denegandi debitum intra bimestre, vt interim deliberare queat de statu eligendo. Ità *Azorius* 3. *par. lib.* 3. *cap.* 14. *Molina disp.*105, *nu.*7. vbi plures alios refert. *Bonacina de Raptu qu.* 4. *punct.*18. *num.* 13. licet contrarium sentire videatur. *Lessius lib.* 4. *cap.*3. *num.*70.

Vltimum impedimentum impediens, & dirimens matrimonium est; Si desit præsentia Parochi, & Testium. Concilium Tridentinum, si Parochi & duplicis desit præsentia Testis. De quibus satis dictum est suprà.

PARS

PARS VNDECIMA.

Concomitantia, & Subsequentia Matrimonij.

QVÆSTIO XXIX.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo per subsequens matrimonium filij naturales efficiantur legitimi.*
2 *An hoc procedat de Concubino in mortis articulo constituto ducens Concubinam in vxorem.*
2 *An ea legitimatio vim habeat excludendi eum, qui deficiente prole legitima, substitutus est.*
4 *Limitatio in hac materia.*
5 *Quæres; Clericus in minoribus constitutus, ac etiam beneficiatus habens Concubinam, ducit eam in vxorem, an filij nati in concubinatu fiant legitimi per subsequens matrimonium.*
6 *De oneribus matrimonij, & de mutuo officio mariti, & vxoris, & de sententia D. Augustini in Can. Nos nouimus 17. quæst. 2.*
7 *Enumerantur onera.*
8 *An Matres teneantur lactare filios propriò lacte eosque nutrire.*
9 *Vtrum Coniuges, qui se nocte antecedenti carnaliter cognouerunt, sequenti die à Sanctissima Eucharistia abstinere debeant.*
10 *An vxor teneatur sequi virum.*
11 *Vtrum Coniuges teneantur simul cohabitare.*
12 *An vxor teneatur sequi maritum vagabundum; hunc casum inuenies cum sequenti, in parte 14. quæst. 32.*
13 *Vtrum vxor debeat sequi virum alio transferentem domicilium.*
14 *An vir possit diutiùs abesse; vel si liceat ex aliqua causa iusta, inuita vxore.*
15 *Quæres vtrum vir aliquando possit vouere breuem peregrinationem, absque vxoris consensu.*
16 *Quid dicendum, si votum sit in subsidium Terræ sanctæ eundi.*
17 *Quæres, an vxor possit exequi votum peregrinationis renitente marito.*

Præ-

PRæterea duo proponimus tractanda in hac quæstione, scilicet quę sint Concomitantia,& subsequentia matrimonij.

Ad primum, quomodo per subsequens matrimonium filij naturales efficiantur legitimi.

Ad secundum erit videndum, quæ sint onera matrimonij, tam in viro, quam in vxore.

1 Ad primum tanta est vis, & potentia Sacramenti matrimonij, vt filij nati naturales tantum ex Concubina, per subsequens matrimonium cum ea contractum, fiant legitimi, *cap. Tanta est vis, qui filij sint legitimi*.

2 Quæ Conclusio ampliatur, vt etiam procedat, quando in mortis articulo Concubinus constitutus ducat Concubinam in vxorem, intelligendo coram Parocho & Testibus, nam adhuc filij naturales legitimi fiunt, per subsequens matrimonium. *Iason in l. Sed & quæsitum, ff. de liber & posthum.*

Idque constat ex vsu Ecclesiæ, etiamsi sic contrahentes non habeant prolem; Tandem quia in eo mortis articulo potest contrahi matrimonium spirituale, emittendo professionem, *cap. Sicut tenor de Regularibus*, Cur ergo non poterit carnale? *Sanchez de matrimonio libro* 7. *disput.* 105. *num.* 3.

Id habet verum, quamuis Senex decrepitus tunc contrahat. Idem *Sanchez loc. cit. num.* 6.

3 Sed maior difficultas est; an ea legitimatio vim habeat excludendi eum, qui deficiente prole legitima substitutus est.

Quamuis multi teneant, quod quando matrimonium initum est fraude excludendi substitutum; tantò magis si maritus suum animum expresserit, vel minatus fuerit contrahere matrimonium ad excludendum substitutum, tunc minimè excludi substitutum.

Quamuis etiam prædicta sententia sit valde probabilis, mihi potiùs cum *Sanchez*, *Nauarro lib.* 3. *de restitutione*, *cap.* 5. *in noua editione dubio* 1. *num.* 5. *& sequentibus*, & vt communis ferè omnium sententia sustinet, dicendum videtur, vt non obstante eo animo exteriori defraudandi substitutum succedat proles per id matrimonium, excluso substituto, propter multas rationes, vt est videre apud *Sanchez lib.* 7. *disput.* 105. *num* 7. *cum sequentibus*; Tantò magis quod talę matrimonium est vtile morienti, & filijs eius; Est vtile morienti, quia cum tunc agatur de damno salutis æternæ irreparabili, cum immemor non præsumatur morti proximus, & in periculo mortis non præsumitur id agere ob prauum finem contrà substitum est vtile filijs, nam legitimatio consurgens ex matrimonio, in articulo mortis inito, est bonum prolis,

cui

cui plurima commoda indè pullulant, & sic cum alijs rationibus refertis à *Sanchez* satisfit, argumentis contrarijs.

4 Hæc regula, qua asseruimus, quod filij naturales legitimantur per subsequens matrimonium, intelligitur dummodo inter Concubinum, & Concubinam potuerit esse matrimonium tempore conceptionis, vel natiuitatis filiorum, aliàs autem non legitimantur; & ideò si Concubinus fuerit vxoratus, & ex concubina filios genuerit, mortua sua vxore, si ducat Concubinam, filij tempore concubinatus nati, non legitimantur per subsequens matrimonium, nam tempore conceptionis, vel natiuitatis eorum, inter ipsum Concubinum, & Concubinam matrimonium stare non poterat; Sic è conuerso si Concubina erat coniugata, & Concubinus solutus, nam mortuo marito, si concubina ducat concubinum adulterum, filij ex concubinatu nati sunt spurij, non autem naturales, & non fiunt legitimi, hoc etiam statuitur in dicto *cap. Tanta est vis, qui filij sint legitimi*.

Secundò tanta est vis matrimonij, vt filij nati ex matrimonio nullo, & inualido, sed tantum putatiuo, tamen nascuntur legitimi & naturales, ità vt possint succedere patri, sicut alij filij legitimi, & naturales, *cap. ex tenore, qui filij sint legitimi. Couarruuias in 2. parte de matrimonio cap. 8. §. 2.*

5 Quæres; Clericus in minoribus constitutus, vel etiam Beneficiatus habens Concubinam ducit eam in vxorem; An filij nati in concubinatu ipsius, fiant legitimi per subsequens matrimonium.

Respondetur affirmatiuè, quia Clericus in minoribus constitutus, quamuis beneficiatus, semper potest ducere vxorem, beneficium tamen ipso Iure vacat ducendo vxorem; Secus est si Clericus ille erat in sacris constitutus, vel alio modo voto castitatis obligatus, scilicet per votum solemne emissum in aliqua Religione à Summo Pontifice approbata, *cap. primo de voto in 6.*

6 Ad secundum, scilicet de oneribus matrimonij, & de mutuo officio mariti, & vxoris.

Sciendum est, quod in matrimonio vir & vxor ad imparia non iudicantur, *cap. Gaudemus de diuortijs*; Ideòque mutuo vinculo ligãtur, & sicut vir onera in matrimonio subire debet, ità & vxor.

Ducere enim vxorem ex sententia *D. Augustini in Epistola* 70. *ad Bonifacium Comitem*, est velut nauigare, sicut enim qui nauigat exponit se multis periculis, & proprio motu non ducitur, sed motu ventorum; ità vir vxorem ducendo, exponit se multis oneribus, periculis, & molestijs, & proprio motu non potest nauigare, sed motu vxoris. Et è conuerso, vxor suo motu agere non potest,

poteſt, ſed motu viri, & illius arbitratu ſtat in matrimonij oneribus ferendis. *Can. Nos nouimus 17. quæſt. 2.*

7 Primò vir & vxor tenentur ſibi inuicem ſeruare fidem matrimonij, *cap. Gaudemus de diuortijs.*

Secundò vir tenetur ſuſtinere onera matrimonij in miniſtrando vxori, & filijs omnia neceſſaria ad eorum victum & veſtitum. *Ripa in Rubrica ff. ſoluto matrimonio num. 75.*

Tertiò tenetur ſiuè nobilis, ſiuè ignobilis ſit vir diligere vxorem ſuam cum moderatione, non immoderatè ſuprà Deum. *D. Paulus ad Epheſios 5. viri diligite vxores veſtras.*

Quartò tenetur tractare vxorem debita manſuetudine, & dulcedine. *Paulus ad Coloſſenſenſes 3. Nolite eſſe amari ergà vxores.*

Quintò tenetur abſtinere à verberibus in vxorem ſiuè nobilem; ſiuè ignobilem, quia ſocia ei eſt, non autem ſerua; Et ideò Deus ex coſta Adam creauit illam, non ex pedibus, neque ex capite, vt ſignificaret, quod mulier non debet eſſe caput viri, neque ei ſubiecta, vti ſerua, ſed ſocia, medium inter vtrumque.

Sextò peccat maritus coniugem immoderatè percutiendo, vel verberando. *Nauarrus cap. 14. de peccatis coniugum nu. 19.* cum neque Dominus ſeruum ità cædere debeat, *l. prima ff. de his qui ſunt ſui, vel alieni Iuris. §. final. inſtitut. eodem tit.*

Tenetur etiam vir abſtinere a verbis contumelioſis, & iniurijs in vxorem, & peccat id faciendo, maximè quando verba ſuapte natura ſunt apta ad infamandum, & indè infamia ſubſequitur, vel ſaltem adeſt periculum probabile eius infamiæ. *Nauarrus loc. cit. & refert D. Thomam 2. 2. quæſt. 37. art. 2.*

Et è conuerſo vxor tenetur ſua onera ſubire matrimonij;

Et primò ſeruare fidem matrimonij integram, & inuiolatam, hoc eſt, vt non ſolum abſtineat a reali adulterio, ſed etiam a ſignis, & a malis præludijs adulterij.

Secundò tenetur exhibere reuerentiam viro, & cognoſcere ſe inferiorem, & ſubiectam illi, tanquam capiti ſuo, & ipſa tanquam corpus; Caput enim viri eſt Chriſtus, Caput vxoris eſt vir, vt ait Paulus: Et vxor tenetur obedire viro, etiam ignobili, cum ipſa ſic voluerit in contractu matrimonij, lex enim Chriſtiana ità iubet. Immò addit *Nauarrus cap. 14. de peccatis coniugum num. 20. & ſeq.* vxorem mortaliter peccare ſi marito ſit notabiliter inobediens in his quæ ad regimen domus, familiæ, bonoſque mores pertinent; vel ſi maritus illi aliquid notabile imperet, aut eius inſtum præceptum non impleat, vel contemnat, quale eſt præceptum, vt ſuperflua & vana, moreſque incompoſitos exuat.

cui plurima commoda indè pollulant, & ſic cum alijs rationibus refertis à *Sanchez* ſatisfit, argumentis contrarijs.

4 Hæc regula, qua aſſeruimus, quod filij naturales legitimantur per ſubſequens matrimonium, intelligitur dummodo inter Concubinum, & Concubinam potuerit eſſe matrimonium tempore conceptionis, vel natiuitatis filiorum, aliàs autem non legitimantur; & ideò ſi Concubinus fuerit vxoratus, & ex concubina filios genuerit, mortua ſua vxore, ſi ducat Concubinam, filij tempore concubinatus nati, non legitimantur per ſubſequens matrimonium, nam tempore conceptionis, vel natiuitatis eorum, inter ipſum Concubinum, & Concubinam matrimonium ſtare non poterat; Sic è conuerſo ſi Concubina erat coniugata, & Concubinus ſolutus, nam mortuo marito, ſi concubina ducat concubinum adulterum, filij ex concubinatu nati ſunt ſpurij, non autem naturales, & non fiunt legitimi, hoc etiam ſtatuitur in dicto *cap. Tanta eſt vis, qui filij ſint legitimi*.

Secundò tanta eſt vis matrimonij, vt filij nati ex matrimonio nullo, & inualido, ſed tantum putatiuo, tamen naſcuntur legitimi & naturales, ità vt poſſint ſuccedere patri, ſicut alij filij legitimi, & naturales, *cap. ex tenore, qui filij ſint legitimi. Couarruuias in 2. parte de matrimonio cap.* 8. §. 2.

5 Quæres; Clericus in minoribus conſtitutus, vel etiam Beneficiatus habens Concubinam ducit eam in vxorem; An filij nati in concubinatu ipſius, fiant legitimi per ſubſequens matrimonium.

Reſpondetur affirmatiuè, quia Clericus in minoribus conſtitutus, quamuis beneficiatus, ſemper poteſt ducere vxorem, beneficium tamen ipſo Iure vacat ducendo vxorem; Secus eſt ſi Clericus ille erat in ſacris conſtitutus, vel alio modo voto caſtitatis obligatus, ſcilicet per votum ſolemne emiſſum in aliqua Religione à Summo Pontifice approbata, *cap. primo de voto in 6.*

6 Ad ſecundum, ſcilicet de oneribus matrimonij, & de mutuo officio mariti, & vxoris.

Sciendum eſt, quod in matrimonio vir & vxor ad imparia non iudicantur, *cap. Gaudemus de diuortijs*; Ideòque mutuo vinculo ligãtur, & ſicut vir onera in matrimonio ſubire debet, ità & vxor.

Ducere enim vxorem ex ſententia *D. Auguſtini in Epiſtola* 70. *ad Bonifacium Comitem*, eſt velut nauigare, ſicut enim qui nauigat exponit ſe multis periculis, & proprio motu non ducitur, ſed motu ventorum; ità vir vxorem ducendo, exponit ſe multis oneribus, periculis, & moleſtijs, & proprio motu non poteſt nauigare, ſed motu vxoris. Et è conuerſo, vxor ſuo motu agere non

poteſt,

potest, sed motu viri, & illius arbitratu stat in matrimonij oneribus ferendis. *Can. Nos nouimus 17. quæst. 2.*

7 Primò vir & vxor tenentur sibi inuicem seruare fidem matrimonij, *cap. Gaudemus de diuortijs*.

Secundò vir tenetur sustinere onera matrimonij in ministrando vxori, & filijs omnia necessaria ad eorum victum & vestitum. *Ripa in Rubrica ff. soluto matrimonio num. 75.*

Tertiò tenetur siuè nobilis, siuè ignobilis sit vir diligere vxorem suam cum moderatione, non immoderatè suprà Deum. *D. Paulus ad Ephesios 5. viri diligite vxores vestras.*

Quartò tenetur tractare vxorem debita mansuetudine, & dulcedine. *Paulus ad Colossenses 3. Nolite esse amari ergà vxores.*

Quintò tenetur abstinere à verberibus in vxorem siuè nobilem, siuè ignobilem, quia socia ei est, non autem serua; Et ideò Deus ex costa Adam creauit illam, non ex pedibus, neque ex capite, vt significaret, quod mulier non debet esse caput viri, neque ei subiecta, vti serua, sed socia, medium inter vtrumque.

Sextò peccat maritus coniugem immoderatè percutiendo, vel verberando. *Nauarrus cap. 14. de peccatis coniugum nu. 19.* cum neque Dominus seruum ità cædere debeat, *l. prima ff. de his qui sunt sui, vel alieni Iuris. §. final. institut. eodem tit.*

Tenetur etiam vir abstinere a verbis contumeliosis, & iniurijs in vxorem, & peccat id faciendo, maximè quando verba suapte natura sunt apta ad infamandum, & indè infamia subsequitur, vel saltem adest periculum probabile eius infamiæ. *Nauarrus loc. cit. & refert D. Thomam 2. 2. quæst. 37. art. 2.*

Et è conuerso vxor tenetur sua onera subire matrimonij;

Et primò seruare fidem matrimonij integram, & inuiolatam, hoc est, vt non solum abstineat a reali adulterio, sed etiam a signis, & a malis præludijs adulterij.

Secundò tenetur exhibere reuerentiam viro, & cognoscere se inferiorem, & subiectam illi, tanquam capiti suo, & ipsa tanquam corpus; Caput enim viri est Christus, Caput vxoris est vir, vt ait Paulus: Et vxor tenetur obedire viro, etiam ignobili, cum ipsa sic voluerit in contractu matrimonij, lex enim Christiana ità iubet. Immò addit *Nauarrus cap. 14. de peccatis coniugum num. 20. & seq.* vxorem mortaliter peccare si marito sit notabiliter inobediens in his quæ ad regimen domus, familiæ, bonosque mores pertinent; vel si maritus illi aliquid notabile imperet, aut eius iustum præceptum non impleat, vel contemnat, quale est præceptum, vt superflua & vana, moresque incompositos exuat.

Dixi contemnet; quoniam præceptum mariti non est maius, quam præceptum Ecclesiæ, & hoc non obligat semper sub mortali, si desit contemptus; *Nauarrus infrà citandus, qui citat D. Thomam* 2.2. *quæst*. 186. *art*. 9. licet aliàs sic, cum aliquis possit, & Ecclesiæ præceptum non adimpleat. Idem *Nauarr.cap*.14.*nu*. 20. *in fine*.

8 Tertiò tenetur nutrire, & lactare filios, saltem per triennium, vt supra dixi. *cap. fin. de conuers. Infid. Can. Ad eius* 5. *distinct. in fine*. Quod fallit in mulieribus nobilibus, quæ suos filios non tenentur lactare, vbi est consuetudo, quæ nutricibus lactandos tradunt. *Felinus in cap. Illud de præsumpt. Abbas ibidem, & in cap. Quemadmodum de iure iurando*. *Nauarrus cap*. 14. *num*. 17. de peccatis parentum erga filios, dicit matrem peccare, quæ filium proprio lacte non nutrit, vel negligit notabiliter eligere nutricem bonam, vel gerere curam circa bonam pueri educationem; quamuis nolle filium proprijs vberibus lactare, sine iusta causa, non sit amplius quam veniale, & cum causa neque veniale.

Diximus vsque ad triennium; Quoniam deinceps Pater ipse tenetur omnia necessaria filio exhibere; nisi sit pauper, & filio nulla sint bona, neque ars aut officium decens, quo possit seipsum alere, neque filius sit aliàs adeò ingratus, & criminosus, vt secundum Iura exheredari mereatur. *Argum. l. Necare, & l. si quis à liberis, ff. de liber. agnoscen. quod rectè notauit Syluester verbo filij num*. 24.

Quartò tenetur vxor operari viro, *l. sicut à simili, ff. de oper. liber*; & non laborare, & operari in beneficium suorum consanguineorum, si tamen in beneficium ipsius vxoris, vel filiorum operetur, tunc in viri beneficium operari dicitur. Tamen hæc regula fallit in Matronis nobilibus, quæ viris suis operari non tenentur, cum laborare non cogantur; Ideoque si laborare voluerint, opus suum cui velint licite donant. Ita *Geraldus suo singulari* 99.

Quintò tenetur vxor reddere debitum, quia hoc est onus matrimonij, & si neget sine iusta causa mortaliter peccat, & est communis opinio in hoc.

9 Immò quando iusta est causa negandi debitum, precibus negare debet, vti si vxor esset sumptura Sanctissimum, ac tremendum Eucharistiæ Sacramentum die sequenti; secus verò si adesset periculum pollutionis in viro, tunc vxor spiritualiter mane communicet, de communi tamen consensu abstinere deberent a debiti solutione ob decentiam tanti Sacramenti, dummodo non adsit periculum incontinentiæ.

Hoc

Hac de causa DD. ferè communiter aduertunt, Coniuges qui se nocte antecedenti carnaliter cognouerunt, abstinendos esse sequenti die ab Eucharistia, saltem ex consilio & deuotione, præsertim si relictus sit aliquis affectus ad res venereas, & aliqua mentis perturbatio. Hoc tamen limita, nisi iusta causa suadeat eo die communionem sumere, qualis causa videtur esse Festum magnæ solemnitatis, aut Iubilei, aut si communio commodè differri nequeat in sequentem diem, Ita *S. Thomas 4. distinct. 32. quæst. prima. Suarez disput. 68. sec. 2. Sanctus Antoninus 3. par. tit. 14. cap. 6. num. 10. & alij apud Bonacinam de Sacramento Eucharistiæ disput. 4. quæst. 6. punct. 2. num. 3.*

10 Tenetur vxor sequi virum. *Can. Vnaquæque 13. quæst. 2.* & ex hoc sumpta occasione videbimus aliqua circa cohabitationem viri, & vxoris.

11 Primò vtrum Coniuges teneantur simul cohabitare.

Resp. Affirmatiue, vt patet tum ex *cap. literas de restitut. spoliat.* tum quia matrimonium initur ad suscipiendam prolem, & ad euitandam fornicationem; proles autem non susciperetur, nec fornicatio euitaretur, si Coniuges non cohabitarent simul. Ita *Couarruuias in 2. parte de matrimonio cap. 7. in principio num. 5.* Nisi quando vnus coniugum timeret sibi infectionem lepræ, vel alterius contagiosi morbi cohabitando cum altero coniuge infecto, tunc enim non obligaretur cum tanto incommodo, & periculo. Ità *Emmanuel Sà verbo diuortium coniugale num. 15.*

13 Ex quo patet, vxorem teneri sequi virum aliò migrantem, & sub reatu culpæ mortalis eum comitari tenetur; *dic. cap. Vnaquæque 13. quæst. 2.* Nisi pactum præcesserit inter eos, ne maritus aliò migraret, tunc enim minimè teneretur, nisi viro aliqua iusta causa, vel necessitas illinc discedendi superueniret, vt morbus, vel capitalis inimicitia. *Nauarrus de peccatis coniugum cap. 14. num. 20.* stantibus istis iustis causis, vir non tenetur soluere pœnam adiectam promissioni, si non seruet promissionem, etiam factam ad pij loci fauorem, etiam in vim donationis, & non pœnæ, quia pœnalia non debent apponi in matrimonio. *cap. Gemma de sponsalibus, vt benè docet Sanchez lib. 1. disp. 4. num. 5. citans alios DD.*

14 Ex his infertur; quamuis vir possit modico tempore, non tamen possit diutius abesse, quia lex Diuina obligat ad cohabitandum, quoniam cum vir & vxor vna caro sint, non debet alter sine altero diutiùs abesse. Et ità docet *Ioannes Andreas in 6. Anth. num. 15.*

Permissum est tamen viro diù abesse ex causa iusta, vt si Prin-

 ceps

ceps eum ad bellum conuocet; vel ad familiam gubernandam, & rem familiarem tuendam id necessarium sit, quia in eo euentu vxor esset irrationabiliter inuita, *sic Sotus 4. distinct. 32. quæst. vnica art. 3. vers. at verò & lib. 7. de iustitia quæst. 3. art. 1. vers. an verò. Sanchez lib. 9. de debito coniugali disp. 4. num. 12. & 13.*

15 Etiam infertur, posse virum aliquando breuem peregrinationem absque vxoris consensu vouere, cum sit caput, possitque absque voto illam exequi, nō tamen potest longam peregrinationem vouere inuita vxore. Probatur, quia Deo minimè placent, quæ implenda sunt cum proximi damno, quale est huiusmodi votum, quod in præiudicium debiti, & habitationis coniugalis vergit, *ità Sanchez loco citato.*

16 Excipiendum tamen est votum in subsidium Terræ Sanctæ eundi, potest enim vir renitente vxore illud emittere, & exequi tenetur; habetur expresè, *cap. Ex multa, § in tanta de voto,* iustum tamen est, vt ad tempus contineat, fauore boni publici totius Ecclesiæ:

Dixi in subsidium Terræ Sanctæ, quia si peregrinatio esset soliùs causa deuotionis, non gauderet hoc priuilegio, sed necessarius esset vxoris consensus ad illud votum exequendum; *Nam textus in dic. cap. Ex multa, §. in tanta de voto;* In subsidium disponit. Et cum sit in præiudicium vxoris, non est extendendus, quando minimè versatur in subsidium boni publici, sed à sola, & ob solam priuatam voluntatem vouentis, soliùs deuotionis causa, *ità docent Sanchez & alij ab ipso citati; loco citato.*

17 Vxor verò nullum peregrinationis votum exequi potest renitente viro, sed opus est, vt vir assensum præstet; tum quia vxorem peregrinari dedecet, atque ita esset in viri præiudicium; tum etiam quia in vouendi potestate non sunt pares, eo quod vir sit caput, & vxor ipsi subdita. *Sanchez loc. cit.*



PARS

PARS DVODECIMA.

De Debito Coniugali.

Materia scitu necessaria, scilicet de peccatis quæ committi possunt in vsu Matrimonij.

QVÆSTIO XXX.

SVMMARIVM.

1 *Quæres vtrum Coniuges regulariter peccent mortaliter, non reddendo debitum alteri coniugi petenti expresè, aut tacitè.*
2 *Aliquando Coniux negando debitum non peccat.*
3 *An Coniux febri laborans debitum reddere teneatur.*
4 *Si Coniux excusetur à reddendo debito, statim post prandium.*
5 *Vtrum Coniux sanus teneatur reddere debitum, alteri coniugi leproso.*
6 *An peccet fœmina negando debitum, quando experta est se non posse filios viuos in lucem edere.*
7 *Vtrum Coniux possit negare debitum, ne multiplicentur filij.*
8 *An in casu paupertatis liceat mulieri sumere medicamenta sterilitatis, vt impediatur procreatio filiorum.*
9 *Vtrum vterque Coniux teneatur reddere debitum infrà bimestre post matrimonium ratum, & non consumatum.*
10 *An alter Coniux innocens teneatur reddere debitum alteri nocenti, qui commisit adulterium.*
11 *Quid si ambo adulterium fecerint.*
12 *Si vxor ignorans fuerit adulterij, maritus possit tuta conscientia ob adulterium occultum a se commissum petere debitum ab vxore.*
13 *Vir & vxor an sint pares in causa diuortij.*
14 *An sit reddendum debitum in loco sacro.*
15 *An Coniux possit petere, & reddere debitum suæ vxori quam scit esse obstrictam voto castitatis.*
16 *An Coniux teneatur reddere debitum alteri coniugi, qui petit modo indebito quoad situm, & quid dicendum quando adsit iusta causa.*

17 *Vtrum*

17 *Vtrum Coniuges teneantur reddere debitum, quando adest scrupulus, vel dubium, vel opinio, vel scientia, seù certitudo de inualiditate matrimonij, quæ omnia sigillatim declarantur infrà.*

18 *Quæres, quodnam remedium adhibendum sit, quando constat matrimonium esse inualidum propter impedimentum dirimens, quod non potest manifestari sine infamia, vel sine vitæ periculo.*

19 *Vtrum Coniux teneatur credere alteri Coniugi dicenti se fictè consensisse in celebratione matrimonij, vel habere aliud impedimentum dirimens.*

20 *Vtrum Coniux teneatur credere adesse impedimentum dirimens, & abstinere a matrimonio, quãdo audiuit huiusmodi impedimentum adesse ab alio viro fide digno, vel ab amico, cum iuramento attestante.*

Quamuis me pudeat agere de aliquibus impuris, nihilominus necesse est, vt pudorem vincat necessitas, & verecundiam superet vtilitas; Vtile enim ac necessarium est Confessarijs nosse huiusmodi materiam, vt pœnitentibus consulere valeant, illisque consilia præbeant opportuna, Nec sunt talia ab animarum Medicis ignoranda. Eloquia enim Domini, eloquia casta, omnia pura puris, & omnia munda mundis, tam scribendo percurrere, quam etiam cogitando mente reuoluere, vt animarum periculo reparetur.

De Peccatis in vsu Matrimonij.

1 INter alia onera matrimonij, hoc vnum est præcipuum de quo mentionem fecimus suprà scilicet, vt vir teneatur reddere debitum vxori, & vxor marito, aliàs regulariter peccant mortaliter, non reddendo debitum alteri coniugi petenti expressè, aut tacitè, nisi habeant iustam causam denegandi; *ità communiter DD. & præcipuè Nauarrus cap. 16. num. 25. de Coniugum luxuriæ peccatis*. Ratio est, tum quia contrahentes matrimonium obligantur ex contractu matrimonij, seù ex iustitia ad reddendum debitum, nam vterque coniux in matrimonio tradit alteri potestatem sui corporis, sed qui facit contra iustitiam peccat mortaliter ex suo genere: ergo coniuges peccant mortaliter non reddendo debitum; tum quia sicut negans debitum ex iustitia in alijs rebus magni momenti, peccat mortaliter, & facit grauem iniuriam Creditori; Ità negans debitum coniugale grauiter peccat, & facit grauem iniuriam coniugi petenti; tum quia constat

ex

ex prima ad *Corinth. 7. vbi D. Paulus æque dixit, nec virum habere sui corporis potestatem, nec vxorem sui.*

2 Dixi Regulariter; quia potest fieri aliquando, vt Coniux negando debitum non peccet mortaliter, vt quando petitur beneuolè, & amicè, non tanquam sibi debitum ex iustitia, nec intendens obligare alterum, ad reddendum sibi debitum; sicut amicus solet aliquando petere ab amico res sibi debitas, absque intentione obligandi. *Ità Sotus in 4. distinct. 32. quæst. vnica, & alij apud Bonacinam de ijs quæ pertinent ad vsum matrimonij quæst. 4. punct. 1.* Qui etiam excusant à mortali coniugem, qui raro negat debitum, non enim videtur facere grauem iniuriam alteri ob paruitatem materiæ.

Similiter excusat eum, qui petitus non statim reddit, sed differt per aliquod breue spatium.

Excusant etiam negantem debitum, quando alter coniux frequentiùs petit, quam par sit, nam in omnibus seruandus est modus; Hæc tamen intelligenda sunt, modò non sit periculum incontinentiæ, vel grauis morbi in petente, ob denegatum sibi debitum.

Addo cum Sanchez, Coniugem negando debitum alteri, non peccare mortaliter quando alter remissè, & frigidè petit, aut rogatus facilè acquiescit; tunc enim petens non videtur obligare alterum coniugem ad reddendum sub mortali; Secus dicendum est quando instanter petit, nec adest causa sufficiens denegandi debitum, tunc enim obligatur ex iustitia. Idem *Sanchez lib. 9. de debito coniugali disp. 2. num. 13.*

3 Hinc sequitur primò, Coniugem febri laborantem non teneri reddere debitum; secus si tantum doleat capite absque febre, vel si doleat dente; Sicut enim in alijs obligationibus iustitiæ debitor tenetur satisfacere, quamuis sibi timeat leue aliquod detrimentum, ità Coniux in præsenti casu tenetur; Non verò tenetur dum febri laborat, vel dum sanguinem è vena extraxerit, vel dum statim à balneo exijt, & his similibus; Nam ordo charitatis, & naturæ non obligat ad consulendum magis alteri, quam sibi ipsi, nam obligatio debiti intelligitur salua incolumitate personæ, seù salua subiecti consistentia, vt ait *Emmanuel Sà verbo debitum num. 15. & alij citati à Bonacina loco citato num. 4.*

4 Secundò, sæpè Coniugem excusari à reddendo debito statim post prandium, quia Copula tunc temporis habita, ex Physicorum dictis solet esse causa grauis detrimenti. *Sanchez lib. 9. disp. 24. num. 4. & alij ab ipso citati.*

5 Ter-

5 Tertiò, Coniugem ſanum non teneri reddere debitum alteri coniugi leproſo, quoties iudicio Medicorum ſubit periculum grauis infectionis. Idem dicendum de morbo gallico, nam Coniux ſanus non tenetur reddere debitum alteri, quoties ex redditione debiti timet ſibi contractionem morbi; niſi fortè antè matrimonium ſciuerit Coniugem eſſe infectum illo morbo; tunc enim tenetur reddere, quia per contractum matrimonij ſcienter ſe ad hoc obligauit, *ità Petrus Ledeſma quaſt. 64. art. 1. Sanchez lib. 9. diſp. 14. num. 18. & 22.*

6 Quartò fœminam non peccare negando debitum, quando experta eſt ſe non poſſe filios viuos in lucem edere; Ratio eſt quia Coniux non tenetur reddere debitum cum probabili periculo vitæ, vxor autem magnum vitæ periculum ſubit ex morte fœtus in ventre, poteſt tamen petere cum dicto periculo, ad vitandum graue periculum incontinentiæ; nam eligit minus malum, ad vitandum maius. *Rodriquez cap. 135. num. 6. Victoria, Petrus Ledeſma quaſt. 58. art. 1. ad finem Reginaldus lib. 31. num. 287. & 288.*

7 Quæres vtrum Coniux poſſit negare debitum ne multiplicentur filij.

Reſp. Non poſſe, ſed grauiter peccare negando debitum. Concedo quidem coniuges poſſe de communi conſenſu abſtinere à copula, ne plures filij generentur, (ſecluſo tamen periculo incontinentiæ) eo quod vterque voluntariè cedat iuri ſuo; ſed nego vnum coniugem poſſe negare debitum alteri, ne plures filios ſuſcipiat; Ratio eſt, tum quia facit iniuriam alteri petenti debitum, tum quia facit contrà finem matrimonij, nam finis matrimonij eſt, procreatio prolis. *Reginaldus lib. 31. num. 289. Bonaina loco cit. quaſt. 4. punct. 1. num. 12. & alij DD. ab ipſis citatis.*

DD. tamen infrà citandi inquiunt, quod Coniux poſſit excuſari à mortali, quando ipſi coniuges non habent facultates ſufficientes ad filios alendos, (modo non ſit periculum incontinentiæ,) Ratio eſt quia magna incommoditas, & difficultas in alendis filijs, videtur cauſa ſufficiens ad illum excuſandum, ſicut excuſat in reſtitutione. Secus dicendum eſt ſi coniuges habeant facultates ad alendos filios, quamdiù vel alter eorum vixerit, licèt poſt eorum mortem non ſuperſit filijs, quo ſe alant; tunc enim non adeſt prædicta incommoditas: Et mortuis parentibus pertinebit ad prolem ſibi victum comparare, & meliùs eſt proli naſci cum illa incommoditate, quam nullo modo naſci. *Ità Sanchez lib. 9. diſput. 2. num. 3. Petrus Ledeſma quaſt. 64. art. 1. verſus finem, Rodriquez prima parte cap. 243. num. 1. Emmanuel Sà verbo debitum coniugale 18.*

8 Et

8 Et in prædicto casu paupertatis non licet mulieri sumere medicamenta sterilitatis, vt impediatur generatio, seù procreatio liberorum, essetque graue flagitium, vt in *cap. Si aliquis de homicidio*, & peccaret tam Medicus consulens quam Aromatarius talia medicamenta facientes. *Nauarrus cap.16. num. 33.*

Nec etiam licet viro in præfato casu extraordinarias agere pollutiones, nec semen extra vas effundere; peccaret enim mortaliter. *Sotus 4. sentent. distinct. 32. quæst. 1. art. 1. Nauarrus cap. 16. num. 33.*

9 Vterque Coniux non tenetur reddere debitum infrà bimestre, post matrimonium ratum tantum, & non consumatum, vt in *cap. Ex publico de conuers. coniugat.* Nam lex concedit bimestre tempus Coniugibus ad deliberandum, an velint ingredi Religionem, vel velint consumare matrimonium; & negando infrà illud bimestre non peccant, *dicto cap. Ex publicò.*

10 Neque alter Coniux innocens tenetur reddere debitum alteri nocenti, qui commisit adulterium; per adulterium enim amisit ius petendi debitum. *cap. significasti de diuortijs, & cap. vltimo de Adulterijs*; Ità vt liceat innocenti facere diuortium quoad Torum ob fidem fractam.

11 Hoc autem limitatur, vt non procedat, quando ambo adulterium fecerint, quia tunc mutua delicta pari compensatione puniuntur, parique iure censentur, siuè mutua compensatione tolluntur, *vt in dicto cap. significasti, & dicto cap. vltimo de adulterijs.*

12 Sed difficultas est, an si vxor ignorans fuerit adulterij, Maritus possit tuta conscientia ob adulterium occultum à se commissum petere debitum ab vxore; & videbatur quod petere non posset, quia per adulterium ius petendi debitum amittitur, vt suprà diximus. Tamen hoc non obstante contraria opinio verior est, quod scilicet in hoc casu Maritus licitè, & tuta conscientia possit petere debitum, quia habitu amisit ius petendi debitum, non autem actu, hoc est, quod condemnari possit ad non exigendam debiti petitionem, sed quousque non fuerit condemnatus, vel ad notitiam vxoris non deuenerit, in possessione petendi debitum se conseruat, & sic actu potest petere debitum tuta conscientia; Quæ tamen opinio intelligitur cum hac modificatione, vt scilicet rogando, debitum petere possit, sed non vt possit extorquere, & ab inuita vxore exigere. Quando autem ad notitiam vxoris venerit adulterium à viro commissum, etiam occultè & secretò, tunc ipsa vxor Iudex est & pars, & potest iustè, & sine scrupulo debitum negare in foro conscientiæ; nam probatio vi-

tur tantummodo requiri pro faciendo diuortio in foro externo, *ità Couarr. in 2. par. de matrim. cap. 7. §. 2. num. 4. Sotus 4. sentent. distinct. 36. quæst. 1. art. 3. & 4. Caietanus in summula. Syluester verbo debitum, Ronacina de ijs quæ pertinent ad vsum matrimonij q. 4. punct. 5. num. 20.*

13 Sequitur, virum & vxorem esse pares in causa diuortij, *cap. Christiana 32. quæst. 5. Sanchez lib. 10. disput. 3. num. 6. Guttierez de Matrim. cap. 129. num. 2. Bonacina loc. cit. quæst. 4. punct. 5. num. 6.*

14 Prætereà addo, non esse reddendum debitum coniugi petenti in loco sacro; Ratio est, quia circumstantia loci sacri afficit ipsum actum, qui repugnat sanctitati loci sacri, prout pendet tam ex parte petentis, quam ex parte reddentis. *Petrus Ledesma quæst. 64. art. 7.*

15 Quid si vnus Coniux consentiat, vt alter voueat omnimodam continentiam, quoad non petendum, & non reddendum; An is qui vouit teneatur reddere alteri petenti, possitque is vouens alteri remittere licentiam, & concedere ius, vt petat.

Respondetur cum *Philiarcho de officio Sacerdotis tomo 1. parte 2. lib. 3. cap. 4. §. excipitur*, qui ait: tunc fas esse coniugi, qui prædictam facultatem concessit, petere debitum, & ei petenti posse alterum qui uouit, reddere; quando coactè licentiam concessit, vel fuerit adeò ignarus, vt putarit ei adhuc esse reddendum; sed quando Coniux nec coactus nec iuris ignarus, sed sui præiudicij conscius eam facultatem concessit, videtur ipse quoque tacitè vouisse continentiam, vt nec petere possit, nec ipsi petenti sit reddendum, quoniam volens vnum, censetur velle omne id, per quod peruenitur ad illud. *Nauarrus vero in Manuali cap. 12. num. 59.* inquit: peccat, quæ ex consensu mariti emittit votum continentiæ, posteà vero debitum coniugale posceret, secundum omnes.

Idem dicendum è conuerso de marito, qui vouit de vxoris consensu, & posteà coniugale debitum peteret. Similiter peccat coniux si debitum soluit ei, qui de illius consensu votum emisit, secundum *S. Thomam in 4. distinct. 38.* quoniam consentit peccato mortali, quod alter admittit, coniugale debitum exigendo.

Attamen Coniux non peccaret petendo, si quando concessit licentiam, non intenderit renunciare Iuri suo, vel si coactè licentiam concesserit, vel si fuerit iuris ignarus; vt suprà dictum est.

Prætereà ambo peccarent, si ambo votum simplex continentiæ fecerunt, & posteà debitum peterent. *Can. quod Deo 33. q. 1.* At si votum fecerint ad certum tempus, transacto eo tempore pos-

possent petere & reddere. Idem *Nauarrus loco citato*.

Est quoque notandum, quod votum vnius coniugum sine alterius consensu de non soluendo debitum, immò etiam de non petendo, est illicitum. *D. Thomas in 4. lib. senten. distinct. 32. qu. 2. & alij communiter*.

Sotus in 4. senten. distinct. 37. quæst. vnica art. 1. §. secunda Conclusio, inquit: ante contractum matrimonium, tam in voto simplici castitatis, quam Religionis, solus Papa dispensare potest; Post verò matrimonium contractum potest Episcopus dispensare tantum super debiti petitionem. Vel recurritur ad *S. Pænitentiariam*, quæ circa vota simplicia in foro conscientiæ tantum per Constitutionem nuper editam 3. nonas Septembris 1692. ab Innocentio XII. incipien. *Romanus Pontifex* dispensare potest, vt infrà. Ibi.

Vota simplicia quæcunque quomodolibet emissa, tametsi priuato iuramento confirmata, etiam Castitatis, Religionis, visitationis liminum Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli de Vrbe, Sepulchri Dominici, & S. Iacobi de Compostella, possit idem Maior Pænitentiarius in alia pietatis opera commutare, votorum implementum differre, ab illorum transgressionibus absoluere, & cum ijs, qui matrimonium contrahendo, votum Castitatis transgressi sunt, ad licitè debitum coniugale petendum dispensare, & respectiuè commutari, differri, absolui, & dispensari mandare semper in foro Conscientiæ tantum possit, & valeat, consideratis causis commutationum, dilationum, absolutionum, & dispensationum huiusmodi, & adiectis clausulis, quas apponere, ijsque iniunctis, quæ iniungere hactenus Pænitentiaria laudabiliter consueuit.

16 Sequitur, coniugem non debere reddere debitum alteri, qui petit modo indebito quoad situm, nisi adsit iusta causa, ob quam excusetur à petendo tali modo; nam petit illicitè, ob circumstantiam actus; ità *Armilla verbo debitum. num. 6. & alij apud Bonacinam de ijs per pertinent ad vsum matrimonij qu. 4. punct. 3. nu. 10.*

Dixi, nisi adsit iusta causa ob quam excusetur a petendo tali modo, quia potest aliquando adesse causa, vel necessitas propter quam neque sit peccatum veniale, ità petere, vel reddere; Vt quando vir retro accedens cognoscit vxorem, in vase ordinario naturali, eo quod sit periculum fętus, si ordinario situ congrediatur. Idem dicendum, quando vir est nimis pinguis. Idem *Bonacina loco cit. num. 10.*

Non nego tamen, quod sit probabilis sententia *Sanchez, Filiuccij,*

cij, & aliorum dicentium, simpliciter non esse negandum debitum coniugi petenti solum cum peccato veniali; nam inquiunt isti Doctores, quod semper adest iusta causa excusans redditionem, qualis est ne displiceat petenti, & ne oriantur lites, & discordię ad euitanda maiora mala. *Sanchez lib. 9. disput. 6. num. 6. Filiuc. de Sacramento matrimonij par. 1. tractatu 10. cap. 9. de redditione debiti num. 308. & alij Doctores citati ab ipso.*

Bonacina verò loc. cit. num. 9. bene distinguit, aut petit illicitè propter circumstantiam personæ, & debitum erit reddendum; si verò petit cum peccato veniali ob circumstantiam actus, tunc non erit reddendum.

17 Vtrum coniuges teneantur reddere debitum, quando adest scrupulus, vel dubium, vel opinio, vel scientia, seu certitudo de inualiditate matrimonij; de omnibus differendum est.

Scrupulus est assensus ortus ex leuibus coniecturis, & sic vterque coniux potest petere, & reddere; quando post matrimonium bona fide ab vtroque contractum suboritur scrupulus ex leuibus indicijs de validitate matrimonij. Ità habetur *in cap Inquisitioni de sententia excommunicationis*; Ratio est, tum quia Iudex in foro exteriori ità iudicaret per sententiam; Ergo idem iudicandum est in foro conscientiæ; tum quia scrupulus non est sufficiens ratio ad priuandum hominem Iure suo; Immò licitum est operari contrà scrupulos. *Sanchez lib. 2. disp. 41. num. 42. Guttierez de matrimonio cap. 49. num. 22. Coninchus disp. 34. dub. 10. nu. 100. & alij apud Bonacinam loc. cit. punct. 4. num. 2.*

Dubium est, quando intellectus non magis in vnam partem, quam in aliam inclinat, sed pendet in vtramque; & ideò coniux qui bona fide contraxit matrimonium, & posteà dubitat de valore matrimonij, non potest petere debitum, antequam exibuerit debitam diligentiam, ad assequendam veritatem. Hæc propositio patet *ex cap. Dominus §. secundo de secundis nuptijs, & cap. Inquisitioni §. finali de sententia excommunicationis*; Ratio est, tum quia ageret contrà conscientiam petendo debitum ante adhibitam debitam diligentiam, ad cognoscendam rei veritatem; tum quia petendo exponeret se periculo fornicationis; Vnde qui bona fide contraxit matrimonium, & post illud contractum dubitat superstitem esse priorem coniugem, non potest petere debitum antè præmissam debitam diligentiam. Verum tamen est ipsum dubitantem teneri reddere debitum alteri coniugi petenti, qui non dubitat de validitate matrimonij, nam alter habet Ius petendi, & est in possessione; melior enim est conditio possidentis,

tis; Ità *Bonaciua de vsu matrimonij. quæst. 4. punct. 4. num. 3.*

Vtrum verò coniux dubitans de valore matrimonij, bona fide, & absque dubio contracti, possit non solum petere, verum etiam reddere, quando post dubium adhibuit debitam diligentiam ad assequendam veritatem, sed veritas comperta non est.

Resp. Posse non solum reddere, verum etiam petere; Ratio est, tum quia in alijs contractibus, qui bona fide rem penes se inuenit, & posteà incipit dubitare, num res sua sit, vel aliena, iustè potest rem illam retinere, & consumare, eaque vti quando facta sufficienti inquisitione & examine, non inuenit veritatem, sed adhuc dubitat, an res sit sua; melior enim est conditio possidentis bona fide; Ergo etiam coniux dubitans de valore matrimonij bona fide contracti, si premisso sufficienti examine, adhuc perseuerat dubium speculatiuum, potest vti matrimonio petendo, & reddendo; tum quia coniux adhibita sufficienti diligentia laborat ignorantia inuincibili; nam ignorantia inuincibilis est illa, quæ vinci non potest, adhibita sufficienti diligentia, ignorantia autem inuincibilis excusat a peccato. Ità *Sotus de Iustitia art. vltimo quæst. 5. Coninchus, Reginaldus, Rodriquez, Valentia, Filiuccius & alij apud Sanchez lib. 2. disp. 41. num. 46.*

Hinc colligitur, quando vterque coniux post matrimonium bona fide contractum, dubitat de valore matrimonij, antè diligentiam sufficientem adhibitam, neutrum posse petere debitum; sicut neque potest delectari de copula cogitata, aut de tactibus, qui licitè exercentur inter coniugatos; Ratio est quia vterque se exponeret periculo fornicationis, seù actuum ad fornicationem pertinentium; Post diligentem verò inquisitionem, vterque potest delectari, petere, & reddere, etiamsi veritas nondum comperta sit, & dubium speculatiuum perseueret. Ità *Sanchez lib. 9. disp. 44. num. 24. Reginaldus lib. 31. num. 300. & alij.*

Si verò coniux mala fide contraxit, vel vterque mala fide contraxerunt, neuter potest petere, vel reddere; & ratio est, quia incipiens possidere rem aliquam mala fide, non acquisiuit vllum Ius in illa; sed quando alter, vel vterque coniux mala fide contraxit, incepit possidere matrimonium mala fide, ergo nullum Ius in illud acquisiuit, consequenter neuter potest petere, vel reddere, nam petere, & reddere supponit Ius ad petendum, vel reddendum. *Nauarrus cap. 22. num. 54. Sotus distinct. 27. qu. 1. art. 3.*

Opinio est assensus vnius partis, cum formidine alterius. Coniux qui bona fide contraxit matrimonium, & posteà incipit opinari matrimonium inualidum esse, non potest petere debitum;

tum; Ratio est, quia si potest petere, maximè quia est in possessione matrimonij bona fide contracti; Sed ista possessio non suffragatur opinanti, sed dubitanti post debitam diligentiam: Ergo coniux qui bona fide contraxit matrimonium, & posteà incipit opinari matrimonium esse inualidum, non potest petere, adhibita quacunque diligentia, si adhuc perseuerat opinio de inualiditate matrimonij.

Sed difficultas est, vtrum coniux qui opinatur matrimonium esse inualidum, teneatur reddere alteri coniugi bona fide.

Resp. Teneri; ratio est, tum quia nullus potest priuare alterum iure suo, & possessione illi acquisita, cui certò constet rem suam esse; In hoc autem casu coniux, qui habet opinionem de inualiditate matrimonij, priuaret alterum Iure, & possessione sua, non reddendo debitum; tum quia sic habetur *in cap. Inquisitioni num. 44. de sententia excommunicationis Sanchez lib. 2. disput. 44 num. 3. & alij apud Guttierez de matrimonio cap. 49. num. 1. & 31. & cap. 50. num. 4.*

Scientia est cognitio certa, saltem moraliter.

Coniux, qui certò moraliter nouit adesse impedimentum dirimens, non potest petere, nec reddere debitum; ità colligitur *ex cap. Inquisitioni citato, & cap. Dominus de secundis nuptijs*; Ratio est, quia cognoscens carnaliter fœminam alienam peccat mortali peccato, sed qui petit, vel reddit debitum, certò sciens adesse impedimentum dirimens, cognoscit alienam fœminam, quæ non est sua vxor, ergo mortaliter peccat; & hoc verum est siue matrimonium contractum sit bona fide, siue mala, militat enim eadem ratio. *Sanchez lib. 2. disp. 44. Guttierez cap. 50. num. 4. Coninchus disp. 34. dub. 10. num. 96. Filinccius num. 342. & alij communiter.*

15 Quæres, quodnam remedium adhibendum sit, quando constat matrimonium esse inualidum propter impedimentum dirimens, quod non potest manifestari sine infamia, vel sine vitæ periculo.

Resp. Quatuor remedia assignari a *DD. quos citat Rodriquez tom. 2. cap. 92.*

Primum remedium est, vt coniux conscius impedimenti petat dispensationem, quando impedimentum est dispensabile, vel ingrediatur Religionem, quamuis non teneatur ingredi.

Secundum remedium, vt fugiat in locum, vbi cesset scandalum peccati.

Tertium est, vt petat diuortium, si adsit causa illud petendi, qualis causa est sæuitia, adulterium &c.

Quartum est, vt habitet cum coniuge, ac si esset frater, & soror,

ror, modò non sit periculum alicuius carnalis peccati, quod vt plurimum adesse solet. *Rodriquez loc. cit. Henriquez lib. 11. cap. 11. num. 3. Sanchez lib. 9. disp. 37. num. 14. Bonacina de ijs, quæ pertinent ad vsum matrimonij quæst. 4. punct. 4. num. 18.*

19 Quæres, vtrum coniux teneatur credere alteri coniugi dicenti se ficte consensisse in celebratione matrimonij, vel habere aliud impedimentum dirimens.

Resp. Regulariter non teneri credere, quamuis alter hoc asserat cum Iuramento; Ratio est, quia veresimilius est ipsum modò mentiri, quam mentitus fuerat in contractu principali; Nam *in cap. Per tuas de probationibus*; dicitur valdè indignum est, vt quod sua quippe voce dilucidè protestatus est, in eundem casum propriè valeat testimonio infirmare; potest tamen illi credere in illius præiudicium, ne petenti reddat, tunc enim non facit illi iniuriam. Ità *Nauarrus cap. 22. num. 82. Emmanuel Sà verbo debitum num. 7. & alij DD.*

Dixi regulariter, quia fieri potest aliquando, vt adsint aliæ sufficientes circumstantiæ & coniecturæ, quibus teneatur credere, & consequenter non possit petere, nec reddere. Ità *Petrus Ledesma quæst. 47. art. 4. Guttierez loc. cit. num. 37. Nauarrus loc. cit.*

20 Quæres vltimò; vtrum coniux teneatur credere adesse impedimentum dirimens, & abstinere a matrimonio contracto, quando audiuit huiusmodi impedimentum adesse non ab altero coniuge, sed ab alio viro fide digno, vel ab amico cum Iuramento attestante.

Resp.; Non teneri credere, si vnus tantum attestetur; ratio est, quia licet dictum vnius fide digni, sufficiat, vt iustè credere possit, tamen vni tantum necessariò non creditur, sed duobus fide dignis credendum est. *cap. Cum à nobis de Testibus & attestat.* Verum tamen est, coniugem, qui hoc audiuit a viro fide digno teneri abstineri a matrimonio contrahendo, si nondum contraxit, ne se exponat periculo fornicationis, & inualidè contrahendi. Si verò iam contraxit, tenetur dubitare de validitate matrimonij, consequenter non potest petere, donec adhibuerit debitam diligentiam, iuxtà supradicta. Si non audiuit a viro fide digno, potest petere, quia dictum viri, qui non est fide dignus, non exhibet sufficientem rationem dubitandi. Ità *Emmanuel Sà nu. 7. Nauarrus cap. 22. num. 82. Guttierez cap. 49. num. 23. 32. & 33. & alij apud Sanchez lib. 2. disp. 46. quæst. 3. à num. 25. vbi latè de his disserit Bonacina de ijs, quæ pertinent ad vsum matrimonij qu. 4. punct. 4. num. 20.*

PARS

PARS XIII.

De causis propter quas licitum est, non solum negare debitum, verum etiam faciendi diuortium, quoad habitationem; & quoad Torum, & habitationem, non in perpetuum, sed ad tempus, quamdiù ipsæ causæ durant.

QVÆSTIO XXXI.

SVMMARIVM.

1 *Quid, & quotuplex sit diuortium.*
2 *Adulterium est causa sufficiens faciendi diuortium perpetuum, quoad Torum, & habitationem tam in fœmina, quam in viro.*
3 *An sodomia actiua, vel passiua, vel bestialitas sit causa sufficiens diuortij tam in fœmina, quam in viro.*
4 *An Vxor sollicitata à marito ad sodomiæ peccatum, possit discedere ad tempus, propter periculum animæ, donec vir resipiscat.*
5 *Vtrum in foro externo credendum sit mulieri asserenti se a viro tentatam fuisse de nefando vitio.*
6 *Pollutio extraordinaria cum alia, vel secum tantum, an sit causa sufficiens diuortij, vel de concubitu viri cum fœmina mortua, aut cum bestia mortua.*
7 *An vir, & vxor sint pares in causa diuortij.*
8 *Quæ notitia adulterij requiratur ad faciendum diuortium.*
9 *Vtrum coniux innocens possit propria auctoritate facere diuortium ab adultero, siuè delictum sit publicum, siue occultum.*
10 *Vtrum coniux innocens, qui propria auctoritate fecit diuortium, teneatur reddere debitum, & habitare cum adultera, quando per excommunicationem, vel præceptum à Iudice cogitur reddere, & habitare cum vxore, eo quod delictum sit secretum.*

11 *An*

11 *An Maritus innocens teneatur aliquando facere diuortium cum vxore adultera, quando per diuortium sperat emendationem, & fructum.*
12 *Quid dicendum sit in supradicto casu de vxore cuius vir adulteratur.*
13 *Enumerantur aliqui casus, in quibus non licet facere diuortium, ob coniugis adulterium.*
14 *Vtrum coniux innocens possit, facto diuortio, cogere adulterum, vt ad se redeat.*
15 *Quid sit dicendum, quando status alterutrius sit mutatus per professionem in religione, vel per susceptionem sacrorum Ordinum.*
16 *Quid dicendum sit, quando diuortium non est absolutum, & perfectum, exempli gratia adest spes, vt coniux furens, vel sæuus ad pristinum redeat statum.*
17 *Si innocens facto diuortio ingrediatur Religionem, vel suscipiat sacros Ordines; Adulter manens in sæculo non tenetur emittere votum Castitatis, aut ingredi Religionem.*
18 *Differentia inter incestuosum & adulterum quod coniux innocens potest concedere debitum adultero, non autem incestuoso.*
19 *Enumerantur aliqui casus in quibus licet facere diuortium, quoad Torum, & habitationem, sed ad tempus.*
20 *Quem nam sequantur filij facto diuortio.*
21 *Vtrum matrimonium sit aliquo casu separabile.*
22 *Vtrum matrimonio consumato, liceat Religionem ingredi.*
23 *Vinculum per coniugis mortem semel dissolutum, an coniuge resurgente redeat*
24 *Vtrum vir teneatur facto diuortio alere vxorem, aut filios, aut saltem possit denegare in foro conscientiæ alimenta vxori adulteræ occultæ.*

1 DIuortium significat legitimam Viri & Vxoris separationem, & tripliciter accipi potest.

Primò pro dissolutione matrimonij quoad Torum, idest quoad carnalem copulam: Neque hìc loquimur de diuortio quoad Torum tantum, nam ex dictis in præcedentibus constat.

Secundo pro dissolutione matrimonij quoad vinculum, ità vt omninò dissoluatur, ac si nullum esset: Neque hic loquimur de diuortio quoad vinculum, nam ex supradictis patet matrimonium esse indissolubile: quod Deus coniunxit homo non separet. *Matthæi* 19. Neque Ecclesia illud soluere potest, sed aliquando declarat illud irritum, & nullum, quando est contractum cum impedimentis dirimentibus. Vt tradit *Sanchez lib.* 10. *disp.* 2. *nu.* 2. *Farinacius tom.* 4. *quæst.* 143. §. *Separatio num.* 33. Quamuis ma-

trimonium ratum dissoluatur per professionem in Religione approbata a Sede Apostolica; Ratio est, tum quia coniuges nondum effecti sunt vna caro, tum quia Religio est matrimonium spirituale, & perfectius, & Deo gratiùs. *Conc. Trid. Can. 6. & 10. de matrimonij Sacramento*. Quoad vinculum pauca notabilia in calce huius tituli proponam. Loquimur ergo de diuortio quoad Torum, & habitationem perpetuò, vel ad tempus.

2 Quamuis adulterium non sit causa sufficiens faciendi diuortium quoad vinculum, vt dictum est de indissolubilitate matrimonij; Nihilominus est causa sufficiens diuortij perpetui, quoad Torum, & habitationem tam in fęmina, quam in viro. Sic habetur *in cap. Gaudemus, & cap. literis de diuortijs, & Matthæi* 19. vbi dicitur: quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur. Ratio est, quia coniuges ex natura contractus matrimonij, tenentur sibi seruare fidem, quoad torum & habitationem, ergo si vnus eorum non seruet fidem adulterando, nec alter innocens tenetur eam seruare; nam frangenti fidem, fides seruanda non est, scilicet quo ad torum, & habitationem. *l. si cum veneris ff. pro socio, & cap. Peruenit il 2. de iureiurando. Bonacina de ijs, quæ pertinent ad vsum matrimonij qu. 4. punct. 5. num. 2.*

3 Sequitur, sodomiam actiuam & passiuam, & bestialitatem esse causam sufficientem diuortij tam in fęmina, quam in Viro, iuxtà probabiliorem sententiam; nam per sodomiam, & bestialitatem diuiditur caro coniugis cum carne bestiæ, vel alterius, modò hoc peccatum committatur cum alio, quam cum propria coniuge. *Bonacina loco citato*. Nam quando committitur cum propria coniuge, non est causa sufficiens diuortij perpetui, quia caro coniugum non diuiditur, nisi per copulam cum alia habitam. Ità *Sanchez lib. 10. disp. 4. num. 8. Filiutcius tract. 10. cap. 10. quæst. 3. qui alios citat.*

4 Verum tamen est, Vxorem posse quando sollicitatur a marito ad sodomiæ peccatum discedere ad tempus, propter periculum animæ, donec Vir resipiscat, eamque nolit amplius ad huiusmodi peccatum prouocare, non tamen habet causam sufficientem faciendi diuortium perpetuum. *DD. infrà citandi*.

5 Vtrum verò in foro externo credendum sit mulieri asserenti se a Viro tentatam fuisse de nefando vitio; dissentio est inter DD. Probabilior tamen est sententia negatiua, tum ne detur occasio fœminis accusandi viros, & impediendi vitam coniugalem; tum quia nullus est idoneus testis in propria causa. *l. Nullus ff. de testi-*

testibus. Et ità decisum fuit in Rota Romana apud *Farinacium decis.* 178. *teste etiam Riccio tom.*1. *Praxis matrimonialis Resolutione* 220. Hæc tamen sententia intelligitur, modò præter fœminæ assertionem, non extent alia indicia, quibus Iudex inducatur ad credendum assertioni mulieris, tunc enim non creditur mulieri præcisè. *Riccius loco citato*.

6 Dico, pollutionem extraordinariam cum alia, vel secum tantum, non esse causam sufficientem diuortij, quia caro propriè non diuiditur. Ità *Petrus Ledesma quæst.* 62. *art.* 1. *dub.* 4.

Idem dicendum est de concubitu Viri cum fœmina mortua, aut cum bestia mortua, nam iste concubitus similis est illi, qui cum statua habetur, quem constat non esse sufficientem ad dissoluendum matrimonium; nam exercens huiusmodi actus, non propriè vnitur alteri, nec diuidit carnem suam cum tertia persona. *Bonacina loc. cit.*

7 Sequitur, Virum & Vxorem esse pares in causa diuortij. *cap. Christiana* 32. *quæst.* 5. *Sanchez, Filiuccius, Guttierez locis suprà citatis, & alij communiter*.

8 Quæres primò, quæ notitia adulterij requiratur ad faciendum diuortium.

Resp. Requiri, vt coniux volens facere diuortium ob alterius adulterium, certus sit moraliter de adulterio; nam possessio stat pro altero, & nemo in dubio priuandus est sua possessione.

Dixi, certus moraliter, scilicet qui non habet leuem suspicionem, sed maximè fundatam, qualis in foro externo sufficeret ad conuincendum alterum de adulterio; Vt accidit quando ipsa adultera confitetur proprium adulterium, vel quando inuenta est nuda cum nudo, vel sola cum solo in lecto. *cap. literis de præsump.* non autem sufficiunt verba amatoria, aut lena missa vxori ab adultero, nisi adsint aliæ circumstantiæ loci, temporis, vel personarum. *Bonac. loc. cit.*

Addo, ad faciendum in foro conscientiæ diuortium, non requiri, vt adulterium probetur, nam probatio videtur tantummodo requiri pro faciendo diuortio in foro externo. ità *Sanchez lib.*10. *disp.* 12. *a num.* 40. *Emmanuel Sà verbo diuortium num.* 3. *Petrus Ledèsma quæst.* 62. *art.* 3. *Farinaccius tom.*4. *q.* 143. *§. Separatio nu.*10. *Guttierez cap.* 129. *num.*4. *&* 12.

9 Quæres secundò, vtrum coniux innocens possit propria auctoritate facere diuortium ab adultero, siuè delictum sit publicum, siue occultum.

Resp. Posse, secluso scandalo. *cap. Dixit Dominus* 32. *quæst.* 1.

Ratio est, quia Iure naturali frangenti fidem, fides seruanda non est; sed posse propria auctoritate facere diuortium, negando debitum, vel in longinqua recedere, quamuis in foro externo cogendus sit redire, donec constet de adulterio. ità *T. Ledesma loc. cit. art. 3. Sotus distinct. 36. quæst. vnica art. 2. cap. 3. Nauarrus cap. 22. num. 23. Sanchez lib. 10. disp. 12. num. 31.*

10 Vtrum coniux innocens, qui propria auctoritate fecit diuortium, teneatur reddere debitum, & habitare cum adultero, quando per excommunicationem, vel præceptum, a Iudice cogitur reddere, & habitare cum vxore, eo quod delictum sit secretum.

Resp. Iuxtà probabiliorem sententiam, ex natura rei non teneri, quia præceptum superioris non obligat in conscientia, quando procedit ex falsa præsumptione. Ità *Sanchez loc. cit. num. 34. Sotus in 4. distinct. 36. quæst. vnica art. 4.*

Dixi ex natura rei non teneri; quia ratione scandali vitandi, quod indè sequeretur non obediendo, teneretur obedire Superiori, recipiendo Vxorem, & cum ea habitando. *DD. citati.*

11 Quæres tertiò, vtrum maritus innocens teneatur aliquando facere diuortium cum Vxore adultera.

Resp. Aliquando teneri sub mortali, quando per diuortium sperat emendationem; & fructum. *cap. Si vir de adulterijs*, Vir enim est caput mulieris, illamque cohibere, & retrahere debet a peccato; Si verò non sperat emendationem, non tenetur facere diuortium, sicut neque tenetur quando timet maiora incommoda sequutura occasione diuortij, vt si periculum adest vt ipsa liberius vacet libidini, vel vt sequantur rixæ & cædes inter ipsum, & parentes vxoris, vel sibi timeat lapsum incontinentiæ, tunc enim non tenetur facere diuortium, eo quod non teneatur cum tanto incommodo corrigere delinquentem, non existentem in extrema necessitate salutis spiritualis, vt patet in simili de correctione. Tunc tamen tenetur facere diuortium, quando imminet scandalum, vt ipse existimetur conscius, & fautor delicti, nec aliàs possit occurrere scandalo, quam per diuortium; Si verò maritus posset alia ratione occurrere scandalo, non teneretur facere diuortium, potest autem occurrere scandalo, manifestando sibi adulterium displicere, reprehendendo vxorem, verberando, &c. Ità *Syluester verbo debitum num. 15. Toletus lib. 2. cap. 20. Nauarrus cap. 16. num. 28. Coninchus disput. 35. dub. 3. Reginaldus lib. 31. num. 329. Guttierez cap. 129. num. 15. Sanchez lib. 10. disp. 13. num. 10. Bonacina de ijs, quæ pertinent ad vsum matrimonij quæst. 4. punct. 5. num. 13.*

12 Quid

12 Quid dicendum sit de vxore cuius Vir adulteratur; Quamuis ipsa non teneatur ex officio corrigere Virum, cum ipsa non sit eius caput, nihilominus tenetur præcepto correctionis, sicut cæteri, quando adest spes emendationis, & fructus; Præterea tenetur præcauere scandalum; quamuis rarò censeatur causa scandali eo quod communiter credatur Vxori displicere adulterium Viri. Idem *Nauarrus cap. 16. num. 28.*

Addo, vxorem rarò teneri denegare debitum viro adultero, vt ipsum corrigat, nam denegatio debiti, vt plurimum erit occasio maioris mali: *ità Emmanuel Sà loc. cit. num. 6. Petrus Ledesma, Sanchez Filiuccius & alij DD. loc. cit.*

13 Quæres quartò, vtrum dentur aliqui casus, in quibus non liceat facere diuortium ob coniugis adulterium. Hic loquimur de diuortio, infrà enim dicemus, quando coniux potest negare alteri debitum, *in parte 14. quæst. 33.*

Resp. plures dari casus. Primus est *in cap. fin. de Adulterijs*, quando vterque coniux commisit adulterium; Ratio est, quia paria delicta mutua compensatione abolentur, non tamen refert vtrum vnus commiserit adulterium propriè & alter sodomiam, vel bestialitalem, modò certò constet de adulterio, & delicto; nec refert vtrum vnus deliquerit anteà, vel post; vel vtrum vnus sæpiùs adulteratus sit & alter tantum semel, vel vtrum delictum sit publicum, vel occultum; nam in foro conscientiæ non requiritur probatio, sed sufficit, vt caro coniugum diuisa sit. *Sanchez lib. 10. disput. 6. & alij communiter.*

Secundus est, quando vir dedit vxori causam proximam adulterandi, vt quando expressè, vel tacitè concessit vxori facultatem adulterandi, aut quando conscius adulterij vxoris, nō vult prohibere, cum possit absque suo graui detrimento.

Dixi, quando vir dedit causam proximam vxori adulterandi, quia quando vir fuit tantummodo causa remota, & occasio adulterij vxoris, potest ab ea facere diuortium. (vt accidit quando vxor adulteratur, eo quod vir iratus eam expulerit domo, aut necessaria alimenta denegauerit, aut debitum negauerit.) *Ità Petrus Ledesma quæst. 62. art. 1. Sanchez lib. 10. disput. 5. num. 7. Coninchus disput. 35. num. 7. Henriquez, Reginaldus, Filiuccius, Guttierez, Emmanuel Sà citati à Bonacina de ijs, quæ pertinent ad vsum matrimonij quæst. 4. punct. 5. num. 14.* Tamen in his tribus, quæ continentur in proxima antecedenti Parenthesi, alij aliter sentiunt apud *Sachez loc. cit.* inquiunt enim, esse causam proximam, & præsertim de debiti denegatione à marito, *Diuus verò Chriso-*

sto-

stomus in Can. si tu abstines 37. quæst. 2. ait. Si tu abstines sine vxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tuæ imputabitur abstinentiæ.

Tertius casus est, quando vxor commisit adulterium tantum materialiter, credens illum, cum quo commisit adulterium esse proprium virum, aut credens mortuum esse priorem virum. & nupsit. *Sanchez lib. 10. disput. 5. sicut enim ignorantia excusat à culpa, ità & à pœna, cap. Ità ne, & cap. Proposito 32. quæst. 5. Guttierez, Filiuccius citati à Bonacina loco proximè citato.*

Quartus est, quando vxor carnaliter cognita est per violentiam, dico per violentiam, quia si cognita fuit per metum grauem, grauis controuersia fit inter DD. Vtrum vir possit ab ea facere diuortium, *vide Sanchez lib. 10. disp. 5. num. 10. & 16. & alios ab ipso citatos, vide etiam in dic. cap. Proposito 32. quæst. 5.*

Quintus est, quando Coniux innocens condonauit alteri adulterium expresse per verba, aut tacitè per signa, vt quando vir probabiliter sciens vxorem commisisse adulterium, adhuc illi spontè debitum reddit, vel petit, vel illam adhuc retinet, vel illam recipit, cum anteà dimisisset; nam per illam condonationem cedit iuri suo, quamdiù alter coniux reconciliatus non relabitur denuò in adulterium, eo verò relabente reuiuiscit Ius diuortij, *vt benè ait Sanchez loc. cit. disp. 5. nu. 19. Coninchus disp. 34. dubio 2. num. 11. & alij ab ipsis citati.*

14 Vtrum Coniux innocens possit facto diuortio cogere adulterum, vt ad se redeat.

Resp. Affirmatiuè; & ratio est, quia sententia diuortij facta est in pœnam adulteri, & in fauorem innocentis; ergo coniux innocens potest alterum reuocare facto diuortio propter adulterium, & adulter tenetur ad illum redire, alioquin sententia diuortij vergeret in pœnam innocentis; Hoc autem intelligitur modò status alterutrius, non sit mutatus, per professionem in Religione, vel per susceptionem sacrorum ordinum; cum enim status assumptus immutabilis sit, coniux non haberet amplius ius reuocandi. *DD. citandi.*

15 Hinc patet Coniugem adulterum, vel innocentem posse post sententiam diuortij suscipere sacros ordines, vel profiteri in Religione, manente altero coniuge in sæculo, vt patet ex *cap. Agatosa 27. quæst. 2. & cap. Constitutus de conuers. coniug. & Glossa in dicto cap. Agatosa & Sanchez infrà citandus.*

Caueat tamen innocens, ne ordines sacros suscipiat, aut Relígio-

gionem ingrediatur, quando delictum alterius est occultum, fieri enim potest, vt non probatò delictò, restituatur vxori adulteræ, & sequeretur scandalum. *DD. modò citandi*.

16 Addo cum *DD. infrà citandis*, transitum ad Religionem, vel Ordines licitum esse, non solum ob diuortium factum ob adulterium, verum etiam ob diuortium factum ob sæuitiam, tunc enim coniux sanæ mentis potest ordines suscipere, vel professionem emittere, cum militet eadem ratio, ac in diuortio ob adulterium, vel hæresim; Modò tamen diuortium sit absolutum, & perfectum, scilicet parte citata, & Iudicis auctoritate, nec adsit spes, vt coniux furens, vel sæuus ad pristinum redeat statum, par enim non est, vt alter coniux ob temporale impedimentum priuetur simpliciter iure matrimonij, nisi Summus Pontifex iusta de causa aliter decernat. *Sanchez lib. 10. disput. 18. num. 47. & 48. & sequent. Nauarrus Consil. 5. de diuortijs, Filiuccius tract. 10. cap. 10. quæst. 14. num. 107. Henriquez in summa lib. 12. cap. 5. num. 10.*

17 Insuper addo, quod si innocens facto diuortio ingrediatur Religionem, vel suscipiat Ordines Sacros, tunc adulter manens in sæculo, non tenetur emittere votum castitatis, aut ingredi Religionem, *ità DD. citati*. Sed non potest iterum celebrare matrimonium cum alio, viuente coniuge, nam matrimonium non est adhuc solutum quoad vinculum, *vide clariùs supra in titulo de Impedimento voti num. 16.*

18 Est differentia inter incestuosum & adulterum; Coniux enim innocens potest gratiam reconciliationis concedere adultero ad petendum debitum, vt dixi *cap. si vir de adulterijs*, quamuis non teneatur illum reuocare, *cap. admonere 33. quæst. 2.* Non tamen potest concedere licentiam incestuoso, qui copulam habuit cum consanguinea ipsius coniugis innocentis. *DD. citati. Vide clariùs suprà.*

19 Multæ sunt causæ sufficientes ad faciendum diuortium non perpetuum quad torum, & habitationem, quamdiù ipsæ causæ durant, scilicet ad tempus.

Prima causa est sæuitia viri, seù periculũ grauis damni, seù malè tractationis, nisi ab ipso sufficiens cautio exibeatur de non offendenda Coniuge, vt patet ex *cap. literas de restitut spoliat. Filuccius tract. 10. cap. 10. quæst. 13. num. 402. Riccius verbo praxis matrimonialis parte prima resolut. 219.*

Addo cum *Sanchez lib. 10. disp. 18. num. 19.* non solum sæuitiam præteritam præbere iustam causam diuertendi, sed etiam timorem futuræ sæuitiæ, & malæ tractationis. Hæc sæuitia præsumi

potest

potest, quamdiù vir retinet concubinam domi, vel etiam extrà domum, consequenter vxor potest recedere donec vir dederit sufficientem cautionem pignoratitiam, vel fideiussoriam, vel saltem iuratoriam; (quamuis Riccius contrarium teneat de iuratoria, & asserit ità fuisse decisum) expellendi concubinam, illamque non recipiendi in futurum; nam retentio concubinæ est causa seuitiæ, & multarum molestiarum inter Coniuges. Præterea qualis cautio præstanda sit a viro, vt vxor cogi possit ad habitandum cum eo, *vide dictum Ioannem Aloysium Riccium decisione 68. in secunda parte*.

Secunda causa est furor alterius Coniugis, quando furor est ità vehemens, vt alter Coniux periculum subeat cohabitando.

Tertia, quando vnus coniugum tentauit alterum occidere, vt ostendit *Sanchez disput. 18. num. 22. lib. 10. Couarr. 4. decret. par. 2. cap. 7. §. 6. Riccius dicta decis. 68. & alij communiter*.

Quarta, quando alter Coniux instigat alterum ad peccatum, & præmissa correctione non desistit ab instigando, in quo casu coniux instigatus timens sibi lapsum, potest recedere, quia non tenetur cum altero coniuge permanere cum tanto periculo animæ. *Nauarrus cap. 22. num. 22.*

Quinta est, quando delictum vnius coniugis potest esse alteri causa grauis damni, vt quando vxor est venefica, interficiens filios, aut quando timetur ne interficiat virum.

Sexta causa est, lapsus vnius in infidelitatem, vel heresim; lapsus enim in hæresim, vel infidelitatem est quædam fornicatio spiritualis, ob quam licitum est facere diuortium, sicut est licitum ob fornicationem carnalem. *cap. Idololatria, & cap. Quanto de diuortijs*, & ius naturale confert ius vitandi proprium animæ periculum. *Nauarrus cap. 22. num. 22. Coninchus disput. 35. num. 24.*

Septima causa potest este votum communi consensu emissum, in quo casu possunt coniuges separari quoad Torum, si remiserint sibi obligationem reddendi debitum; Immò possunt ambo Religionem ingredi, & in ea profiteri, vt suprà diximus. *Syluester verbo diuortium, Sanchez lib. 10. disp. 21. num. 10. Bonacina de ijs, quæ pertinent ad vsum matrimonij quæst. 4. punct. 5. num. 25 in fine.*

20 Quem nam sequantur filij facto diuortio.

Si attendamus Ius Authenticorum, quando culpa alterius coniugum diuortium factum est, apud innocentem est educanda proles, *habetur expressè authent. vt liceat Matri, & Auæ, §. illud Collat. 8. vndè desumitur Authen. Si Pater, C. diuortio facto. Sanchez lib. 10. disput. vltima per totam.*

21 Pro

Pro maiori intelligentia quoad vinculum Matrimonij.

21 Quæritur vtrum matrimonium sit aliquo casu separabile.

Resp. Loquendo de vero matrimonio, dico quod est duplex vnum scilicet Ratum, ideſt legitimè contractum per verba de præsenti; Aliud ratum simul,& consumatum per copulam carnalem, etiam legitimè contractum.

Separatio enim matrimonij est duplex, vna quoad vinculum; quæ est, quando vterque, vel alter coniugum potest cum alio de nouo cotrahere.

Alia quoad conuersationem coniugalem, vinculo stante; quæ est duplex, scilicet quoad torum, & quoad habitationem.

Igitur quantum ad vinculum; Matrimonium ratum, dupliciter solui potest. Et primò per mortem naturalem alterius, vel vtriusque Coniugum. Secundò per mortem ciuilem, ideſt professionem tacitam, vel expressam Religionis approbatæ, ità quod remanens in sæculo potest liberè cum alia contrahere, nisi impediatur ex aliquo voto.

Matrimonium verò consumatum solui potest morte naturali, non autem ciuili, neque quocunque alio modo; vt in *cap. Gaudemus de diuortijs*, nec etiam auctoritatæ Papæ, vt in *cap. Ex publico de conuers. coniug. Syluester verbo diuortium num. 2.*

Quod tamen fallit, si illud esset inter coniuges infideles, scilicet si nolit infidelis cohabitare fideli conuerso, vel si velit cohabitare, sed non sine iniuria Creatoris, vel si trahere nitatur ad infidelitatem, tunc solueretur vinculum matrimonij, & Coniux fidelis posset contrahere cum alia; tamen si ante contractum aliud matrimonium Coniux infidelis vellet cohabitare cum fideli sine contumelia Creatoris, teneretur illum recipere; tanto magis si conuertatur reliquus coniux, *iuxtà D. Thom. relatum à Syluestro verbo Matrimonium* 8. *num.* 10. Ratio est quia fides non soluit, sed perficit matrimonium.

22 Vtrum Matrimonio consumato, liceat Religionem ingredi.

Resp. Licet ex communi consensu vtroque intrante, & profitente, quo casu soluitur matrimonium quoad Torum, & habitationem, sed non quod vinculum; vnde si vnus egrediatur a Religione, scilicet post professionem, non propter hoc potest alter exire, sed compelli debet ad reditum; Nec si vnus alium visitans exigit debitum, alter reddere debet. *Idem Syluester verbo diuortium num.* 16.

23 Vinculum per coniugis mortem semel dissolutum, an coniuge resurgente redeat.

Resp. Negatiuè;Ratio, quia mors omnia soluit; *Authen. de nuptijs, §. deinceps*. Obligatio enim semel extincta amplius non reuiuiscit; tum quia hoc Sacramentum non imprimit characterem, vnde si Lazarus resuscitatus habuisset vxorem, non recuperasset eam, nisi nouiter contraxisset.

Idem est in spirituali matrimonio, nam Religiosus resuscitatus, post mortem non tenetur ad religionis obseruantiam; quia seruitus personalis, quæ debetur à persona ratione personæ, vt in matrimonio & religione, extinguitur morte, quod patet ex verbis aliquorum profitentium obedientiam vsque ad mortem.

Similiter Curatus & Episcopus resuscitatus, quamuis retineat consecrationem siuè characterem, non retinet tamen Ecclesiam, nisi sibi noua electione, aut prouisione conferatur, quia mortuus est suæ sponsæ, idest Ecclesiæ. *Sylnester verbo diuortium num.* 5.

24 Vtrum verò vir teneatur facto diuortio alere vxorem, aut filios, aut saltem possit denegare in foro conscientiæ alimenta vxori adulteræ occultæ.

Vide *Sanchez lib.* 10. *disput.* 8. *num.* 25. *Surdum de alimentis titulo primo quæst.* 118. *Menochium Consil.* 853. *Riccium decis.* 35. Et ne lector remaneat anceps de hoc dubio, *Iulius Clarus lib.* 5. *receptarum*, §. *Adulterium vers. facta autem*, & *Anton. Gab. tomo primo Commen. Opin.* asserunt virum teneri alimenta præstare vxori adulteræ, etiam facta Tori separatione, quia non desinit esse vxor.

Alij vero permulti sentiunt vxorem expulsam a viro ob adulterium non notorium alendam esse a viro; secus ob adulterium notorium; Vndè in priori casu, probato posteà adulterio dicunt priuandam vxorem alimentis futuris per sententiam; quia ob adulterium non notorium minimè priuatur vxor iure, quod habet in virum, nec alimentis, nisi sequuta sententia. *Surdus de alimentis loc.cit. titulo* 7. *quæst.* 16. & 17. eamque reddit rationem, quia ob adulterium notorium vir potest vxorem domo expellere. *Ioan. Lupus cap. Per vestras*, §. 39. *num.* 5. *de donat.*

Mul-

Multis modis peccare possunt Coniuges in Contractu Matrimonij.

QVÆSTIO XXXII.

SVMMARIVM.

1 *Declarantur modi in quibus in contractu matrimonij Coniuges peccare possunt.*

2 *An contrahentes peccent habentes pro fine contrahendi matrimonium tantum delectandi carnali copula, acquirendi Diuitias, honores &c. Et quid si ista essent motiua tantum, & non finis.*

3 *Et per alias causas vt infrà.*

1 PRimò defectu consensus, quando scilicet interiùs non consentiunt, in quo casu matrimonium est inualidum, quamuis in foro externo præsumatur validum, vt patet ex suprà dictis.

Secundò ex parte alicuius impedimenti dirimentis, vt diximus suprà;

Tertiò defectu absentiæ Parochi, & testium, vt dictum est.

Quartò defectu ætatis, vel temporis.

Quintò defectu denunciationum, de quibus etiam suprà egimus.

Sextò ex parte finis quando Contrahentes in contractu matrimonij sibi proponunt malum finem, nam peccant iuxtà grauitatem, vel leuitatem finis propositi, vt supra dixi. *Nauarrus cap.22. num.79.*

2 Aduerte contrahentes posse contrahere ob vnum ex his tribus finibus.

Vnus est ipsemet finis matrimonij, scilicet Prolis; remedium concupscentiæ, & mutua obsequia, qui per hos fines contrahit, benè facit, & meretur.

Alter est finis malus, quando quis contrahit, vt abutatur vxore, vt furetur, vt occidat, vel simile, quidquid id faciat mortaliter peccat. *Toletus in summa de matrimonio*, scilicet de peccatis, quæ in ipso matrimonio committi possunt.

Tertius finis est cum sumitur pro fine aliquo; qui licitus est contrahenti, tamen non est finis matrimonij; verbi gratia, qui contrahit habet finem delectandi copula carnali, acquirendi diuitias, honores &c. Isti non sunt veri fines matrimonij, tales contrahentes hoc modo, solum venialiter peccarent. *Caietanus verbo matrimonium in summa.*

Adde si aliquando ista essent motiua tantum, & non finis, mouet enim pulchritudo fœminę aliquem, vt contrahat; sicut Iacob motus fuit a Rachel; similiter mouet ob delectationem futuram, tunc si ista, & similia essent tantum motiua, & non finis; nullum esset peccatum. *Toletus loc. cit. Nauarrus loc. cit. cap. 22. num. 79.*

3 Item rationę alicuius peccati mortalis, nondum deleti per Confessionem, vel per contritionem; nam recipiens Sacramentum indignè, peccat mortaliter; Sed qui contrahit matrimonium cum peccato mortali, nondum deleto per confessionem, vel contritionem, indignè recipit Sacramentum, ergo peccat mortaliter. *ita Sanchez, Rodriquez, & alij communiter apud Guttierez cap. 83. num. 13.*

Tandem ob omissas Benedictiones; Coniuges enim post contractum matrimonium debent benedici tempore debito, quamuis non peccent mortaliter consumando matrimonium antè benedictionem, & qui benedictionem omittit sine contemptu, non peccat mortaliter, nam benedictiones sunt tantummodo Sacramentalia, quæ non videntur tanti momenti, quanti sunt ea quæ baptizato præmittuntur, vt suprà latè diximus, licèt illarum susceptio à Iure præscribatur. *cap. Nostrates, & cap. Sponsus 3. quæst. 5. Bonacina de ijs, quæ pertinent ad vsum matrimonij quest. 4. punct. 6. num. 1. in fine, & num. 2. Sanchez lib. 7. disp. 82. num. 6. & alij ab ipso citati.*



PARS

PARS XIV.

Multis modis Goniuges peccare poßunt iu vsu Matrimonij.

QVÆSTIO XXXIII.

SVMMARIVM.

1 *An Coniuges peccent mortaliter habendo copulam in Vase non debito, ac etiam effundendo voluntariè semen extrà vas naturale.*

2 *Vtrum peccent Coniuges non seruando modum in copula.*

3 *Quid dicendum, quando vir accedit vxori, tanqnam non ad suam, hoc est cum cogitatione alterius personæ. Et an sit exprimenda in confessione circumstantia status personæ.*

4 *Num Coniuges debeant sibi constituere finem honestum, E.G. Procreationem filiorum, vel fugam incontinentiæ, alioquin peccent, ob rationem mali finis, quem sibi constituunt.*

5 *An accedendo ad grauidam, quando adest notabile periculum abortus, sit peccatum lethale, & quid dicendum secluso abortus periculo.*

6 *Vtrum accedens ad vxorem tempore menstrui naturalis peccet, & quid dicendum quando menstruum est continuum.*

7 *Rogabis vtrum vxor teneatur reddere debitum viro petenti tempore menstrui.*

8 *Est de iustitia vtrumque coniugem posse petere, & reddere copulam, & nulla causa rationabili existente, mortaliter peccant.*

9 *Enumerantur casus, in quibus vnus potest negare alteri, etiam petenti debitum, de quibus communiter DD.*

10 *Obserua, quod sunt multi casus, in quibus vir tenetur reddere debitum vxori, etiam postquam commisit adulterium, dummodò non perseueret in illo.*

11 *Enumerantur casus.*

12 *Vtrum necesse sit Coniuges in actu matrimoniali simul seminare.*

13 *Vtrum maritalis copula licita sit seni, qui dum congreditur cum sua vxore, fundit semen extrà vas, nec potest seminare intra vas fæmineum.*

14 *Vtrum licita sit copuia vxori, quæ post coitum non potest semen retinere intrà vas.*

15 *Quem*

15 *Quam malitiæ speciem habeat pollutio inter coniuges extrà vas debitum.*

16 *An peccent illi, qui dimittunt vxores suas, & vagantur per alienas prouincias.*

17 *Vtrum Coniuges teneantur simul cohabitare.*

18 *An vxor teneatur sequi virum, quando nullum extat pactum in contrarium.*

19 *Vtrum vir qui cum vxore fecit conuentionem, non trasferendi aliò suam habitationem, possit eam alio tranferri.*

20 *Vtrum vxor teneatur sequi virum, si vir tempore contracti matrimonij solebat vagari.*

21 *Vtrum vir debeat sequi vxorem aliò transferentem domicilium.*

22 *Vtrum Maritus possit abstinere à cohabitatione vxoris, propter dotem sibi promissam, sed non solutam.*

23 *An liceat Coniugibus habere copulam in loco sacro, & an sit sacrilegium.*

24 *An committatur sacrilegium, quando ibi coniugalis copula occultè habetur ex legitima necessitate, vel ex nocturna pollutione, vel de sanguinis effusione facta ad sui defensionem.*

25 *Quid nomine loci sacri intelligatur.*

Multis alijs modis etiam peccare possunt Coniuges in vsu matrimonij iam contracti, vt patet ex his duobus versibus, in quibus exprimitur quid seruandum sit in vsu matrimonij, vt actus matrimonialis licitus sit & meritorius.

Sit modus, & finis, sine damno, solue, cohære:
Sit locus, & tempus, tactus, nec spernito votum.

1 CIrcà particulam sit modus. Circà modum peccatur mortaliter, quando fit copula contrà naturam, puta in vase non debito, & quando etiam semen voluntariè effunditur extra vas naturale, his duobus modis est mortale.

2 Quando verò in vase proprio semen effunditur, quamuis modus non seruetur, puta si fœmina sit superior, siuè à posteriori partè semen recipiat, siuè alius sit præposterus modus, tunc non est mortale, nisi cum sit periculum effundendi semen extrà vas, quo periculo non stante, vt dicit *Albertus magnus 4.distinct.31, & 32. art.* 24.non est mortale, sed si fiat ob solam delectationem est veniale, si ob necessitatem aliquam nullum est peccatum. *Toletus in summa de peccatis in vsu matrimonij. Henriquez lib. 11. cap. 16. num.6. vide infrà clarius parte 16. quæst. 34. num. 21. Ibi Sanchez & alij DD.*

3 Circà

3 Circà finem aduertendum eſt, quod cum Coniux accedit vxori tanquam non ſuæ, hoc eſt cum cogitatione alterius perſonæ, tunc eſt mortale, exprimendum in confeſſione; ac etiam circumſtantia ſtatus perſonæ, quam mente reuoluit; Vndè ſi mente reuoluat vxorem alterius committit adulterium mentale, & ſic de alijs &c. *Reginaldus lib. 31. num.333. concluſ.2.& alij communiter.*

4 Ergo Coniuges, debent ſibi conſtituere finem honeſtum. EG. procreationem filiotum, & fugam incontinentiæ, alioquin peccant, pro ratione mali finis, quem ſibi conſtituunt; Vndè vir accedens ad vxorem cauſa delectationis peccat, ſed non mortaliter; *Vt ait Sanchez lib. 9. diſput. 11. num. 4. & alij apud Bonacinam de ijs quæ pertinent ad vſum matrimonij quæſt. 4. punct. 6. num. 7. Diuus Thomas 4. diſtinct. 31. art.3. Diuus Auguſtinus de Bono coniugali tomo 6. cap.6. lib.5. contrà Iulianum cap.7. fin. tomo 7.*

5 Circà particulam ſine damno. Accedere ad grauidam, quando adeſt notabile periculum abortus, eſt mortale; Ratio eſt, quia repugnat rectæ rationi, vt aliquis velit delectationem capere, cum graui damno, & periculo alterius. *Nauarrus 16. num. 25. Syluester verbo debitum num. 8. Sanchez lib. 9. diſput. 22. num. 1. & DD. ab ipſo citati.*

Dixi, cum periculo abortus, quia ſecluſo abortus periculo, non videtur illicitum accedere ad vxorem grauidam, nulla enim ſufficienti ratione probatur hoc eſſe illicitum, alioquin Coniuges eſſent obnoxij innumeris peccatis, cum vt plurimum vxores ſint grauidæ. *Sanchez lib. 9. diſput. 22. num. 6. qui multos DD. citat.*

Periculum abortus adeſſe poteſt. Primò tempore coagulationis, & formationis fœtus; Secundò quando animatur fætus; Tertiò præcipuè quando Coniuges congrediuntur proximè antè partum, nam eo tempore periculum eſt, vt fætus ob ſeminis abundantiam ſuffocetur. Rarò tamen conſtat coniugibus, hic, & nunc ſubeſſe tale periculum, vt teneantur illud ſub mortali euitare. *Ità Sanchez, Coninchus, Reginaldus, & alij locis citatis.*

6 Circà hanc particulam etiam addo, accedere ad vxorem tempore menſtrui naturalis, quod fœminę pati ſolent ſingulis menſibus, vt plurimum eſt peccatum veniale; Ratio eſt, quia videtur eſſe quædam inhoneſtas, & turpitudo naturalis accedere tempore menſtrui ad vxorem; quamuis ſi fœmina perpetuum patiatur menſtruum, aut ſit periculum incontinentiæ, nullum ſit peccatum, vt dicit *Syluester verbo debitum, §. 6. relatus à Toleto loc. cit.* Tempore autem menſtrui dicit *S. Thomas loc. cit.* quod non poteſt fœmina petere debitum, ſed reddere petenti, primum admonendo

do virum de menstruo, hoc autem peccatum est tantum veniale, quia nullum est periculum notabile, nec impeditur generatio.

Dixi menstrui naturalis, quia quando fluxus menstruorum est continuus, non peccat vir accedendo ad vxorem, alioquin rarò posset vti iure suo. *Ità Reginaldus lib. 31. num. 342. & alij apud Sanchez lib. 9. disput. 21. num.* 8. contrà quosdam existimantes esse peccatum mortale, eo quod afferatur præiudicium proli, quæ monstruosa solet nasci, quando Coniuges congrediuntur tempore menstrui, sed hæc ratio facilè dissoluitur dicendo, prolem rarò monstruosam nasci, ex hoc præcisè, quando copula tempore menstrui habetur.

Addo, melius esse proli, vt ità nascatur, quam vt nullo modo nascatur.

7 Rogabis, vtrum vxor teneatur reddere debitum viro petenti tempore menstrui.

Resp. non teneri reddere, quia adest vt suprà dixi turpitudo tenens se, ex parte actus, faciens actum illicitum, immò peccat venialiter reddendo, nisi prius admoneat virum de menstruo, vt ait *D. Thomas loc. cit.* vel nisi etiam adsit iusta causa reddendi tunc temporis, vt suprà dixi *Toletus loc. cit. Bonacina de peccatis contingentibus in vsu matrimonij quæst. 4. punct. 6. num.* 10. *qui multos DD. refert.*

8 Circà particulam solue; Aduerte vtrumque coniugem habere potestatem suprà corpus alteriùs, ità vt alter de iustitia possit alteri debitũ copulę petere, & qui negat (nulla causa rationabili existente) mortaliter peccat, *iuxtà illud Apostoli 1. Corinth. 7. nolite fraudare inuicem.*

9 Sunt aliqui casus, in quibus vnus potest negare alteri petenti debitum, de quibus communiter DD. verbo debitum.

Primus est, quando est impotens, qui non potest reddere; Verum est, quod si sua culpa factus est impotens mortaliter peccauit in eo, quod se impotentem fecit, tamen posteà non facit nouum peccatum in non reddendo post pœnitentiam primi peccati.

Alter casus est, cum timet probabiliter grauem infirmitatem ex ipsa copula, nec hoc est contrà illud *cap. Quoniam de coniugio leprosorum*, vbi dicitur, quod debet accedere ad leprosum coniugem, hoc enim intelligitur, cum non timetur contagium consilio Medicorum; si enim timetur, probabiliter non tenetur.

Tertius casus est, cum vnus coniugum commisit adulterium, vt suprà dixi, tunc enim perdit ius petendi, & ille alter potest negare absque peccato, nisi etiam ipse commiserit, vt statim dicemus. Quar-

Quartus casus est, quando matrimonium est ratum, & nondum consumatum, & vnus vult ingredi Religionem, tunc non tenetur reddere petenti. *cap. Ex publico de conuers. coniug.* assignat tempus duorum mensium, in quo debet talis deliberare statum, aut ingredi, aut reddere debitum.

Quintus casus est, quando vnus illorum fecit votum castitatis, antè matrimonium; aut post, sed ex consensu alterius, tunc enim non habet ius petendi contra votum, & alter negare potest; Si verò alter habuerit intentionem remittendi suum ius petendi, scilicet renunciandi iuri suo circà petitionem, nec ipse potest petere, nec alter reddere absque peccato, nisi intercedat dispensatio voti, *vide Bonacinam de ijs quæ pertinent ad vsum matrimonij quæst. 4. punct. 3. num. 7. & 8.*

Aduerte etiam, aliquando non solum coniugem posse non reddere debitum alteri, sed mortaliter peccare reddendo, & hic casus vnus est, nempè cum vxor in adulterio petinaciter manet, siuè perseueranter, nec emendatur, tunc maritus tenetur non reddere illi debitum, vt habetur in *Can. Si quis vxorem 32. quæst. 1.* In omnibus præmissis, *vide Toletum de peccatis in vsu matrimonij.*

Tamen casus iste limitatur a DD.

Primò a *Ricchardo 4. dist. 32.* quando illa vult desistere a peccato, & non perseuerare in adulterio, tunc enim potest reddere absque peccato.

Secundò limitatur a *Syluestro verbo debitum, §. 10. num. 12.* quando vir timet peccatum incontinentiæ, nisi accedat vxori, tunc enim potest; Neque enim tenetur cum periculo animæ suæ procurare correctionem alterius; nam hic Canon fuit factus ad emendationem fœminæ.

Tertiò limitatur *ab Armilla verbo debitum, §. 16.* scilicet quando timentur rixæ graues, & scandalum, nisi reddat debitum.

Quarto limitatur *à Paludano distinct. 32;* quando nulla speratur emendatio ipsius; Cum enim vir non potest corrigere, non tenetur abstinere.

Limitatur etiam ab eodem, quod solum obligetur vir non reddere debitum vxori perseueranti in adulterio. Non tamen obligetur vxor non reddere debitum viro adultero perseueranti in adulterio; Nam Canon solum loquitur de viro habente vxorem adulteram. *Toletus loc. cit.*

10 Aduerte etiam, quod sunt multi casus, in quibus vir tenetur reddere rebitum vxori, etiam postquam commisit adulterium, dummodo non perseueret in illo.

11 Primus est, cum & ipse vir adulterium commisit, vt habetur in *cap. Significasti de adulterijs*. Nota quod suprà locuti sumus, quando non liceat facere diuortium, hìc autem loquimur quando possit Coniux alteri debitum negare.

Secundus casus est, quando vir potuit prohibere adulterium, & noluit, vel ipse prostituit vxorem, *cap. Discretionem, de eo qui cognouit consanguineam vxoris suæ*.

Tertius est, quando vir cognoscens vxorem suam fornicatam esse, & accessit. *Can. Dixit Dominus 32. quæst. 1.*

Quartus est, quando vxor fornicata est violenter, vel quia credens maritum mortuum, iterum nupsit, vel quia credens alienum esse suum virum, & accessit; tunc enim non perdit ius petendi, quia hæc fornicatio est materialis, & non adest peccatum. *ità habetur in Can. Proposito 34. quæst. 2.*

Quintus casus solet addi, quando vir dedit occasionē fœminæ adulterandi, quia noluit reddere debitum. *Can. Secundum verba 33. quæst. 5. & ità dicit S. Thomas super 1. Corinth. 7. & Armilla verbo matrimonium num. 37.* Alij tamen relati ab eodem Armilla inquiunt, non propter hoc excusari quin maritus possit eam dimittere, & negare debitum, vt supra dixi.

12 Circa hanc particulam solue, hìc solum supersunt aliquæ difficultates breuiter examinandæ.

Et Prima, vtrum necesse sit Coniuges in actu matrimoniali simul seminare.

Respondetur: Negatiuè, quia secundum probabilissimam sententiam semen fœmineum nec actiuè, nec passiuè concurrit ad generationem; Expedit tamen vtrumque coniugem simul seminare; nam semen fœmineum iuuat saltem ad formandum formosiorem fœtum, qua de causà coniux tardior ad seminandum, potest se tactibus præparare ad copulam, vt possit simul cum altero seminare. *Sanchez lib. 9. disput. 17. num. 12.*

Præterea potest vir postquam seminauit continuare copulam, vt fœmina quæ nundum seminauit, seminare possit, hoc enim pertinet ad completam vxoris copulam. *ità Caietanus 2.2. qu. 154. art. 12. & alij apud Henriquez lib. 11. cap. 16. num. 7.*

Ex quo patet, quod si vir postquam seminauit, se retrahat, antè seminationem vxoris, vxor se possit tactibus excitare, donec seminet, *ità inquit Sanchez infrà citandus*. Ratio est quia grauem alioquin sentiret afflictionem, si cogeretur ità remanere libidine excitata, tum quia illi actus ordinantur ad completum actum coniugalem, qui consistit in vtriusque seminatione; tum quia

quam-

quamuis semen Vxoris non sit necessarium ad generationem, nihilominus est valdè vtile, cum iuuet ad formandum pulchriorem fętum; tum quia sicut licitum est coniugi præparare se ad copulam, ità etiam perficere actum copulæ. Hoc tamen non valet in Viro qui tactibus se polluit, postquam fęmina se retraxit, vt patet ex contraria ratione; prodigeret enim semen a natura institutum ad generationem. *Sanchez lib. 9. disput. 17. num. 12. Bonacina de ijs, quæ pertinent ad vsum matrimonij quæst. 4. punct. 6. nu. 15.*

Verum non est recedendum a sententia negatiua, quam docent *Rodriquez apud Dianam tom. 2. tractatu 6. de Sacramento matrimonij resol. 213. num. 1. & 2. & alij, quos refert, & sequitur, idem Diana, etiam in par. 9. tract. 8. resol. 31.* Vbi etiam soluuntur argumenta superius allata in fauorem sententiæ affirmatiuę. Præterea illa pars vbi *Sanchez* affirmatiuā sententiam docuerat, abrasa fuit ab isto Authore in editione Antuerpiana, vt refert *Leander à Sanctissimo Sacramento par. 2. tract. 9. quæst. 41.* licèt ipse opinioni affirmatiuæ faueat.

13 Secunda difficultas, an maritalis copula licita sit Seni, qui dum congreditur cum sua Vxore, fundit semen extrà vas, nec potest seminare intrà vas fœmineum.

Resp. Cum *Nauarro, Reginaldo lib. 31. num. 334. Conclus. 6. & alijs apud Sanchez lib. 9. disp. 17. num. 20.* Senem quando habet probabilem spem seminandi intrà vas, posse coire, conando seminare intrà vas debitum, vtitur enim iure suo, quamuis semen fortasse extrà vas fundatur præter intentionem, vt patet a simili in frigidis, quibus concessum est triennium ad experiendum an sint potentes. Si verò Senex sciat se non posse effundere semen intrà vas, non potest vti copula, quia semen voluntariè prodigit, cum sciat illud effundendum, quamuis possit vti osculis, & amplexibus, secluso periculo pollutionis extrà vas in vtroque coniuge.

14 Vtrum sit licita copula Vxori, quæ post coitum, non potest semen retinere intrà vas.

Resp. Affirmatiuè; Ratio est, tum quia ista seminis expulsio euenit per accidens, & præter intentionem, tum quia vxor sæpè retinebit semen necessarium ad generationem, expulso superfluo. Verum tamen est, fœminam quæ post copulam statim mingit, vel aliquid aliud facit, vt receptum semen effundat, peccare mortaliter, facit enim contrà finem ad quem institutum est semen a natura; vt bene ait *Sanchez loc. cit. disp. 20. num. 3. Rebellus lib. 3. quæst. 19. num. 15. Reginaldus lib. 31. num. 334. ad finem alios citans.*

15 Vltima difficultas est, quam malitiæ speciem habeat pollutio inter coniuges extrà vas debitum.

Resp. Habere speciem adulterij, quia coniuges non seruant fidem ad inuicem datam ad Prolis generationem. Addo cum *Sanchez lib. 9. disp. 18. num. 4. & Reginaldo num. 333.* hanc circumstantiam necessariò explicandam esse in Confessione, videlicet pollutionem commissam fuisse cum propria Vxore, alioquin pœnitens non sufficienter explicaret peccatum; vt ostendit etiam *Bonacina de ijs, quæ pertinent ad vsum matrimonij quæst. 4. punct. 6. num. 19.*

16. Circà particulam cohære, per quam cohabitatio mariti & vxoris in eodem Toro, & domo significatur; Vndè peccant illi qui dimittunt vxores suas, & vagantur per alienas prouincias, noluntque redire ad eas; nec sunt absoluendi, donec firmum saltem propositum habeant, absque mora redeundi; *Toletus in summa de matrimonio de peccatis in vsu matrimonij.* De cohabitatione Viri & mulieris multa iam anteà diximus, restant nunc aliquæ difficultates hìc examinandæ.

17 Prima est, vtrum coniuges teneantur simul cohabitare.

Resp. Affirmatiuè, vt patet, tum ex *cap. literas de restitut. spoliat.* tum quia matrimonium initur ad suscipiendam prolem, & ad vitandam fornicationem; Proles autem non susciperetur, nec fornicatio euitaretur, si coniuges simul non cohabitarent.

18 Ex quo patet, Vxorem teneri sequi virum, quando nullum extat peccatum in contrarium. *cap. vnaqueque 13. quæst. 2.* Concedo tamen Vxorem non teneri, sequi Virum, aut cum illo cohabitare, quando adest iusta causa non cohabitandi, seù non sequendi Virum, vt accidit quando Vxor non potest illum sequi absque graui damno animæ, vel corporis, aut quando habet iustam causam faciendi diuortium, quoad Torum, & habitationem iuxtà supradicta; aut quando vnus coniugum timet sibi infectionem lepræ, vel alterius morbi contagiosi, cohabitando cum altero coniuge infecto, tunc enim non obligatur cohabitare cum tanto incommodo. Ità *Emmanuel Sà verbo diuortium coniugale num. 15. Nauarrus cap. 16. num. 25. Sanchez lib. 9. disput. 24. num. 29. Valentia tom. 4. disp. 10. quæst. 5. punct. 3.* Verum tamen est coniugem sanum in hoc casu non debere ab altero coniuge ità longè recedere, vt non possit alteri coniugi cætera obsequia exhibere, non enim eximitur ab alijs obsequijs præstandis. Ità *Reginaldus lib. 31. num. 303. Sanchez loc. cit.*

19 Secunda difficultas est, vtrum Vir qui cum vxore fecit conuentionem

tionem non transferendi aliò suam habitationem, possit aliò transferre.

Resp. Non posse, nam tenetur seruare promissionem, & fidem alteri coniugi datam. *Sanchez lib. 1. disp. 40. num. 5. citans quam plures DD.*

Concedo tamen, superueniente noua, & iusta causa transferendi aliò habitationem, posse aliò transferri; vt accidit quando Vir compellitur aliò se transferre per exilium, aut ad defendendas res familiares, aut ob inimicitias capitales, aut propter aeris intemperiem, nam promissio non transferendi alio domicilium, censetur facta sub hac conditione, nisi iusta causa superueniat transferendi. Itá *Rodriquez 1. par. cap. 15. num. 2. & DD. apud Sanchez lib. 1. disp. 40. num. 3.*

Hinc sequitur, Vxorem teneri sequi Viri infortunium, quamuis pactum fecerit non transferendi aliò domicilium, non quidem per modum pænæ, sed tanquam onus adnexum matrimonio. *Guttierez cap. 23. num. 11. & alij DD. ab ipso citati.*

20 Tertia difficultas est, vtrum Vxor teneatur sequi Virum, si Vir tempore contracti matrimonij solebat vagari.

Resp. Affirmatiuè, nam vxor censetur se voluisse ad hoc onus obligari, modò Vir non vagetur ex turpi aliqua causa cum peccato. Si verò fœmina ignorabat Virum solitum esse vagari, non tenetur illum sequi, quia non tenetur tantum onus subire sequendo Virum vagantem, nisi fortè posset illum sequi absque suo notabili incommodo. Itá *Sanchez loc. cit. num. 6. Reginaldus loc. cit. num. 311. Guttierez de matrimonio cap. 23.*

21 Quarta difficultas est, vtrum Vir debeat sequi Vxorem aliò transferentem domicilium.

Resp. Affirmatiuè, quando transfert ex causa necessaria, quia coniuges sunt pares, quoad mutua obsequia coniugalia.

Dixi, quando transfert ex causa necessaria, quia seclusa necessitate, Vxor non potest cogere Virum ad sequendum seipsam, ipsa enim est subdita Viro, & Vir est caput Vxoris, sed potiùs Vir potest eligere domicilium, & cogere Vxorem ad sequendum seipsum, nisi adsit pactum in contrarium, vt dictum est, aut nisi adsit iusta causa non cohabitandi simul. *Sanchez loc. cit. num. 14. Guttierez cap. 23. num. 14. & alij communiter.*

22 Vtrum Maritus possit abstinere a cohabitatione Vxoris propter dotem sibi promissam, sed non solutam.

Dissentio est inter DD. sed probabiliùs videtur dicendum, non posse

posse, quia obligatio cohabitandi non oritur ex dote soluta, sed ex ipso matrimonij contractu; potest tamen maritus cogere promittentem, vt sibi promissam dotem soluat. Ità *Sanchez lib. 9. disp. 5. Reginaldus loco citato num.* 304. *Bonacina de ijs, quæ pertinent ad vsum matrimonij quæst.* 4. *punct.* 6. *num.* 14.

23 Circà particulam sit locus, copulam habere in loco sacro, secundum communem sententiam est sacrilegium. *Riccardus verò distinct.* 32. *art.* 1. *quæst.* 3. *& Angelus verbo debitum* §. 22. limitant, nisi sint violenter in illo loco, puta tempore belli, aut a Iudice se defendant, aut simili causa, & multo tempore illic cogantur esse, tunc enim non esset peccatum. *Syluester verò verbo debitum* §. 3. *num.* 5. meliùs dicit, quod cum reddit debitum ob periculum incontinentiæ, non est peccatum, nec violatur Ecclesia, aliàs esset peccatum sacrilegij. *Toletus loc. cit.*

24 Committitur ergo sacrilegium, quando copula habetur in loco sacro absque necessitate, nam per copulam polluitur Ecclesia, & fit specialis iniuria Ecclesiæ, seù loco sacro. *Syluester loc. cit. Sanchez lib.* 9. *de matrimonio disp.* 15. *num.* 10. *Nauarrus cap.* 16. *num.* 32. *& alij quos refert Lessius lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 12. *num.* 85.

Dixi absque necessitate, quia iuxtà communionem sententiam, sacrilegium non committitur, quando coniugalis copula occultè habetur ex legitima necessitate, vt accidit quando periculum est incontinentiæ in aliquo coniuge, nec alibi adest opportunitas coeundi; ita *Azorius par.* 2. *lib.* 9. *cap.* 5. *Filiuccius tract.* 30. *nu.* 121. *Coninchus quæst.* 83. *art.* 3. *dub.* 1. *num.* 221. *apud Suarez* 3. *par. tom.* 3. *disp.* 81. *versic.* 3. *violatur, versus finem. Nauarrus cap.* 16. *num.* 32.

Idem dic de nocturna pollutione, & de sanguinis effusione facta ad sui defensionem; nam vbi nulla est culpa contra loci sanctitatem, ibi nullum est sacrilegium contra locum sacrum, ità *DD. citati.*

25 Nomine loci sacri in hac materia intelligitur Ecclesia consecrata, vel benedicta, Cæmeteria, & Oratoria constituta auctoritate Episcopi, & deputata ad Diuinum Cultum vt ostendit. *Sanchez loc. cit. Syluester verb. loca num.* 4. *& sequent. Reginaldus lib.* 14. *num.* 40. *& alij apud Bonacinam loc. infrà citando.*

Secus dicendum est de Monasterijs, Dormitorijs, Cubilibus Sacerdotum, vel Religiosorum; & Oratorijs priuatis non constitutis auctoritate Episcopi, quamuis enim loca sint pia & Religiosa, ità vt gaudeant immunitate Ecclesiastica, non tamen sunt facta, vt copula, vel pollutio in illis habita, specialem sacrilegij mali-

malitiam habeant, nisi in ipsis extet Altare ad faciendum Diuina. Ità *Syluester verbo Ecclesia nu. 1. Bonacina de ijs, quæ pertinent ad vsum matrimonij quæst. 4. punct. vltimo*.

Circa particulam, Tempus, Difficultas est, vtrum licitum sit congredi cum vxore eo die, quo sumenda est Sanctissima Eucharistia; Remitto te, ad suprà dicta *par. 11. quæst. 29. num. 9.*

Et an licitus sit die Dominico tempore magnarum solemnitatum, et Ieiuniorum vsus matrimonij.

Resp. Affirmatiuè, quia nullo Iure prohibetur, nec est opus seruile. *Nauarrus cap. 16. num. 24. Bonac. loco proximè citato, & alij ab ipso citati*. Verum de Consilio, & vtilitate, vide supra *in titulo de Benedictione nuptiali quæst. 11. num. 8. §. Alterum*.

Circa particulam Tactus, Difficultas est, vtrum tactus & oscula in sponsis de futuro quando sint licita; vide supra *de sponsalib.*

Et an sint licita inter coniuges.

Resp. Tactus, & Oscula in coniugatis excusantur, etiamsi capiantur ob delectationem, absque intentione copulæ coniugalis, modò non adsit periculum pollutionis extra vas. *Sanchez. Azorius, Lessius, Coninchus, Henriquez citati à Bonacina loco citato, quæst. 4. punct. 9. num. 6.*

Circa particulam, nec spernito votum, difficultas est, vtrum licitum sit coniugi astricto voto castitatis petere, vel reddere debitum. De qua re, satis dictum est supra.



PARS

PARS XV.

De Immunitate Ecclesiastica, hìc obiter obseruandi sunt aliqui casus singulares, spectantes vt plurimum ad nostram Materiam.

QVÆSTIO XXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Vtrum Immunitate Ecclesiastica gaudeant Cappellæ priuatorum Palatiorum.*

2 *Euumerantur qui non gaudent Immunitate Ecclesiastica.*

3 *An qui cum armis prohibitis in Ecclesia se recipiunt, gaudeant immunitate Ecclesiastica.*

4 *An Clerici, qui post patrata delicta ad Ecclesias confugiunt, debeant immunitate Ecclesiastica gaudere.*

5 *Vtrum mater occidens filium infantem, immunitate Ecclesiastica gaudere debeat.*

6 *Qui veneno committit homicidium, an gaudeat immunitate Ecclesiastica.*

7 *An gaudeat immunitate Ecclesiastica mulier, quæ medicamentis procurat abortum.*

8 *An furans in Ecclesia, debeat gaudere immunitate Ecclesiastica.*

9 *Copula habita in Ecclesia destructa auctoritate Episcopi, an habeat malitiam Sacrilegij.*

10 *Vtrum qualibet pars, seù spatium Ecclesiæ sit locus sacer.*

11 *An sit sacrilegium, & violetur locus sacer, quando copula habetur suprà tectum Ecclesiæ, aut ibi aliquis occiditur.*

12 *Quando copula habetur extrà parietes Ecclesiæ, aut quando aliquis suspenditur in parietibus Ecclesiæ exterioribus, an sit sacrilegium, & violetur locus sacer.*

13 *Vtrum sit sacrilegium, cum copula habeatur in aliquo subterraneo, aut in cauerna fabricata sub pauimento Ecclesiæ.*

14 *An sit sacrilegium copulam habere in Turri, quod vulgò Campanile dicitur, vel in sacristia, & Cameris Ecclesiæ adhærentibus.*
15 *An sit sacrilegium copulam habere, aut aliquem interficere in porta Ecclesiæ extrà limen.*
16 *Et quid dicendum de Ecclesia diruta.*
17 *Dubitatur quando nam polluatur Ecclesia.*
18 *Si quæras an polluta Ecclesia, censeatur etiam pollutum Cæmeterium illi contiguum.*
19 *An Ecclesia polluatur quando consecratur, vel benedicitur ab Episcopo excommunicato publico.*
20 *An polluatur Ecclesia, quando in ea sepelitur excommunicatus vitandus.*
21 *Casus singularis de quo aliàs interrogatus fui & acriter defendi; an sepeliri possit in loco sacro excommunicatus vitandus, qui existens in mortis periculo, fuit absolutus in foro pœnitentiæ, aut qui dedit signa contritionis.*
22 *Vtrum Ecclesia polluatur quando in ea sepelitur Paganus, aut Infidelis, aut Cathecumenus, vel filius alicuius fidelis antè baptismum.*
23 *An filius possit sepeliri cum Matre, quæ moritur in partu vna cum filio, antequam filius susceperit baptismum.*
24 *Quomodo se gerere debeat Sacerdos, quando inter celebrandum Ecclesia violatur.*
25 *An Ecclesia dicatur polluta, quando delictum non est publicum.*
26 *Vtrum celebrans in Ecclesia polluta, vel sepeliendo aliquem, vel persoluendo Diuina officia, incurrat in aliquam censuram, sicut Sacerdos celebrans in loco seù Ecclesia interdicta, fit irregularis.*
27 *Quæres à quo nam possit Ecclesia polluta reconciliari.*

1 IMmunitate Ecclesiastica non gaudent Cappellæ priuatorum Palatiorum Sacra Congr. Episcoporum, & Regularium in *Marsicen.* 17. *Nouembris* 1617. *& Sac. Congr. Immunitatis in Perusina extractionis* 9. *Decemb.* 1631. *penes Lezzanam tom.* 3. *verbo Immunitas num.* 4.

2 Immunitate Ecclesiastica non gaudent publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, & Viatores insidijs aggrediuntur, & Depopulatores agrorum, homicidiaque in Ecclesijs, & Cæmeterijs perpetrantes; Et qui proditoriè aliquem occidunt; Assassinij, hæresis, aut læsę Maiestatis Rei. *Gregorius XIV. in sua Constitut. incipien. Cum aliàs Kalendas Iunij* 1591. *apud Laert. Cherub. in Bullar. tom.* 2. *pag.* 964. De cuius materia *Quaranta in Summa Bullarij verbo reueren-*

rentia Diuinorum Officiorum, & Ecclesiarum.

3 Immunitate Ecclesiastica gaudent qui cum armis prohibitis in Ecclesia se recipiunt Sac. Congreg. Episc. & Regul. in *Salernitana 3. Septemb. 1616. quam refert Aldan. in Compen. Canon. resolut. lib. 2. tit. 28. num. 12.*

4 Immunitate Ecclesiastica debent gaudere Clerici, qui post delicta patrata ad Ecclesias confugiunt.

Et in hoc casu Abbatis opinio communiter est reprobata, eadem Congr. Episcop. & Regul. in *Tropien. 24. Ianuarij 1617. sub die 17. Augusti 1618. Lezana in Summa quæst. Regul. tom. 3. verbo Immunitas Ecclesiarum num. 6. Carolus Maranta tom. 2. respon. 50 num. 6.* vbi attestatur sic fuisse responsum Episcopo Neocastren. de anno 1618. & Episcopo Auersæ de anno 1633. Ratio est, quia Clerici non debent esse inferioris conditionis Laicorum.

5 Immunitate Ecclesiastica non gaudet Mater occidens filium infantem. Sac. Congr. Concilij sub die 3. Decemb. 1632. penes *Lezzanam tom. 3. verbo Immunitas num. 12.*

6 Immunitate Ecclesiastica non gaudet, qui veneno committit homicidium. Sac. Congr. Concilij sub die 3. Decemb. 1632. *attestante Sellio Select. Canon. cap. 32. num. 10. Boer. decis. 109. num. 5. vers. secundo in eo.*

7 Immunitate Ecclesiastica non gaudet Mulier, quæ malis medicamentis procurat abortum. S. Cong. Concilij sub die 3. Decemb. 1632. referente *Sellio cap. 32. num. 12. Farinacius de Immunitate num. 142. ad finem.*

8 Immunitate Ecclesiastica gaudet furans in Ecclesia. vide *Bonacinam tom. 2. circà primum Decalogi præceptum disp. 3. qu. 7. punc. 5. num. 7. & præcisè punct. 6. §. 2. nu. 11. qui alios DD. refert.*

9 Ex dictis supra colligi potest, copulam habitam in Ecclesia auctoritate Episcopi destructa, non habere malitiam sacrilegij, non enim est locus sacer, nisi fortè sit destructa, vt iterum reædificetur, tunc enim adhuc est locus sacer, & gaudet Immunitate: Ita *Bonacina disp. 4. punct. vltimò num. 10. in fine de ijs, quæ pertinent ad vsum matrimonij.*

10 Vtrum quælibet pars, seù spatium Ecclesiæ sit locus sacer, in ordine ad sacrilegium peccati commissi in loco sacro, præter violentam abstractionem.

Resp. Illud spatium dici locum sacrum, quod spectat ad interiùs corpus Ecclesiæ a tecto interiori vsque ad pauimentum, hinc colligitur solutio multorum casuum cum *Nauarro num. 251. Grassio lib. 2. cap. 48. Suarez tom. 1. de Religione lib. 3. cap. 9. num. 7. &*

par-

par. 3. de Eucharistia disp. 81. sec. 4. Reginaldo lib. 29. num. 182. Nugno par. 3. quæst. 83. art. 3. dub. 2. Filiuccio tract. 30. num. 135. & alijs.

11 Infertur primò, non esse sacrilegium, nec violari locum sacrum quando copula habetur suprà tectum Ecclesiæ, vel cum ibi aliquis occiditur. *DD. citati.*

12 Secundò, non esse sacrilegium, nec violari locum sacrum, quando copula habetur extrà parietes Eccclesiæ, aut quando in parietibus Ecclesiæ exterioribus aliquis suspenditur, modò illi parietes non inseruiant pro muro Cæmeterij, tunc enim esset sacrilegium, cum sit locus sacer. Itá *DD. citati à Bonacina loc. cit. num. 13.*

13 Tertiò, non esse sacrilegium cum copula habetur in aliquo loco subterraneo Ecclesiæ, vt in cauerna fabricata sub pauimento, modò locus ille subterraneus non sit sepultura; Ratio est, quia locus ille censetur esse extrà Ecclesiam, nec spectat ad interius corpus Ecclesiæ, a tecto interiori vsque ad pauimentum. *DD. citati.*

14 Quartò, non esse sacrilegium copulam habere in Turri, quod vulgò Campanile dicitur, quia Turris non spectat ad interiùs Ecclesiæ corpus. Idem dic de sacristia, & Cameris Ecclesiæ adhærentibus; Contrarium dic de Choro, & Cappellis, nam Chorus, & Cappellæ spectant ad interius Ecclesiæ corpus. Itá *DD. citati, & Bonacina citato num. 15. Barbosa allegat. 28. num. 45.* secus dicendum circà Immunitatem.

15 Quintò, non esse sacrilegium copulam habere, aut aliquem interficere in porta Ecclesiæ extrà limen, idest extrà lineam, quam attingunt valuæ, modò limen non spectet ad Cœmeterium. Itá *Suarez loc. cit. disp. 81. sect. 4. vers. quinto violatur, ad finem.*

16 Sextò, non esse sacrilegium, copulam habere, aut aliquem occidere in Ecclesia diruta, quia non est amplius Ecclesia, neque nomen habet Ecclesiæ. *DD. citati.*

Committitur autem sacrilegium, quando copula habetur in Cappella de nouo addita Ecclesiæ, aut in aliqua parte, secundum quam prior Ecclesia laxata est, & extensa; Ratio est, quia pars addita sit vnum corpus cum priori, consequenter gaudet illius priuilegijs. *DD. citati.*

17 Quæres quando nam polluatur Ecclesia.

Resp. Ecclesiam pollui primo per voluntariam seminis humani effusionem in ea. *cap. Ecclesijs de consecrat. distinct. 1. & cap. si Ecclesia de consecrat. Eccl. in 6.*

Dixi humani, idest hominis etiam pagani, aut fœminæ non autem bruti; siuè effusio fiat per actum coniugalem, siuè per alium actum.

Dixi per voluntariam, quia si effusio sit inuoluntaria, vt si contingat in somnis, aut etiam in vigilia, sed coactè, non polluitur Ecclesia. Immò *Nauarrus, Syluester, Tabiena, & alij quos refert Sayrus lib. 5. cap. 16. num. 11.* & alij existimant Ecclesiam non pollui per pollutionem in somnis contingentem, etiamsi fuerit voluntaria in causa, nam eo ipso quo fit in somnis non est libera, consequenter non habet secum adnexam aliquam loci irreuerentiam, ob quam Ecclesia pollui debeat; Requiritur ergo ad Ecclesiæ pollutionem, vt pollutio sit voluntaria, quamuis non sit necesse, vt semen in terram effundatur, nam loci sanctitas violatur, etiamsi semen in terram non decidat, sed recipiatur in vase naturali fœminæ, vel in alio loco.

Dixi Effusionem, vt aduertamus non sufficere paruam distillationem, & modicam humectationem. vt ait *Graffius loc. cit. num. 16. Suarez 3. par. tom. 3. de Eucharistia disp.* 81. *sect.* 4. *Nugnus loc. cit. & alij*. Nam effusio importat aliquam copiam.

Secundo Ecclesiam pollui per iniuriosam sanguinis humani effusionem in ea; aut quando datur causa naturalis eius effusionis, aut mortis. *cap. vnico de Consecrat. Ecclesiæ in 6.*

Dixi per iniuriosam, quia si fiat ad sui defensionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, vel ab Amente, vel a Furioso, vel a puero vsum rationis nondum habente, vel casu a Tegula cadente, non polluitur Ecclesia, cum talis effusio non sit propriè iniuriosa. *Graffius loc. cit. num.* 21.

Similiter pollueretur Ecclesia si Martyr in ea occideretur, nam illa actio esset iniuriosa, & iniqua; licet passio esset grata Deo. ità *Graffius loc. cit. num.* 24. *Suarez 3. par. de Eucharistia disp.* 81. *sec.* 4. *referens alios DD.*

Dixi effusionem, quia requiritur aliqua sanguinis abundantia, & non sufficiunt duæ vel tres guttæ; immò *Graffius loc. cit. nu.* 25. & alij putant non sufficere emissionẽ sanguinis è Naso, vt accidit in rixa puerorum, saltem quando non sufficit ad peccatũ mortale.

Dixi sanguinis, quia Ecclesia non polluitur quando aliquis alterius carnes contundit, vel ossa frangit absque sanguine, immò vt Ecclesia polluatur, requiritur, vt vulnus fiat in ipsa Ecclesia; Vndè non polluitur Ecclesia, quando aliquis vulneratur extrà Ecclesiam, & postea sanguinem fundit in Ecclesia. *DD. citati*.

Dixi in ea, quia si quis existens in Ecclesia vulneret aliquem exi-

existentem extrà Ecclesiam, non ob id polluitur Ecclesia, etiamsi vulneratus posteà se recipiat in Ecclesiam. *DD. citati.*

Dixi, aut quando datur causa naturalis eius effusionis, vt aduertamus Ecclesiam pollui, quando aliquis vulneratur in Ecclesia, & statim se recipit extrà eam, antequam in ea sanguinem emittat, nam in ea data est causa naturalis effusionis; vt ait *Gambacurta de casibus reseruatis casu 6. Graffius loc. cit. Nauarrus, & alij locis citatis.*

Dixi aut mortis, vt aduertamus Ecclesiam pollui, quando quis in Ecclesia per suffocationem occiditur, absque sanguinis effusione, aut quando per carnificem suspenditur; vt habetur in *cap. proposuisti de consecratione, & cap. Ecclesijs eodem titulo distinc. 1. Syluester verbo Consecratio 2.*

18 Si quæras, an polluta Ecclesia, censeatur etiam pollutum Cæmeterium illi contiguum.

Resp. Affirmatiuè, quia Cæmeterium benedictum gaudet eodem priuilegio quo Ecclesia, accessorium enim sequitur principale, & nobiliùs trahit ad se minus nobile. Polluto autem Cæmeterio non censetur polluta Ecclesia, quia minus nobile non trahit nobilius. *cap. vnico de Consecratione in 6.* Vbi etiam habetur polluto vno Cæmeterio, non censetur pollutum alterum, quoties vnum Cæmeterium non est contiguum alteri, & ab eo seiunctum medio pariete, licet de vno ad aliud per portam intermediam pateat accessus. Ità *Sayrus lib. 5. cap. 16. num. 18. & alij communiter.*

19 Polluitur etiam Ecclesia, quando consecratur, vel benedicitur ab Episcopo excommunicato publico: iuxtà DD. communiorem sententiam, quamuis *Suarez & Coninchus locis citatis oppositam teneant sententiam*, & inquiunt, quod oppositum nullo claro textu innitatur, & in pænalibus non est facienda extentio, nisi in Iure habeatur, vt in pluribus ostendit. *Alterius de censuris lib. 1. disp. 10. cap. 6. sub fine,* quamuis ipse non recedat a communi sententia.

20 Polluitur etiam Ecclesia, quando in ea sepelitur excommunicatus vitandus *cap. Consuluisti de Consecratione.* Verum tamen est, quando sepelitur excommunicatus vitandus, illius ossa proijcienda esse a loco sacro, modò dignosci possint ab alijs ossibus, ne simul cum ipsis abijciantur ossa aliorum fidelium, non enim æquum est, vt iusti pro iniusto patiantur. *Bonacina loc. cit.*

21 An sepeliri possit in loco sacro, qui fuit absolutus in foro Sacramenti penitentiæ in periculo, vel articulo mortis; aut qui ostendit solum signa contritionis.

Cer-

Certum est, eum qui in periculo vel articulo mortis fuit absolutus in foro Sacramenti pęnitentiæ, per Presbyterum suum iuxtà formam Ecclesiæ posse sepeliri in loco sacro, hic enim reuera fuit absolutus etiam ab excommunicatione, consequenter non afficitur priuatione Ecclesiasticæ sepulturæ, quæ est effectus excommunicationis. vide *in cap. Tarochiano tuo de sepulturis:*

Qui verò in mortis articulo dedit signa contritionis, sed non obtinuit absolutionem sacramentalem, non est sepeliendus in loco sacro, donec absoluatur corpus, adhuc enim effectibus excommunicationis afficitur; Si verò iam fuit sepultus, non videtur exhumandus, sed quamprimum petenda est absolutio a legitimo superiore, vt fiat dignus Ecclesiastica sepultura, & hæredes illius compellendi sunt per Ecclesiam ad satisfaciendum pro eo. *cap. a nobis de sententia excommunicationis il 2. eodem titulo. Bonacina de excommunicatione disp. 2. quæst. 2. punct. 4. §. 3. num. 7.*

22 Prætereà polluitur Ecclesia, quando in ea sepelitur Paganus, siuè Infidelis. *cap. Ecclesiam de consecrat. distinct. prima*; non verò polluitur quando Cathecumenus sepelitur ante susceptum baptismum, nam præsumitur decessisse cum baptismo flaminis. Ità *Sayrus lib. 5. cap. 16. num. 24.* Vbi addit Ecclesiam non pollui quando sepelitur in ea filius alicuius fidelis antè baptismum, quamuis enim ille filius reuera non sit fidelis, propriè tamen non est gentilis, siuè Infidelis, sicut est filius infidelis, filius enim infidelis si sepeliatur in Ecclesia polluit Ecclesiam, ac si grandioris esset ętatis. *Sayrus loco citato num. 25. Suarez autem cum Bonacina, Conincho locis citatis* putant Ecclesiam pollui si sepeliatur filius alicuius fidelis antè baptismum, nam filius antè baptismum est infidelis, saltem negatiuè, cum non habeat fidem; & ita est vsus, & praxis.

23 Si quæras, an filius possit sepeliri cum matre, quæ moritur in partu vna cum filio, antequam filius susceperit baptismum.

Resp. Cum *Hostiense, Vgone, & alijs apud Sayrum loc. cit. nu. 26.* Posse; tunc enim filius censetur pars matris, & pro honore matris Christianæ cum ea sepelitur.

24 Quomodo se gerere debeat Sacerdos, quando inter celebrandum Ecclesia violatur.

Resp. Sacerdotem debere missam inchoatam intermittere, si nondum Canon missæ inchoatus sit; Si verò missæ Canon inchoatus sit, debet missam absoluere, nam sacrificium inchoatum Iure Diuino perficiendum est, censetur autem inchoatum incepto Canone, cum Hostia tunc proximè præparetur ad consecrationem. *Suarez disp. 81. sect. 4. Reginaldus num. 179. Nugnus dub. 2.*

ad

ad finem, Coninchus num. 236. locis citatis; & alij communiter.

25 Adde, Ecclesiam non pollui, nisi delictum sit publicum, consequenter non indigere reconciliatione, nisi delictum sit publicum. Ita *Suarez 3. par. disput. 81. sec. 4. versiculo, secundo dubitari solet; Nauarrus cap. 27. Nugnus, Coninchus, Henriquez loc. cit. num. 251.* & alij, ratio autem cur Ecclesia non sit reconcilianda, nisi publicè constet Ecclesiam esse pollutam, est, tum quia ita vsu & praxi receptum est, vsus autem & praxis, est optima legis interpres; tum quia sicut occultis criminibus iniungi non solet publica pænitentia, ne delinquens iniuriosè diffametur, ita neque Ecclesia censenda est polluta, & reconcilianda, nisi publicè constet de pollutione, siuè de crimine inducente pollutionem, alioquin Ecclesia diffamaretur, publicè autem constare potest de pollutione Ecclesiæ dum euidentia facti, aut confessione delinquentis, aut alia simili ratione pluribus innotuit delictum in Ecclesia perpetratum fuisse. ita *Nauarrus in Manuali cap. 27. num. 256. Sotus in tertio distinct. 13. quæst. 2. art. 3. Coninchus de Sacramentis tom. 1. qu. 83. art. 3. dub. 1. num. 230.*

26 An celebrans in Ecclesia polluta incurrat aliquam censuram.

Resp. Iuxta *Azor. 2. par. lib. 10. cap. 26. & Graffium loc. cit. num. 28.* Celebrantem in Ecclesia polluta ab eo die, quo delictum in ea commissum publicatum fuit, incurrere suspensionem. Sed iuxta communiorem sententiam. *Sayr. lib. 5. de censuris cap. 14. nu. 36. Henriquez lib. 9. cap. 27. num. 7. Suarez loc. cit. vers. sed quæret aliquis, & aliorum*, quorum sententia mihi probatur, dicendum non incurrere suspensionem, vel Irregularitatem celebrando missam, vel sepeliendo aliquem, vel persoluendo Diuina Officia; Ratio est, quia nullo Iure probetur talem pęnam incurrere, præsertim cum pollutio Ecclesiæ non sit censura.

Suspensio autem, vel Irregularitas non incurritur, nisi sit in Iure expressa. Sicut dicitur Sacerdotem fieri irregularem celebrando in loco, seù Ecclesia interdicta, modò illa Ecclesia sit denunciata interdicta, alioquin non diceretur vitanda. Ità *Suarez disp. 33. sec. 3. num. 1. & seq. Bonacina de Interdicto disp. 5. punct. 7. num. 6.* Si verò Sacerdos celebraret missam, vel Officia Diuina recitaret in Ecclesia publicè polluta, seù violata, mortaliter peccaret, secus si violatio esset occulta. *Auila loco infra citando.*

27 Quæres, a quonam possit Ecclesia polluta reconciliari.

Respondeo, Ecclesiam pollutam non consecratam posse reconciliari, seù benedici a simplici Sacerdote; Expedit tamen obtinere licentiam ab Episcopo, vel eius Vicario generali. Vide *Glossam*

sam in fine in cap. si Ecclesia de consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.

Si verò Ecclesia polluta erat consecrata, debet reconciliari, seù benedici a proprio Episcopo, vel ab alio Episcopo de licentia proprij Episcopi. *cap. Aqua per Episcopum, de consecratione Ecclesiæ vel Altaris*. Nec Episcopus proprius potest committere simplici Sacerdoti reconciliationem Ecclesiæ consecratæ; Potest tamen Papa. *Auila infra citandus.*

Addo, non esse necessariam reconciliationem, quando Ecclesia fuit occultè violata, & post violationem, antequam publicaretur violatio, confectum in ea fuit missæ sacrificium; nam Ecclesia censetur sufficienter reconciliata per præsentiam Sanctissimi Corporis Christi. *Azorius 2. par. lib. 9. cap. 5. Henriquez lib. 9. cap. 7. num. 6. Graffius prima par. lib. 2. cap. 28. num. 30. Sayrus Coninchus, Suarez, Reginaldus, Auila par. 5. de censuris disp. 7. dub. 3. & alij locis citatis*. Oppositum tamen probabilius censet *Thomas Tamburinus de sacrificio missæ cap. 1. §. 4. num. 5.*

PARS XVI.

Enumerantur aliqui casus de peccatis Luxuriæ.

QVÆSTIO XXXV.

SVMMARIVM.

1 *An duplex sacrilegium committatur ab eo, qui cum sit simul Sacerdos & Religiosus committit aliquod luxuriæ peccatum.*

2 *Grauior difficultas est, vtrum habens votum simplex, & solemne Castitatis, committat duplex sacrilegium per peccatum luxuriæ, & satisfaciat in Confessione dicendo se violasse votum Castitatis.*

3 *Vtrum Sacerdos committens peccatum luxuriæ teneatur dicere Confessario se esse Sacerdotem, vel habere votum solemne castitatis, quando Confessarius cognoscit eum esse Sacerdotem.*

4 *Quando Coniux nimius esset in petendo, rationisque limites excederet, an semper teneretur alter reddere, vel moderatè.*

5 An

5 *An esset lethale scelus rarissimè, & magna cum difficultate reddere.*
6 *Vtrum hæc circumstantia detegenda sit in Confessione, quando Vir crebrò se polluit, aut ad alias fœminas accedit, si aduertat se indè reddi notabiliter impotentem ad satisfaciendum moderatè vxori, & vltrà crimen pollutionis, aut adulterij admittat aliam culpam aduersus legem Iustitiæ.*
7 *Quid si Coniux medijs licitis se reddat impotentem ad reddendum debitum.*
8 *Quid si abstinentiæ sint moderatæ, licèt illis reddatur minus potens: Et an sint consulendæ Vxori abstinentiæ, quibus deformior reddatur.*
9 *An teneatur Vir vti callidis, & medijs aliquibus, quibus potentior reddatur.*
10 *An Vir possit immoderatas abstinentias vouere, absque Vxoris consensu, & pares sint in hoc coniuges, aut neuter possit vouere abstinentias.*
11 *An vir excusetur à Ieiunio obligatorio, si reddatur impotens ad debitum, vel minus potens.*
12 *An Vxor excusetur à Ieiunio, ratione conseruandi amorem mariti ergà ipsam.*
13 *Quid dicendum de fœmina nubere volenti, si per Ieiunium deformis efficiatur, ità vt multò difficili nubat, an excusetur à Ieiunio.*
14 *Dubitabis an idem censendum sit, nempe vxorem à Ieiunio Ecclesiastico excusari ob viri præceptum, non adimplere iubentis.*
15 *An possint Coniuges mutuo consensu esse separati.*
16 *An in extrema necessitate sit præferenda vxor parentibus, filijs, cæterisque viri cognatis.*
17 *Quando Coniux peccat ob aliquam circumstantiam ipsi actui inhærentem, an peccet similiter reddens.*
18 *An vsus matrimonij propter solam delectationem sit peccatum.*
19 *Vtrum ratione modi, vel situs reddatur vitiosus congressus coniugalis.*
20 *Difficiliùs tamen dubium est, an Coniugi exigenti modo indebito quoad situm, teneatur, aut licitè posit alter reddere.*
21 *Vtrum sit culpa lethalis quoties in actu coniugali, vase naturali omisso, innaturale vsurpatur.*
22 *Quid si maritus velit sodomiticè copulam inchoare, non animo consumandi, nisi intrà vas naturale.*
23 *An liceat Coniugi tardiori ad seminandum, antè concubitum tactibus venerem excitare, vt vel sic possit in ipso concubitu simul cum Coniuge effundere semen.*
24 *Qualis culpa sit habito legitimè coniugali actu, fœtus conceptionem*

impedire, aut iam concepti abortum procurare, etiam vbi id ad matris vitam tuendam desideraretur.

25 *Num liceat matri medicinis vti ad salutem tuendam, cum periculo abortus fętus animati.*

26 *Difficultas maior est vbi probabiliter constat fœtum nondum animatum esse.*

1 AN duplex sacrilegium committatur ab eo, qui cum simul sit Sacerdos, & Religiosus committit aliquod luxuriæ peccatum.

Valdè probabile est, vnum tantummodò sacrilegij peccatum ab eo patrari, qui cum sit, simul Sacerdos, & Religiosus, professus, committit aliquod luxuriæ scelus; Idem dici potest de fœmina copulam habente, cum Sacerdote Religioso professo.

Hæc propositio non est æquè certa apud omnes, nam est duplex sententia.

Prima affirmat esse plura peccata, videntur enim esse duæ rationes malitię, speciei inter se distinctæ, eo quod Religiosus aliter dicatur persona sacra ratione voti Religionis, & aliter ratione Sacerdotij; vndè, vt Religiosus agit contrà votum factum in professione; Et vt Sacerdos agit contrà Constitutionem Ecclesiæ, qua præscribitur, vt initiatus ordine sacro seruet castitatem; Ità *Petrus Ledesma cap. 19. de pœnitentia. Coninchus de Sacramento Ord. disp. 20. dub. 13. num. 131. & alij.*

Secunda sententia, negatiua est; Ratio est, tum quia votum solemne Castitatis adnexum Ordinibus sacris, est eiusdem rationis cum voto emisso in professione, tum quia diuersitas peccatorum non desumitur ex diuersitate præceptorum; sed ex virtutibus, aut ex motiuis specie distinctis; sed Religiosus tenetur seruare Castitatem, propter idem motiuum, & propter eandem virtutem, propter quam Sacerdos tenetur eam seruare; ergo non committit duplex sacrilegium; Tum quia qui sæpiùs idem votum simplex repetit, non committit plura peccata transgrediendo votum; ergo neque committit plura sacrilegia, qui peccatum luxuriæ committit, quando tenetur voto solemni Religionis, & Sacrorum Ordinum.

Hinc deducunt DD. proximè citandi, pænitentem accusantem se de copula, satisfacere dicendo in confessione se esse Religiosum, vel Sacerdotem, vel Diaconum; Et fœminam dicendo habuisse copulam cum Sacerdote. *Ità Rodriquez prima parte cap. 53. num.*

num. 5. *Henriquez lib.* 5. *de pœnitentia cap.* 5. *num.* 6. *litera I. Sanchez lib.* 7. *de matrimonio disput.* 27. *num.*27. *& alij quos citat Idem Sanchez, quorum sententiam valdè probabilem putat, ac etiam Lessius lib.*4. *cap.*3. *dubio* 12.

2 Sed grauior difficultas est, vtrum habens votum simplex, & solemne castitatis, committat duplex sacrilegium per peccatum luxuriæ, & satisfaciat in confessione dicendo, se violasse votum castitatis.

Ad quam difficultatem respondet *Sanchez loc. cit. num.* 31. *Filiuccius num.*177. *& alij* satisfacere dicendo se violasse votum castitatis, aut se habere votum, quia votum simplex & solemne sunt eiusdem speciei, & differunt tantummodo accidentaliter.

Alij verò cum Arragonio 2.2. *quæst.*88. *art.* 7. *Bonacina de ijs, quæ pertinent ad vsum matrimonij quæst.* 4. *puncto vltimo num.* 30. *Azorio* 3. *par. lib.*2. *cap.* 27. *quæst.* 10. *Coninchо de pænitentia disput.* 7. *dub.*4. *num.*20. Existimant non satisfacere, dicendo se violasse votum castitatis, Ratio est, tum quia votum solemne differt specie, a voto simplici, vt patet ex diuersis effectibus quos solemne votum parit; tum quia fornicatio, seu aliud peccatum luxuriæ habet priuationẽ perfectionis alio modo debitæ in adstricto voto solemni, quam habeat fornicatio in adstricto voto simplici; ergo adstrictus voto simplici, & solemni committit duplex peccatum, cum peccata distinguantur penès priuationes perfectionum diuersarum.

3 Vtrum verò Sacerdos committens peccatum luxuriæ, teneatur dicere Confessario se esse Sacerdotem, vel habere votum solemne castitatis, quando Confessarius cognoscit eum esse Sacerdotem.

Resp. Non teneri, quia Confessarius sciens ipsum esse Sacerdotem sufficienter cognoscit peccata ipsius carnalia habere oppositionem cum voto solemni castitatis. *Ità Pitigianus tomo* 2.*distinct.* 16. *quæst. vnica art.*5. §.*quis pag.*330. *Azorius prima par.lib.*4. *cap.* 4. *quæst.* 6. *vltrà medium, Toletus, & alij communiter.*

4 Insuper, quando Coniux nimiùs esset in petendo, rationisque limites excederet, non semper teneretur alter reddere, sed moderatè, quia in omnibus rebus debet modus adhiberi, dummodo non adsit periculum incontinentię; Et in hac materia quia vir reddendo debitũ fit in dies impotentior, sperma enim amplius emissum deficit, facitque homines citò senescere, *Authore Aristotile de longitudine, & breuitate vitæ in cap. finali*, quamuis in fœmina minus periculum sit. *Ità docet Sotus* 4. *distinct.* 32. *quæst. vnica*

art.1.post 2.conclus. Henriquez lib.11.de matrimonio capit.15.num. 7. & alij.

5 Esset autem lethale scelus, rarissimè, & magna cum difficultate reddere, quia notabiliter Coniuges debito coniugali defraudarentur, sæpèque incontinentiæ periculum paterentur, nec ob magnam alterius difficultatem auderent petere. *Capua par.1. decis. lib. 2. cap. 83. num. 7. Ludouicus Lopez prima par. instruc. cap.8. §. Igitur resolutione & alij.*

6 Virum autem crebrò se polluentem, vel ad alias fœminas accedentem, si aduertat se indè reddi notabiliter impotentem ad satisfaciendum moderatè vxori, vltrà crimen pollutionis, aut adulterij, vel alterius speciei; admittere peculiarem culpam aliam aduersus legem iustitiæ, quia tenetur aptum se debito coniugali reddendo præseruare, quare hæc circumstantia detegenda est in confessione. *ait Sanchez loc.cit. disput.3. num.3. lib.9. de debito coniugali.*

7 Quid si Coniux medijs licitis se reddat impotentem ad reddendum debitum.

Resp. Quamuis media quibus Coniux efficitur notabiliter impotens sint aliàs licita, vt si sint immoderata ieiunia aut vigiliæ indiscretæ, si id aduertat, peccat, quia quando aliquid prohibetur, interdicitur similiter omne id, per quod peruenitur ad illud, *l. Oratio, ff. de sponsalibus*, cum ergo viro prohibeatur debiti negatio, similiter interdicitur nimiùs excessus in vigilijs, & abstinentijs, per quæ vir cogitur debitum negare, *sic docet Paludanus 4. distinct. 32.qu.1.art.2.num.8. D. Antoninus 3.par. tit.5. cap.20. §.10.*

8 Quid si abstinentiæ sint moderatæ, licèt illis reddatur minus potens: Et an sint consulendæ vxori abstinentiæ, quibus deformior reddatur.

Coniux se extenuans, aut debilitans absque fraude & bona fide medijs honestatis, vt seruans Ecclesiæ ieiunia, & alia moderata ex deuotione, impendensque moderatè tempus honestis studijs, vacat culpa, quia sic non efficitur impotens, sed minus potens, nec tenetur cum spirituali iactura, a spiritualibus operibus abstinere, vt se potentiorem, & robustiorem conseruet, sicut nec tenetur desistere ob eam causam a cęteris corporalibus exercitijs, *ità D. Thomas, & reliqui quos refert Sotus loc. cit. quæst. vnica art.1. in fine.*

Quando autem vigiliæ, & abstinentiæ censeantur limites prudentiæ excedere, aut esse immoderatæ, pensandum est attenta viri conditione; alij enim alijs robustiores sunt, & etiam atten-

ta-

ta vxoris conditione, quædam enim parcę sunt, aliæ verò venerem frequenter appetunt; denique id pro regula seruandum est, vt vir eas vires conseruet, non eas extenuās abstinentijs & vigilijs, quibus indiget ad moderatè reddendum vxori, attenta eius conditione, ne eam incontinentiæ periculo exponat.

Similiter etiam non licet vxoribus ità se abstinentijs, & vigilijs dare, vt deformes, & viris exosæ reddantur, quia ipsis ansam præberent turpes alios amores quærendi; *sic Sotus loc. cit. & alij DD. allegati, & Armilla verbo debitum num.* 2. docent eas abstinentias minimè vxoribus consulendas esse.

9 An teneatur vir vti calidis, & medijs aliquibus, quibus potentior reddatur.

Resp. Non teneri maritum vti calidis, vt potens ad copulam efficiatur, sed suæ obligationi satisfacit, si se impotentem minimè reddat, quia lex matrimonij tantum ipsum adstringit, vt moderatè attentis suis viribus reddat, & ne huic obligationi obstaculo sit nimijs vigilijs & abstinentijs; non enim tenetur medijs aliquibus vti, vt potentior efficiatur. Hoc tamen intellige verum, si de iustitiæ rigore, & lege loquamur; aliquando enim lege charitatis ad id tenebitur vir, nempe quando sine corporeæ salutis notabili detrimento id possit efficere, & vxor graue incontinentiæ periculum patiatur, nisi frequentiùs sibi coniugali copula subueniatur, lex enim charitatis quoscunque obligat, nedum Coniuges verū alios ad consulendum necessitati spirituali proximi, vbi commode, & absque notabili proprio periculo subueniri possit; *ità sentiunt Paludanus 4. distinct. 32. quæst. 1. art. 2. num. 8. Sanchez loc. cit. & alij.*

Addit *D. Antoninus loc. cit. Rosella verbo debitum num. 5. apud Sanchez loc. cit. disput. 2. num. 15.* Minimè excusari tunc coniugem negantem debitum, eo quod dies solemnis sit, aut Eucharistiam sit suscepturus, propter rationem suprà allatam, quamuis laudabile sit precibus non importunis hac occasione alterum auertere; per rationes suprà allatas.

10 An vir possit immoderatas abstinentias vouere, absque vxoris consensu, & pares sint in hoc coniuges, vt neuter possit vouere abstinentias.

Ex dictis infertur, virum absque vxoris consensu minimè vouere posse abstinentias, vigilias &c. quæ debito coniugali moderate reddendo obstent; sicut nec vxor inconsulto viro eadem vouere potest, quia neuter coniux potestatem sui corporis habet, quoad debitum coniugale persoluendum, *ità docent Glossa in cap. mani-*

Manifestum, verbo nisi aucthor 33. quæst. 4. Paludanus 4. distinct. 33. quæst. 3. art. 1. conclus. 7. num. 10.

11 An vir excusetur a ieiunio obligatorio, si reddatur impotens ad debitum, vel minus potens.

Secundò infertur, excusari a ieiunio Ecclesiæ coniugem, qui aliter vxori suæ reddere debitum non potest, quia sicut ieiunium non impedit opera necessitatis, & subinde non obligat eum, qui ieiunando munus suum obire nequit, ità nec opus obligationis, quale est hoc, eò vel maxime quod non reddere, est in præiudicium tertij. Insuper cum duo concurrunt præcepta incompatibilia, alterum humanæ abstinentiæ, alterum Iure naturale Diuinum, ad iustitiamque pertinens reddendi debitum, hoc tanquam fortiùs præualere debet. *Ità docent Caietanus summa verbo ieiunium cap. 5. de personis quas obligat ieiunium, §. excusantur infirmi ad finem. Emmanuel Sà. summa verbo ieiunium, §. excusat a ieiunio, & alij apud Sanchez loc. cit. Ludouicus Lopez 2. par. instruct. de ieiunio cap. 111. ad finem,* Vbi dicit tunc verum esse, excusari ex hac causa virum a ieiunio, quando nisi die illa ieiunij, qua debitum signis petit vxor vir reddat, patietur ipsa incontinentiæ periculum, aut ægreferet, aut suspicabitur virum amore alio turpi captum esse; Secus si precibus, & verbis blandis posset illam auertere. Hæc moderatio est valde probabilis.

Quare aberrant viri existimantes se a ieiunio excusari, vt fortiores sint ad copulam maritalem; nam vt suprà dixi, non tenetur vir vti calidis, vt potentior sit ad copulam, ac proindè minus poterit ieiunium ea de causa soluere; quod intelligo, vt dixi nisi vxori periculum incontinentiæ immineat, nisi vir ad copulam frequentiorem potentior efficiatur; lex enim charitatis tunc obligans, potentior est præcepto Ecclesiastico. *Sanchez lib. 9. de debito coniugali disput. 3. num. 10.*

12 Tertiò infertur, excusari vxorem a ieiunio, ratione conseruandi amorem mariti erga ipsam, vt ieiunans nequeat satis placere marito, a quo minus quam par est amatur, aut despicitur, quod pallida deformisque reddatur, quia est damnum notabile, estque valdè necessarius ad vitam coniugalem quietè traducendam mutuus coniugum amor. *Ledesma 2. parte 4. quæst. 17. art. 2. dub. 7. folio 201. colum. 3. Emmanuel Sà num. præcedenti relatus, Caietanus loc. cit.*

13 Quartò, Infertur idem dicendum esse de fœmina nubere volenti; si enim a ieiunio deformis efficiatur, ità vt difficillimè nubat, excusabitur a ieiunio, id enim notabile damnum censetur. *Ità Ludo-*

Ludouicus Lopez 2. par. instruct. de ieiunio cap. 111. ad finem.

14 Dubitabis, an idem censendum sit, nempè vxorem a ieiunio Ecclesiastico exusari ob viri præceptum, soluere iubentis.

Pars enim negatiua suaderi videtur, quia potius est Ecclesiæ obediendum;nec vir dominium habet in vxorem quoad præcepta Ecclesiæ, sicut habet quoad ieiunia, ad quæ sua spontè vouendo se mulier adstrinxit; Sed dicendum est ob solum præceptum viri minimè excusari; Verum si notabiles discordiæ oriantur inter ipsam & virum, nisi ipsi obtemperet, tunc aliqui dicunt posse soluere ieiunium, saltem accedente proprij Sacerdotis arbitrio. *Ità Innocentius Rubrica de obseruatione ieiunij num. 1. & ibi Abbas n. 8. Syluester verbo ieiunium quæst. nona cap. 8. §. 25. Philiarchus de officio Sacerdotum tomo 1. par. 2. lib. 3. cap. 25. §. quod ieiunia.* Qui benè hoc temperat cum Palacio, nisi in contemptum ieiunij Ecclesiastici id præciperet maritus, tunc enim vita potiùs exponenda esset, quam ieiunium omittendum. *Idem Sanchez loc. cit.*

15 An possint Coniuges mutuo consensu esse separati.

Resp. Possunt Coniuges mutuo consensu separari, quoad Torum; Probatur ex *1. ad Corinth. 7. nolite fraudari ad inuicem*, nisi ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, & ex *D. Gregorio, & refertur in cap. sunt qui 27. quæst. 2. vers. si verò*, Ibi, si verò vtrique conueniant continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare? *sic Sotus 4. distinct. 27. quæst.. 1 art. 4. vers. at verò citrà mortem.*

Hoc tamen intellige duplici moderatione, altera est dummodo legitima adsit causa, vt amor continentiæ seruandæ; Secus quando odio, aut indignatione ducti Coniuges communi consensu separantur. Altera ne patiatur vterque, aut alteruter incontinentiæ periculum, vtraque moderatio colligitur, ex testimonio *D. Pauli 1. ad Corinth. 7.* Nisi fortè de consensu ad tempus, & iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. *Et docent Hostien. in cap. veniens num. 1. de Regularibus, vbi Ioannes Andreas num. 9. Abbas cap. Ad id quod num. 3. de sponsalibus.*

16 An in extrema necessitate sit præferenda vxor parentibus, filijs, cæterisque viri cognatis.

In hac difficultate *Henriquez lib. 11. de matrimonio cap. 8. nu. 1.* ait, vxorem præferendam esse filijs, alijs cognatis, & refert pro se *D. Thomam 2. 2. quæst. 26. art. 11.* qui id minimè dicit; Sed sic distinguendum est, extrà casum extremæ necessitatis potiùs tenetur vir vxori, quam parentibus succurrere, quia in ijs quæ ad

æcu-

œconomicam rationem citrà extremam indigentiam attinent,arctior est coniugalis vnio, *iuxtà illud Genes. propter quod relinquet homo patrem & matrem &c. & adherebit vxori suæ. Et Matthæi 19. itaque iam non sunt duo, sed vna caro*. In extrema autem necessitate potiùs Parentibus est subueniendum, quia est debitum antiquiùs erga Parentes; & ratio boni, quod est dilectionis obiectum inuenitur eminentiùs in Patre, *teste D. Thoma citato art. 11.* diliguntur enim Parentes vt principium, ac proindè maior est cum illis coniunctio, quoad esse absolutè, quibus in extrema necessitate subuenitur, *ità videtur sentire D. Thomas 2.2. quæst. 26. art. 11. ad primum. & docent ibi Valentia 22. disput. 3. quæst. 4. punct. 5. Coroll. 10. & alij apud Sanchez lib. 9. disput. 4. num. 26.*

17 Quando Coniux peccat ob aliquam circumstantiam ipsi actui inhærentem, an peccet similiter reddens.

Regula est, quando petens delinquit mortaliter ob aliquam circumstantiam ipsius actus, & non ob circumstantiam personalem, tunc reddere est mortale, EG. petit Coniux in loco sacro, aut publico, aut cum periculo abortus, petitio illa non est illicita ob circumstantiam tenentem se ex parte petentis, sed ob circumstantiam ipsius actus, qui sanctitati loci sacri repugnat, ipsumque polluit, aut si est in loco publico aduersatur honestati naturali, aut si est cum abortus periculo, est in damnum tertij, ad cuius bonum actus ille suapte natura non ordinatur; Ac subindè ipsa redditio eandem malitiam habet, quia sicut petitio afficitur illa praua circumstantia, ità & redditio, vtraque enim polluit locum sacrum, aduersatur honestati, estque in tertij damnum. *Ità tradit Petrus de Soto lect. 16. de matrimonio fin. Sanchez lib. 9. de debito coniugali disput. 6. num. 16.*

18 An vsus matrimonij propter solam delectationem sit peccatum.

In hoc casu non desunt, qui asserunt actum coniugalem ob libidinem explendam exercitum, culpam esse mortalem, & probatnt primo ex *D. Hieronymo in cap. 5. ad Ephesios, & refertur in cap. liberorum 32. quæst. 4.* Ibi, liberorum in matrimonio opera concessa sunt, voluptates autem quæ de meretricum capiuntur amplexibus, in vxore damnata sunt; Et meliùs ex eodem *lib. 1. contrà Iouinianum, & refertur cap. Origo 32. quest. 4.* Ibi, adulter est in suam vxorem amator ardentior; Si ergo talis copula est damnata, & tanquam adulterina, erit manifesta lethalis culpa. Secundò quia coniux sic vtens coniuge, non refert illius vsum in Deum, sed in solam delectationem, ac proindè frui vult creatura, in ea con-

constituens vltimum finem; sic sentiunt *Hugo in dicto cap. Origo Hostien. summa tit. de matrimonio, §. quis sit effectus num. 23. fin. & alij apud Sanchez dicto titulo disput. 11. num. 1.* Addentes esse mortale, virum calidis vti, vel alijs medijs quibus naturam excitet, vt sepius coire possit.

Alij verò alterum extremum sequuti, censent nullam esse culpam actum coniugalem propter voluptatem exercitum; tum quia vti ad libitum re sua, qualis est alteruter coniux alterutrius, culpa vacat; tum quia in eo accessu inuenitur Sacramenti bonum, coniux enim propter voluptatem accedens, limites matrimonij non transgreditur, sed propter illius vinculum accedit, aliàs omninò astenturus, *sic tenent Amain in 4. distinct. 31. quæst. vnica, & ibi Maioris quæst. vnica conclus. 7. Celaia quæst. vnica fin. & refert Martinum de magistlis, Palacios ibi disput. 2. fol. 691. & sequentibus,* & dicit esse satis probabile. Hæc Opinio hodiè est damnata ab Innocentio Vndecimo num. nono, & lata est excommunicatio contrà asserentes, opus coniugij ob solam voluptatem exercitum, omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali.

Vltima opinio multorum DD. cui adhæreo, est, quod actus coniugalis solius voluptatis gratia exercitus, nec fines matrimonij transgrediens, sit tantum culpa venialis; Conclusionem hanc expresse docent *D. Augustinus de bono coniugali cap. 6 tomo 6.* Ibi Coniugalis concubitus generandi causa non habet culpam, concupiscentiæ verò satiandæ tamen cum coniuge, venialem; *& lib. 5. contrà Iulianum cap. 7. fin. tomo 7. Diuus Gregorius respons. 10. ad interrogationes D. Augustini, & habetur cap. vir cum propria 33. q. 4. D. Anselmus in eum locum D. Pauli 1. ad Corinth. 7.* hoc autem secundum indulgentiam dico. Quod autem sit veniale inde probatur, quia est debiti ordinis peruersio, cum actus suapte natura tendens ad prolis bonum, referatur ad finem voluptatis capiende; Adde abusum rei esse quærere actum propter delectationem illi adiunctam, cum delectatio sit propter ipsum actum, non verò actus propter delectationem illi adhærentem. *Ideò hanc tuentur D. Thomas 4. distinct. 31. quæst. 2. art. 3. D. Bonauentura art. 2. quæst. 3. & alij permulti apud Sanchez de debito coniugali lib. 9. disput. 11. num. 4.*

19 Vtrum ratione modi, vel situs, reddatur vitiosus congressus coniugalis.

Præmittendum verò est, qualis sit modus concubendi naturalis quoad situm; Is autem est, si mulier succuba, vir autem incubus sit, quia modus hic aptior est effusioni seminis virilis, rece-

ptionique in vas fœmineum, ac retentioni, & congruentior est rerum naturæ, cum vir agens, fœmina verò patiens sit. Quamobrem omnis deuiatio ab hoc modo aduersatur aliqualiter naturę, eoque magis quo fini huic situs contrarius est, vnde minor est deuiatio dum coniuges a latere, aut sedendo, standoue coniunguntur, pessimè tamen dum præposterè pecudum more, aut virò succubente, *ità aduertit Abulen. cap.5. Matt. quæst. 227. & omnes.*

Quæstio igitur est de qualitate culpæ, dum vir inuerso situ, aliquo modo ex dictis, seruato tamen vase debito, vxorem cognoscit.

Duplex est sententia. Prima culpam lethalem constituit in omnibus his modis, aut in aliquibus, Ratio est, tum quia is non est vsus vxoris, vt sic, vxor enim est ad solum naturalem concubitum; & confirmatur quia hi modi naturæ ordini aduersantur, nec ità certa est proles, tum quia est abusus Sacramenti coniugij. Constat autem peruersionem vsus, & ritus etiam accidentalium in alijs Sacramentis sacrilegam, lethaliter esse.

Præthereà nō solum situs, sed etiam personę conditio variatur, est enim naturale viro agere, fœminæ verò pati; vir autem succubans, quantum est ex ipsa situs forma patitur, & fœmina incubans agit, quam mutationem quantum natura ipsa abhorreat, quis non videat?

Insuper quia in *Historia scolastica cap. 31. super Genesim ex Metodio*, dicitur etiam diluuij causam fuisse, fœminas in insaniam versas abusas fuisse viris, illis incumbentibus, his succubis; & confirmatur quia teste *Abulense cap. 5. Matth. q. 227. & aliqui de hoc modo congressus exponunt locum illum, D. Pauli ad Romanos 1. num. 26* fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum, in eum qui contrà naturam est, quod inter peccata lethalia Paulus ibi annumerat, & ideò hanc sententiam tuentur de omnibus modis. *Vide Sanchez lib.9. de debito coniugali disput.16.num.12.& 3.& seq. qui multos DD. refert.*

Secunda sententia cui *idem Sanchez* tamquā probabiliori adhęret, ait, nullo ex his modis commiscendo se coniuges, seruato vase legitimo, esse culpam mortalem, sed grauem venialem, increpandosque esse grauiter coniuges ità coeuntes; Probatur primò quia semen non recipitur in fœmineam matricem per infusionem, seù descensum, sed per attractionem, eo quod sit virtus naturalis in ea, semen attrahens, sicut in stomaco respectu cibi; quod vel eo constat quod refert *D. Thomas quodlibeto 6. art. 18. citatus ab eodem Sanchez loco suprà citato* nempè cum fœmina quædam

dam in eodem lecto, cum patre accubaret, ab ipso semen in somnis emissum, attraxit, grauidaque inde effecta est. Idemque in balneis accidisse, in quibus erat semen a viro decisum; attestantur graues DD. Et hanc virtutem attractiuam esse in matrice docet *Aristoteles lib. 2. de generatione Animalium cap.* 4. Ergo nullus corporis situs in concubitu obstat generationi, ac proinde non constituet culpam lethalem, cum seruetur finis matrimonij legitimus, qui est, posse sobolem concipi: & inordinate quærere delectationem, intrà matrimonij limites, solum sit culpa venialis, & confirmatur, quia si matrix semen distans attrahit, a fortiori sibi contiguum attrahet; & retinebit, quare hanc opinionem tenet *Albertus magnus 4. distinct. 31. art. 24. & alij graues DD. apud Sanchez loc. cit. num. 3. Nauarrus verò cap. 16. num. 42.* inquit, quod Coniux habens copulam cum coniuge alia via quam naturali, extrà vas naturale, vel tali modo, quo vxor non possit suscipere semen, aut retinere, secundum omnes peccat mortaliter; Qui autem habet copulam intrà vas naturale, ità vt vxor possit suscipere semen, & retinere, non peccat mortaliter, quamuis fœdus sit modus, eam habendi, quamquam graue peccatum veniale admittit, & dignus est qui eo modo vtitur magna reprehensione, peiorque animali bruto, quod in eiusmodi actu modum naturalem seruat. *Nauarr. loc. cit.*

Quare si experientia constaret in eo concubendi modo semen minimè retineri, sed effundi ob fœminei vasis minimam humiditatem, vel laxitatem, esset peccatum mortale; iuxtà omnes, vt benè aduertit *Ludouicus Lopez prima par. instruct. cap. 82. §. igitur loquendo, & cap. 87. in fine*, quia impeditur generatio, quæ est finis principalis matrimonij.

Id autem aduertunt DD. aliquando inuersionem debiti situs, omninò culpa carere, videlicet vbi non captandæ voluptatis gratia accidit, sed aliqua iusta causa interueniente, vt quia dispositio corporis aliud non patitur, ob pinguedinem viri, vel propter suffocandi fœtus periculum in prægnante, vel alia simili causa honesta occurente. *sic D. Thomas 4. distinct. 31. in fine* in expositione literę, quamuis enim solius dispositionis corporis aliud non patientis meminerit, ac DD. extendunt ad alias iustas causas. *Caietanus in summa verbo matrimonium cap. vltimo de peccatis in vsu eius vers. 2. & 2.2. quæst. 154. art. 11. dub. 4. ad 4. §. ad 2. de modo. Ledesma part. 4. quæst. 51. art. 6. propos. 7. & alij apud Sanchez loc. cit.*

20 Difficiliùs tamen dubium est, an coniugi exigenti modo inde-

 bito

bito quoad situm, teneatur, aut licitè possit alter reddere,

Et quidem quando sic concubere esset lethale propter periculum effusionis extrà vas, non est dubium esse mortale, etiam reddere, *vt benè Ludouicus Lopez prima parte instruct. cap.* 82. §. *igitur loquendo*, & Ratio est, quia talis congressus est prohibitus ob cicumstantiam ipsi actui inhærentem, est enim contra naturam, atque perinde ac si vir peteret, & vxor cooperaretur sibi ad pollutionem, quare nullus timor etiam mortis excusaret tunc fœminam reddentem.

Quando autem est venialis culpa in exigente, est tota difficultas; Quidam enim ex ijs qui censent esse culpam venialem variare situm, dicunt vxorem non teneri teddere, quia non petitur debitum modo debito, & naturali, *sic Armilla verbo debitum n.*7. *& D. Antoninus* 3. *parte tit.* 1. *cap.* 20. §.7. vbi dicit Coniugi quocunque fine petenti, modò naturaliter petat, teneri alterum reddere; *& clarè* §. 5. dicit consulendum esse vxori ne reddat viro petenti, non seruato legitimo situ. Quamuis alij oppositam sententiam doceant quando adest tantum culpa venialis; vt est videre apud *Sanchez loc. cit.*

21 Vtrum sit culpa lethalis, quoties in actu coniugali, vase naturali omisso, innaturale vsurpatur.

Et quidem vbi in vase innaturali copula consumatur, aut est animus consumandi, manifesta est sodomia lethalis, peccatumque contrà naturam, quia aduersatur fini naturali illius copulæ, qui est prolis generatio, nec vxor ad similem copulam, sed ad solam copulam intrà vas legitimum vxor est. DD. omnes.

22 Quid si maritus velit sodomiticè copulam inchoare, non animo consumandi, nisi intrà vas naturale.

Circà hanc quæstionem tetigit *Nauarrus lib.* 5. *Consil. in vtraque editione tit. de pœnitent. & remis.Consil* 7. & facilè ab hac expediuit, dicens tantum reperiri peccatum tactus cuiusdam illiciti, quare apertè solam venialem culpam in eo actu agnoscit, nullamque reddit rationem; huic sententiæ fauere videtur *Ouandus* 4. *distinct.* 31. *quæst. vnica proposit.* 3. Vbi ait omnem coitum libidinosum excusari inter coniuges, modò non sit periculum extraordinariæ pollutionis.

Sed sententia eruditissimi Sanchez, cui adhæreo est vera, asserentis esse culpam lethalem sodomiæ inchoatæ, idque meritò, quia ille tactus nec ex se, nec ex tangentis intentione potest ad actum coniugalem referri, eo quod medium improportionatum, & alterius ordinis luxuriæ sit, quoniam non dicitur vas legitimum seruari

uari, quando vsurpatur illegitimnm, ad alterius luxuriæ ordinem tendens, licèt intrà illud non consumetur. *Idem Sanchez lib. 9. de debito coniugali disput* 17. *num* 5. Et hæc sententia est omninò tenenda.

23 Licitum est autem Coniugem tardiorem ad seminandum, ante concubitum, tactibus venerem excitare, vt vel sic possit in ipso concubitu simul cum coniuge effundere semen, *Caietanus* 2.2.*q*.15. *art*. 11. *ad finem dub*. 5. *Tabiena verbo luxuriosus quæst*. 6. §. 7. & ratio est, quia licèt semen mulieris non sit ad generationem necessarium, multum tamen confert ad faciliùs generandum, tum quia vis actiua seminis virilis in fœmineum agens, conceptum pulchriorem, ac nobiliorem format, tum etiam quia fœminea matrix voluptate effusionis seminis irritata, ac incensa auidiùs virile semen complectitur; Et fœmineum semen valdè vtile esse generationi, ad idque a natura iustitutum, vel ex eo conuincitur, quod natura nihil frustraneum, sed vniuersa in finem aliquem referens agit, & hæc seminis simul effusio licèt non sit necessaria est saltem vtilissima; quamuis non sit necesse vtrumque coniugem seminare simul, quare dum vir semen effundit, minimè tenetur fœminæ effusionem expectare.

24 Qualis culpa sit habito legitimè coniugali actu, fœtus conceptionem impedire, vbi id ad matris vitam tuendam desideraretur.

Primò præmitto, fœminam sumentem, & ei porrigentem potionem, vel quiduis aliud, quo prolis conceptioni obstetur, mortalis culpæ contrà naturam reum esse; ità vt nullo bono fine honestari possit, quia data opera impeditur semen a suò naturali fine generationis, parumque, & solum secundum magis, & minus distat a seminis effusione extrà vas, *ità D. Thomas* 4.*dist*. 27. *quæst*. 3. *art*. 1. *&* *quæst*. 1. *ad* 3. *in expositione literæ*, *&* *alij apud Sanchez de debito coniugali lib*. 9. *disp*. 20. *num*. 2.

Etiam infertur, similem esse lethalem culpam, quoties ex ipso congressus modo, est periculum abortus, secus quando non est ex modo inordinato, sed quod vxor sit infirmæ, ac delicatæ complexionis, quia vir in priori casu abortui causam præbet, secus in posteriori. *Henriquez lib*. 11. *de matrimonio cap*. 15. *num*. 4. *&* *Sanchez loc. cit*.

Duplex hic oritur difficultas; prior num liceat procurare abortum fœtus nondum animati, necessarium ad matris salutem; Posterior num liceat matri medicinis vti ad salutem tuendam, cum fetus animati abortus periculo.

25 Et

PARS XVII.

Tractatus valdè vtilis de Bigamia.

QVÆSTIO XXXVI.

SVMMARIVM.

Quid, & quotuplex sit Bigamia, & qualiter ex vera Bigamia irregularitas oriatur.

1 *Quid sit Bigamia.*
2 *Quotuplex sit Bigamia.*
3 *An contrahatur irregularitas bigamiæ, absque matrimonio de iure, vel de facto inito.*
4 *Vtrum in quacunque bigamię specie, quæcunque matrimonia ineantur, & cum fœmina cuiusque status, contrahatur irregularitas in illis matrimonijs sine comixtione carnali.*
5 *Minor difficultas an requiratur ad incurrendam irregularitatem in illa copula, seminis virilis emissio intrà vas fœmineum.*
6 *An contrahens & consumans matrimonium cum ea quæ corrupta est, non membro naturali viri, sed aliquo instrumento, vel cum membro virili, non intromisso semine, efficiatur bigamus, aut irregularis.*
7 *Magna difficultas. Dubitatur an matrimonium duplex contractum antè baptismum, vel vnum antè, & aliud posteà, vel vnicum cum corrupta antè baptismum, vel cognouisse vxorem adulteram, & tandem omne illud matrimonium, quod post baptismum contractum efficeret contrahentem bigamum, & irregularem, efficiat similiter si ante baptismum ineatur.*

De Bigamia interpretatiua.

8 *Quare contrahatur irregularitas ex Bigamia interpretatiua.*
9 *Quot modis incurratur Bigamia interpretatiua.*
10 *Quæ differentia sit inter Polygamiam, & Bigamiam.*
11 *Rogabis cur Ecclesia statuerit illum esse bigamum, vel irregularem, qui*

qui contraxit cum fœmina ab alio cognita; non fit verò bigamus qui contraxit matrimonium cum virgine, licèt ipse sæpiùs fornicatus sit.

12 *An per multiplicatas fornicationes, vel adulteria ex parte viri inducatur bigamia.*

13 *Vtrum dicatur bigamus, qui cum fœmina vidua, vel corrupta contraxit matrimonium inualidum, ob aliquod impedimentum dirimens.*

14 *An copula nefanda sufficiat ad irregularitatem bigamiæ incurrendam.*

15 *Quæ requirantur ad incurrendam irregularitatem bigamiæ.*

16 *An multiplicitas matrimonij rati, & nondum consumati, inducat bigamiam.*

17 *Quando dicatur matrimonium consumatum.*

18 *An sponsalia multiplicata, etiamsi subsequuta sit copula inducant bigamiam.*

19 *An dicatur bigamus, qui post separationem à sua vxore adultera, reconciliationem cum ea inijt, eamque post reconciliationem carnaliter cognouit, etiam de mandato Iudicis.*

20 *Vtrum ducens fœminam à se solo defloratam, efficiatur irregularis.*

De Bigamia similitudinaria.

21 *Qualiter incurratur irregularitas ex bigamia similitudinaria.*

22 *An Clericus in sacris constitutus virginem ducens fiat irregularis.*

23 *Quid dicendum de professo ad nuptias transeunte, etiamsi cum virgine.*

24 *An Bigamiæ irregularitas tollatur per ingressum Religionis, & aliæ irregularitates.*

25 *Quis possit in Bigamia dispensare.*

26 *An Episcopus possit dispensare cum bigamis, saltem ad suscipiendos Ordines minores, vel ad vsum susceptorum, vel ad primam Tonsuram, vel ad beneficium simplex.*

27 *An Episcopus possit dispensare in bigamia similitudinaria cum eo, qui contraxit cum virgine, si occulta sit.*

28 *Queres an bigamus, qui ordinibus fuit initiatus absque dispensatione gaudeat priuilegijs Clericorum.*

29 *An ad impetrandam bigamiæ dispensationem, sit opus explicare ternas, vel quaternas nuptias interuenisse, & quid si concurrant simul duæ, vel tres species bigamiæ, scilicet veræ, interpretatiuæ, & similitudinariæ.*

30 *Quæsitum scitu dignum, & notabile.*

31 *Minor autem difficultas est, an filij nati ex matrimonio inualido ob impedimeutum occultum, censeantur legitimi, dum vterque contrahens*

trahens bona fide, ex probabili errore iuris vel facti contraxit in facie Ecclesiæ, scilicet coram Parocho & testibus, & factis denunciationibus.

De Bigamia.

Quid, & quotuplex sit Bigamia, & qualiter ex vera Bigamia irregularitas oriatur.

1 Bigamiæ irregularitas est quædam irregularitas orta ex defectu Sacramenti, scilicet ex defectu significationis Sacramenti; Cum enim ad Ordines promoti creentur Sacramentorum Ministri, decuit promouendos nullum circà Sacramenti significationem defectum pati; Bigamus autem defectum in matrimonij Sacramento patitur, eò quod matrimonium ideò rationem Sacramenti induit, quod significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, quæ coniunctio est vnius cum vna; At Bigamia hoc tollit., Bigamus enim cum pluribus matrimonium inijt: quæ ratio traditur *à Cælestino 3. in cap. debitum de bigamis*, Solet etiam alia ratio tradi, quod duplici matrimonio copulari, signum nimiæ incontinentiæ sit, quæ valdè Ecclesiæ ministros dedecet. Aptè autem matrimonium significat vnionem Iesu Christi, cum Ecclesia vnica sua, & sancta Sponsa; *& Glossa in dic. cap. Debitum de bigamis*, inquit, quod vir significat Christum, qui copulauit sibi Ecclesiam militantem. *Apostolus ait 2. Corinth. 11. Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Vxor verò significat Ecclesiam triumphantem, in qua non est macula, neque ruga. *Apocal. 21. Vidi Ciuitatem sanctam descendentem de Cælo, sicut sponsam ornatam viro suo. Hymn. Regina formosissima Christo iugata Principi, Cæli corusca Ciuitas &c.* ad quam nos Christus per magnum Incarnationis Mysterium, & suam passionem aggregauit. Et sic vtraque, scilicet tam Triumphans, quam Militans Ecclesia dicitur, ac vocatur vnica Christi sponsa. *Glossa in penultimo §. in dicto cap. Debitum de bigamis.*

2 Triplex autem communiter species Bigamiæ assignatur.

Prima est Bigamia vera, quæ est quoties quis duplex matrimonium legitimum init, vtrumque consumans; dicitur hæc vera bigamia, quia in hoc duplici matrimonio verè deficit repræsentatio vniùs matrimonj Christi cum vnica Ecclesia, habetur autem hæc species *in dict. cap. Debitum de bigamis. cap. Percipimus*

 distinct.

distinct. 34. & cap. finali distinct. 51. quod est ex Concilio Toletano 4. cap. 18.

Secunda est Bigamia interpretatiua, quæ est, cum duplex matrimonium initur, & consumitur vtrumque, non tamen vtrumque validum est, sed solum alterum, aut neutrum; Vel cum quis ducit non virginem, hoc est viduam, vel si virginem duxit, eam post adulterium cognouit; de qua disserendum est infrà.

Tertia est Bigamia similitudinaria, nempè cum quis in sacris constitutus, aut professus matrimonium init, & consumit, etiam cum vnica & virgine, de qua etiam infrà disserendum est.

In Præsenti de Bigamia vera discutiendum est.

3 Ex his deducitur, numquam Bigamię irregularitatem contrahi, absque matrimonio de iure, vel de facto inito, quare nullo modo contrahitur ob plurimum cuiusque status concubinatum, vt expresè de presbytero plures concubinas habente decernitur *in cap. penultimo de bigamis*, & docent omnes: Et ratio est, quia cum desit matrimonium cum illis, & affectus ad matrimonium, contrahendo illud irritum; Imò coniunctio illa concubinaria, nihil habeat cum coniunctione Christi, cum Ecclesia, nec ad illam significandam apta; ideò ab eius significatione deficit.

4 Id autem tamquam fundamentum in quauis bigamiæ specie statuendum est, nullam bigamiæ speciem cotrahi, nec ratione illius irregularitatem, quæcunque matrimonia ineantur, & cum fœmina cuiusque status, nisi carnalis commixtio in illis matrimonijs intercedat; vt expresè definitur *in cap. Debitum de bigamis de contrahente duo matrimonia, vel cum vidua*; si enim non sit in vtroque Coniugio copula, non est bigamia.

Et similiter decernitur ibi, cotrahentem cum vidua, a priori viro non cognita, minimè esse irregularem, quamuis cum illa consumat. Nec similiter si contrahat cum vidua a prIori viro cognita, vel qualitercunque corrupta, si cum illa copulam non habeat, non incurrit in irregularitatem, *cap. finali dist. 34. quod est ex Gelasio Papa*; & ratio redditur *in dic. cap. Debitum*, quod matrimonium copula non consumatum, minimè sufficiat ad significandum matrimonium Christi cum Ecclesia, per Incarnationis Mysterium contractum; Nec vir ille dicitur carnem suam in plures diuisisse, ac proindè huiusmodi matrimonium qualitercunque contractum, aptum non est ad tollendam perfectam Sacramenti matrimonij significationem; Nec obstat *cap. fin. de bigamis*, ibi, enim sermo habetur de Subdiacono ineunte matrimonium, atque ità vt bigamus & irregularis habetur; In hoc casu ponderatur af-

fectus

fectus intentionis cum opere subsequuto. *vbi Glos. fin. explicat cum opere, scilicet carnali*. Atque ità docent DD. & specialiter cum hac generalitate docent *D. Thomas 4. distinct. 27. quæst. 3. art. 1. & ibi Paludanus quæst. 4. art. 2. num. 10. & 11. Toletus lib. 1. summæ cap. 26. num. 5. & alij*. Et sic non sunt audiendi aliqui asserentes per matrimonium ratum contrahi bigamiam, quod omnes reprobant per Textum expressum *in cap. Debitum de bigamis*, quare copula necessaria est, vt quis irregularitatem incurrat, sicut in bigamia vera, & interpretatiua, *& ità docent Anton. cap. nuper nu. 7. de bigamis, & ibi Abbas num. 3. Tabiena verbo bigamia quæst. 3. fin.* Eiusdem sententiæ videntur clarè esse alij DD. qui explicantes casum bigamiæ similitudinariæ, quam Ordine Sacro, aut professione ligatus matrimonium iniens incurrit, aiunt si matrimonium ineat, & consumat. *Ricchardus 4. distinct. 27. art. 4. quæst. 1. corpore & ibi Paludanus quæst. 4. art. 2. num. 12. Nauarrus summa cap. 27. num. 195. Emmanuel Sà summa verbo irregularitas, in irregularitate ex bigamia num. 4. & alij apud Sanchez de bigamia*.

5 Minor autem difficultas est, an requiratur in copula illa seminis virilis emissio intrà vas fæmineum; Quidam enim id negant, asserentes satis esse ad bigamiæ irregularitatem vasis fæminei absque seminis immissione penetrationem, ducuntur quod per eam copulam præsumat Ecclesia seminis emissionem, ac proindè matrimonium perfectè consumatum esse; Atque ideò existimant contrahi irregularitatem hanc per talem copulam, quia deficitur a perfecta sacramenti significatione, quoad externa. *Ità Paludanus, Tabiena Viualdus Henriquez lib. 11. de matrimonio cap. 15 num. 3.* addens hunc in vtroque foro esse bigamum, *& alij apud Sanchez lib. 7. de bigamia disp. 83. num. 6.* & ità hæc pars est valdè probabilis.

At probabiliùs *Sanchez citatus*, & alj ab eodem relati existimant non oriri bigamiam nec irregularitatem in foro conscientiæ ex eiusmodi copula, sed tantum in foro externo ob præsumptionem perfectæ copulæ; Quare si hæc res occulta esset, ac posset ille absque scandalo ad ordines promoueri, ea copula non obstaret, nec dispensatione indigeret, vtpotè qui verè bigamus non est, *quia in dic. cap. Debitum de bigamis* expresse petitur coniugium commixtione corporum consumatũ, sufficiens ad representandam coniunctionem Christi cum Ecclesia per Incarnationis Mysterium; At non est consumatum sola vasis penetratione, nec id matrimonium repræsentat vnionem Christi, vt dixi, sed solum quando copula consumatur, ergo non inducit bigamiam, defi-

ciente feminis emissione; Præterea quia hic non diuidit carnem suam in plures, ac si copula non interuenisset; non enim fit vna caro cum Vxore sic cognita, cum matrimonium minimè consumauerit, vt habetur in *cap. lex 27. quæst. 2. & cap. 2. de conuers. coniug.* & ità hanc partem sustinet idem *Sanchez loc. cit. Borgasius de Irregularitate par. 5. tit. de bigamis nu. 21. & 22. Vega primo tomo summæ cap. 38. casu 4.*

6 Hinc deducitur contrahentem, aut habentem copulam cum ea, quæ corrupta est, non membro naturali viri, sed aliquo istrumento, vel cum membro virili non intromisso semine, minimè effici Bigamum, aut irregularem; quod verè carnem suam in plures non diuiserit; quamuis aliqui DD. contrarium sentiant, dicentes satis esse eam fęminam corruptam esse absque seminis effusione. *Sanchez verò cum DD. citatis*, inquit primam sententiam esse probabiliorem.

Similiter voluntariè polluta absquè viri congressu est solum materialiter virgo, & illam ducens non est Irregularis; E conuerso violenter corrupta cum seminis immissione, est formaliter virgo, & tamen illam ducentem reddit bigamum. Idem dicendum quamuis fœmina verè virgo sit, quoad corpoream integritatem, si tamen virile semen ex concubitu, quacunque arte receperit intrà vas, id sufficeret ab bigamiam, quia ea copula matrimonium consumatur, & efficitur fœmina vna caro cum eo, cum quo concubuit. Non tamen erit bigamus, aut irregularis, si vxor aut fœmina, quam ducit sit sola copula extrà vas cognita, aut sodomiticè, vt docent *Viualdus candelabro Sacramen. 2. par. disput. 21. num. 2. 23. & 25. & Sanchez loc. cit.*

7 Demum dubitatur, an matrimonium duplex contractum antè baptismum, vel vnum antè, & aliud posteà, vel vnicum cum corrupta ante, vel post baptismum, vel cognouisse vxorem adulteram, & tandem omne illud matrimonium quod post baptismum contractum efficeret contrahentem bigamum, & irregularem, efficiat similiter, si ante baptisma ineatur.

Qua in re, magna orta est quæstio inter D. Augustinum, & D. Hieronymum, nam hic *Epistola 83. ad Oceanum, & refertur cap. 1. & 2. fin. quæst. 3. & in Epistola ad Titum cap. 1.* sentit ea matrimonia antè baptismum inita, non imputari ad hanc irregularitatem contrahendam; Idem sustinent *Glossa ordinaria in littera 1. ad Timotheum 3. Maioris 4. distinct. 27. quæst. 6. dub. vltimo.*

Ductus est autem D. Hieronymus, quod ea matrimonia iam baptizato non imputentur, quasi nouus homo per baptismum

effe-

effectus sit. Secundò quia cum hæc irregularitas sit de Iure Pontificio inducta, non potest afficere Infideles. Et confirmatur quia priuatio supponit habitum, vt est commune Axioma dialecticum, Cum verò Infidelis sit incapax ordinis, erit quoque incapax irregularitatis, quæ priuationem habilitatis ad ordines suscipiendos importat. Tandem à pari; quando affinitas ex fornicatione consurgens non contrahitur ante baptismum; nec etiam impedimentum aliquod præstat matrimonio post baptismum, quia non enti, nequit inesse qualitas aliqua. *l. si seruum §. 1. ff. de act. emp.*

In contrariam autem sententiam iuit *D. Augustinus in Epistola ad Titum, & de bono coniugali cap. 18. & refertur in cap. Acutius distinct. 26. & cap. fin. 28. quæst. 3. & D. Ambrosius lib. 1. de officijs cap. vltimò, & refertur cap. penultimo distinct. 26. & penè vniuersi Theologi sequentes D. Thomam 4. distinct. 27. quæst. 3. art. 2. & omnes DD. Iuris Pontificij cap. Gaudemus de diuortijs, cum Glossa in cap. 1. verbo post baptismum dist. 26. & cap. 2. verbo dispensare de bigamis*. Et iam hoc est definitum ab Innocentio *Epistola 22. cap. 2. & Epistola 2. cap. 5. & refertur cap. Deinde distinct. 26. & cap. si quis viduam il primo 34. distinct.* Ibi: si quis viduam, licèt laicus duxerit vxorem, siuè ante baptismum, siuè post baptismum, non admittatur ad Clerum, quia eodem vitio videtur exclusus. In baptismo enim crimina dimittuntur. *Et cap. vna tantum distinct. 26.* Ibi: in baptismo culpa dimitti potest; quare iam certum est, quod sicut omne illud matrimonium, quod propter significationis defectum reddit bigamum, & irregularem, si post baptismum ineatur; impedire quoque antè baptismum initum, ne infidelis ille possit post baptisma susceptum promoueri ad ordines; Et ratio est manifesta, quod Ecclesia non induxit impedimentum hoc ad Ordines suscipiendos, in alicuius delicti pænam, vt ea post baptismum vna cum delicto remittatur; Sed quia id matrimonium non est aptum ad significandam coniunctionem Christi cum Ecclesia; qui defectus æque inuenitur in matrimonio antè baptismum, ac post illum inito; sicut antè baptismum corrupta, non consecratur post illum instar Virginum; Vide præfatum *cap. Vna tantum vltimo distinct. 26.* Ibi: Intelligere debemus, quia in baptismo culpa dimitti potest, lex aboleri non potest; In coniugio non culpa, sed lex est, quod culpæ est igitur, in baptismo relaxatur, quod legis est, in coniugio non soluitur. Ità refert *Sanchez lib. 7. de impedimentis disp. 65. num. 10. in fine & num. 11. & disp. 83. num. 8. & 9. vide Bonacinam de Irregularitate, & defectu Sacramenti, disp. 7. qu. 2. punct. 5. num. 13.*

De Bigamia Interpretatiua.

8 QVare contrahatur Irregularitas ex Bigamia Interpretatiua. Bigamia interpretatiua ob id dicitur, quod a vera Bigamia partim deficit, partim verò illi assimilatur; deficit a vera, quod hæc contrahitur facta vera diuisione carnis, per duo consumata, & legitima matrimonia. At in interpretatiua non verè diuiditur caro in plures, sed ex quadam Iuris interpretatione, aut propter affectum contrahentis, qui duo contraxit, & consumauit coniugia, quamuis non validè vtrumque, aut saltem alterum; ac proinde ex parte suæ voluntatis, ac affectus carnem suam in plures diuisit.

Aut propterea quod cum per matrimonium consumatum efficiatur vna caro cum vxore, ducens viduam a priori viro cognitam, vel quamcunque corruptam, atque cum ea consumans; vel ducens Virginem, & post adulterium illam cognoscens, censeatur ex Iuris interpretatione carnem suam in plures diuisisse; propterea Vxor cum qua efficitur vna caro, in plures diuisit, nempè in ipsum Virum cognoscentem, & in eum, a quo aliàs cognita fuit, quare id matrimonium deficit a significatione matrimonij Christi cum Ecclesia, quod est vnius, cum vna intacta.

9 Hinc deducitur quatuor modis posse bigamiam hanc interpretatiuam incurri.

Primus, est quando quispiam duo init, & consumat matrimonia, alterum de Iure, idest validum; & alterum de facto, idest irritum, siuè priori coniuge viuente, siuè defuncta.

Secundus est, quando duo init matrimonia de facto, idest ambo irrita.

Tertius est, quando ducit Viduam, a priori viro cognitam; vel per fornicationem corruptam, & cum ea consumat matrimonium.

Vltimò quando Virginem a se ductam, atque postmodum adulterij ream carnaliter cognoscit, de quibus modis est seorsim agendum.

Bigami omnes prædicti a promotione ordinum repelluntur, & sunt ipso Iure Irregulares. Assignant verò DD. quatuor causas ex Canonibus collectas; propter quas Bigami irregulares sunt, & ab Ordinibus arcentur, quas collegit Panormitanus in Rubrica prima de Bigamis.

Pri-

Prima est ex defectu Sacramenti; ex *cap. debitum de bigamis*. Est autem defectus Sacramenti sic; Bigamia enim non habet totam perfectionem matrimonij, quantum ad significationem, nam matrimonium signum est, non tantum vnionis Animæ cum Deo per gratiam, & vnius Verbi cum natura humana, sed etiam vnionis Christi cum Ecclesia. *cap. debitum de bigamis*, hanc tertiam significationem non habet Bigamia, nam vnio Christi cum Ecclesia, est vnius cum vna, Bigamia autem est vnius cum pluribus, nempè vnius Vxoris cum pluribus maritis successiuè, aut vnius mariti cum pluribus Vxoribus; cum ergo Sacerdotis sit ministrare Sacramenta, meritò repellitur ab Ordinibus, is qui imperfectè recipit vnum Sacramentum, hac de causa Irregularitas hæc dicitur ex defectu.

Altera causa est, propter prærogatiuam Ordinis. *distinct. 26. Can. vna*, vt tanto Officio nemo accederet, qui imperfectione aliqua esset notatus.

Tertia est, quia præsumitur incontinens, qui pluries contrahit. *Can. proposuisti distinct.* 82. Bigamus enim quisque incontinentiæ argumentum habet.

Quarta est, quia Bigamus non potest facilè cæteros hortari ad castitatem, & continentiam, quam de eo non præsumunt. *Can. vna distinct.* 26. Hæ sunt causæ propter quas Canones a Promotione, & Ordinum exercitio repulerunt Bigamos, quamuis non sint omnes hæ causæ simul in singulis Bigamis, vt in sequentibus manifestabitur.

Primus ergo modus, & secundus Bigamiæ interpretatiuæ sunt, quando quis duo init matrimonia irrita, vel saltem alterum irritum, & alterum validum; neuter modus inuenitur in Iure expressus, sed vtrumque colligunt DD. ex ratione tradita *in cap. Nuper in fine de bigamis*, vbi sermo habetur de Clerico, qui ante sacrum ordinem matrimonium contraxit, atque in eo iam constitutus aliud inijt, atque deciditur eum tanquam Bigamum reputandum, non propter Sacramenti defectum, cum saltem posterius matrimonium irritum fuit, sed ob intentionis affectum ad duo matrimonia cum opere carnali subsequuto; & ex parte sua vtrumque contraxit, licèt obstante Ordine sacro, posterius fuerit irritum; atque sic contraueniens, erit ex Iuris interpretatione Bigamus & Irregularis.

Atque ideo priorem modum quando vtrumque matrimonium est irritum, affirmant ex Theologis *Ricchardus* 4. *distinct.* 27. *art.* 4. *quæst.* 3. *ad primum*. ibi *Paludanus quæst.* 4. *art.* 2. *num.* 10. *Sotus quæst.*

quæst. 3. art. 1. Col.4. Nauarrus in summa cap.27. num. 195. & alij.

Posteriorem autem modum, nimirum quando alterum matrimonium est validum, alterum autem irritum, siuè simul, siuè successiuè inita sint, docent ex Theologis *D. Thomas 4. distinct. 27. quæst.3. art. 1. quæstiuncula prima, in corpore, &* ibi *Durandus qu. 4. num.7. Maioris quæst. 6. paulo post principium, & alij apud Sanchez lib.7. de imped. disp.84. num. 3. de bigamia.*

Hinc deducitur Irregularem esse, qui vera Vxore nondum cognita, eaque superstite ad aliud de facto matrimonium transit, illud consumans, si posteà coactus ab Ecclesia redire ad legitimam Vxorem, eam carnaliter cognoscat, quod ex tunc verificetur hunc duo inijsse, ac consumasse matrimonia, alterum de Iure, alterum de facto. ità *D. Thomas 4. distinct. 27. quæst. 3. art. 1. Astensis 2. par. summæ lib.6. tit.7. art. vnico quæstiuncula 2. apud Sanchez loc. cit. num. 4.*

Tertiùs modus bigamiæ interpretatiuæ est, quando quis vnicum matrimonium cum Vidua contraxit, dummodo sit a priori Viro cognita. *Can. curandum distinct. 34. & cap. 2. de bigamis,* siuè eam duxerit antè baptismum, siuè post, vt habetur *Can. si quis Viduam distinct. 34.* in quo præponitur sententia Augustini opinioni Hieronymi, vt supra dixi. Si tamen Vidua remansit virgo, qui cum ea contrahit non est irregularis, vt patet *cap. debitum de bigamis.* Et si aliquis duxerit Viduam cognitam, tamen ipse non cognouit, non fit Irregularis, hoc deciditur ex eodem *cap. debitum*; vt expresè docent Panormitanus. *cap. super eo de bigamis num. 7. & Turrecremata Can. si quis viduam distinct. 34.* & est communis sententia vt dicit *Toletus de bigamia cap. 60.*

Sicuti etiam, quandò quis ducit corruptam ab alio, etiamsi semel celebret nuptias, censetur Bigamus, & est Irregularis. *Can. Qui in aliquod distinct. 51. & Can. Curandum est distinct. 34.* hoc autem debet intelligi, quando cognouit eam, aliter enim non censebitur irregularis; vt notat Panormitanus *cap. super eo de bigamis, num. 7.* Vbi notat idem Panormitanus, etiamsi ignoranter eam cognouerit, censetur irregularis. Vnde qui ducit aliquam putans Virginem, & corrupta est, eamque cognouit ignoranter, Irregularis est. Idem affirmant *Glossa cap. Nemo distinct. 32. Toletus loc. cit.* Ignorantia enim non excusat a bigamia, cum non efficiat, quin caro illius fœminæ in plures diuisa fuerit. *Bonacina de Irregularitate ex defectu Sacramenti disp. 2. quæst. 2. punct. 5. nu. 10. Nauarrus cap. 27. num. 195. & alij communiter.*

10 Sciendum, tunc dici Polygamiam quando simul plures haben-

tur Vxores. Bigamiam verò propriam, & veram esse, quando plures Vxores successiuè habentur, quando scilicet mortua prima, ducitur secunda. *Bonacina de impedimentis matrimonij qu. 3. punct.* 10. *num.* 1.

11 Rogabis, cur Ecclesia statuerit illum esse Bigamum, vel irregularem, qui contraxit cum fœmina ab alio cognita; non esse verò bigamum, qui contrahit matrimonium cum virgine, licèt ipse sæpiùs fornicatus sit.

Respondetur, hoc statutum fuisse ab Ecclesia, tum quia defectus virginitatis in Sponsa arguit maiorem indecentiam, quam in Viro, est enim ignominiosum ducere fœminam fornicariè cognitam ab alio, sicut etiam ignominiosum videtur contrahere cum scenica, idest publica fabularum actrice, & ob id contrahens cum ea est Irregularis, etiamsi illa Virgo fuerit. vide *Can. si quis* 115. *distinct.* 34. Contrahens enim cum vili persona, similis illi efficitur.

Tum quia sicut motus non specificatur a termino a quo, sed a termino ad quem; Ità etiam matrimonium, non specificatur ab ipsomet contrahente, qui sæpiùs fornicatus est, sed ab altero contrahente ad quem terminatur, qui est fœmina, cuius caro sępiùs diuisa est, vndè si fœmina esset capax Ordinum fieret bigama ducendo Virum fornicarium, sicut ipse Vir fit bigamus contrahendo, & consumando matrimonium cum ea, quæ fuit ab alio carnaliter cognita. *Suarez sec.* 3. *num.* 9. *Sayrus cap.* 4. *nu.* 13. *Filiuccius num.* 117. *Bonacina de Irregularitate disp.* 7. *quæst.* 2. *punct.* 5. *num.* 7. *& alij communiter*.

12 Additur, multiplicatas fornicationes, vel adulteria ex parte Viri non parere bigamiam, nam ad incurrendam Bigamiam non sufficit quęlibet ex parte viri, sed requiritur vt copula habeatur cum ijs, cùm quibus contraxit matrimonium, matrimonium enim est illud, quod significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, quam non significat fornicatio. *cap. Acutius* 28. *quæst.* 3. Quo circa ille non dicitur Bigamus, qui post multas fornicationes cum alijs fœminis, etiam Viduis commissas; contraxit, & consumauit matrimonium cum Virgine. *cap. Quia circà de bigamis*; consequenter benè ait *Vgolinus*, *Reginaldus*, *& Sanchez* Presbyterum qui plures Concubinas habuit, non ligari irregularitate bigamiæ *Bonacina loc. cit.*

13 Insuper additur, illum non esse bigamum, qui cum fœmina Vidua, vel corrupta contraxit matrimonium inualidum, ob aliquod impedimentum dirimens; Ratio est, tum quia existente

matrimonio inualido, nulla est significatio, seu defectus significationis, tum quia non est expressum in Iure hunc esse Bigamum, ità *Nauarrus cap.27. num.195.*

14 Neque ad Irregularitatem Bigamiæ sufficit copula nefanda, tum quia hæc non significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, tum quia ex nullo titulo apparet hanc esse Bigamiam. ità ait. *Vgolinus loc.cit. §.1. nu.5. & alij communiter.*

15 Ex dictis colligi potest, ad Bigamiam duo requiri, primò vt matrimonium cum duabus contrahatur verè, aut Interpretatiuè, aut similitudinariè. Secundò requiri copulam actualem; Nam matrimonium ratum, significat vnionem Verbi cum Ecclesia per gratiam; Consumatum verò significat coniunctionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem. Bigamia verò inducta est quatenus matrimonium cum duabus consumatum non perfectè significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, per mysterium Incarnationis.

16 Præterea addo, multiplicitatem matrimonij rati, non dùm consumati, non inducere Bigamiam, consequenter illum non esse Bigamum, qui contraxit cum vna, eaque mortua ante consumationem matrimonij, nouum matrimonium contraxit cum virgine, & cum ea copulam consumauit, nullo enim titulo est Bigamus: vt patet ex *cap. Debitum de bigamis*; Sicut non est Bigamus qui ducit eam in vxorem, quæ contraxerat matrimonium cum altero, morte præuento antè consumationem matrimonij. *cap. vltimo distinct.* 34. Ratio est, quia deficit carnis coniunctio.

17 Tunc dicitur matrimonium consumatum, quando fœmina recipit semen intra vas debitum, quouis modo receperit. Ità *Vasquez Sanchez disp.* 83. *Toletus lib.* 1. *cap.* 61. & 62. *Bonacina loc. cit. & alij communiter.*

18 Etiam multiplicata sponsalia non inducere bigamiam, etiamsi subsequuta sit copula, quia sponsalia coniuncta cum copula, non significant coniunctionem Christi cum Ecclesia per incarnationem, sicut significat matrimonium consumatum, inquiunt *Valentia tom.*4. *disp.*7. & 19. *punct.*5. *colum..*1437. *& alij communiter.*

19 Dico, illum etiam esse bigamum, qui post separationem a sua Vxore adultera, reconciliationem cum ea inijt, eamque post reconciliationem carnaliter cognouit. ità *Couarr. in Clemen. si furiosus* 1. *p.* §. 2. *num.* 2. *Reginaldus num.* 83. *Bonac. loc. cit. & alij.* Et hoc verum est etiamsi debitum reddiderit de mandato Iudicis, adhuc enim deficit significatio. ità *Maiolus lib.*1. *cap.* 32. *nu.* 7. *Suarez disp.*49. *sec.*3. *num.*17. *& DD. communiter apud Sayrum cap.* 4. *num.* 20.

Et

Et idem dicendum est quamuis fœmina sit vi præcisa cognita; illam enim ducens, aut etiam ductam virginem, cognoscens post adulterium violentum, efficitur Irregularis & Bigamus, quamuis enim illa vis præcisa excuset fœminam a culpa, tamen non efficit matrimonium illud esse aptum ad significandam coniunctionem Christi cum Ecclesia; atque ità d ocent *Glossa cap. Nemo, Verbo Virgo distinct. 32. Turrecrem. Henriquez lib. 12. de matrimonio cap. 6. num. 19. & alij apud Sanchez lib. 7. de impedim. disp. 84. num. 15. in fine.*

20 Vltima difficultas an ducens fœminam a se solo defloratam efficiatur Irregularis.

Duplex est sententia. Prior affirmat, deducitur ex *cap. Qualis 30. quæst.* 5. quod est ex Leone Papa, ibi de Sponsa habenda, ne quispiam Bigamus efficiatur, sic dicitur qualis debeat esse Vxor, quæ habenda est secundum legem; Virgo, Casta, & desponsata in Virginitate. Et *cap. vnico de Clericis coniugatis in 6.* Ibi: qui cum vnicis, & Virginibus contraxerunt, vbi clarè petitur virginitas Vxoris, tempore initi matrimonij, etiam in præsenti casu in hac deficit, cum reuera adsit corruptio tempore consensus, & consumationis matrimonij, consequenter per id matrimonium non possunt significari nuptiæ inter Christum, & Ecclesiam; alias etiam rationes DD. adducunt apud *Sanchez*, ergo nequit efficere, vt ducens corruptam a se, non sit Bigamus.

Posterior sententia cui adhæreo, tenet hunc non esse Bigamum & irregularem. Probatur, quia irregularitas ducentis corruptam ideò contrahitur, quod cum fęmina, cum qua vir efficitur vna caro, diuiserit carnem suam in plures, censeatur etiam virum diuisisse ex Iuris interpretatione, quod hìc nullatenus reperitur; Vxor enim non diuisit carnem suam in plures, cum ab vno solo cognita fuerit; Prætereà quia matrimonium illud retrotrahitur purgans præcedens vitium. *Cap. Tanta, qui filij sint legitimi,* atque ità perindè est, ac si a principio quando ipsam Virginem deflorauit, duxisset; Et argumenta contraria non obstant, nam hi textus petunt virginitatem in Vxore tempore initi matrimonij, ad hunc sensum, vt ea non sit ab alio corrupta; Et ideò hanc sententiam tuentur ex Theologis *D. Thomas 4. distinct. 27. quæst. 3. art. 1. & multi DD. apud Sanchez loc. cit. num. 13.*

De Bigamia similitudinaria.

21 QValiter incurratur Irregularitas ex Bigamia similitudinaria, eo quod in sacris constitutus, aut Professus Vxorem ducat.

In hac difficili quæstione primò sermonem habebo de Clerico in sacris constituto, & deinceps de Professo.

Et quidem non cadit in dubium, quin Clericus in sacris constitutus Viduam cognitam a priori Viro, Vxorem ducens, ac cum illa consumans, efficiatur Irregularis, id enim expresè deciditur. *cap. finali de bigamis*, vbi dicitur, hunc non esse propriè Bigamum, quod de facto matrimonium, idque irritum inierit, & sic non defecerit a significatione Sacramenti matrimonij; sed ob affectum intentionis ineundi matrimonij, cum opere carnali subsequuto, esse irregularem instar Bigami. *DD proximè citandi.*

22 Dubium autem est de Clerico in sacris constituto virginem ducente, an sit Irregularis.

In hoc casu varij varia dicunt; At veriùs est, incurri hanc Bigamię similitudinariæ irregularitatē à constituto in sacris, quamuis cum vnica & virgine contrahat; Probatur ex *cap. primo qui Clerici vel vouentes*, vbi de Diacono qui Vxorem accepit, dicitur posse Episcopum cum ipso, post peractam pęnitentiam dispensare, vt Diaconi officium exequatur; Et *cap. 2. eodem tit. de Subdiacono qui matrimonium inijt*, deciditur, vt si ad Religionem transeat, concedat ei Episcopus ascensum ad ordines superiores; quod si transire nolit, minimè permittat, eum in Subdiaconatu ministrare, nec ad alios ordines promoueri, sed solum in minoribus ministrare; Ratio autem huius similitudinariæ Bigamiæ ea est, quia hic post matrimonium similitudinarium initum cum Christo, per votum solemne Castitatis ordini adnexum, de facto ad alias nuptias transiuit, eas consumans copula, ac etiam propter affectum ad duplex matrimonium, cum opere subsequuto; idest cum copula. *Sanchez lib. 7. disp. 85. num. 2. de bigamia.*

Id autem tanquam fundamentum in quauis Bigamię specie statuendum est, nullam Bigamiæ speciem contrahi, nec ratione illius irregularitatem, quæcunque matrimonia ineantur, & cum fęmina cuiusuis status, nisi carnalis commixtio in illis matrimonijs intercedat, vt expresè definitur in *cap. Debitum de bigamis* de contrahente duo matrimonia, vel cum Vidua; Si enim non sit

in

in vtroque coniugio copula, non est Bigamia. Et similiter decernitur ibi, contrahentem cum Vidua a priori Viro non cognita, minimè esse irregularem, quamuis cum illa consumet, & similiter si contrahat cum Vidua a priori Viro cognita, vel qualitercunque corrupta, si cum illa copulam non habeat, non est Irregularis. *cap. fin. distin.* 34. quod est ex Pelagio Papa, & ratio redditur in *dic. cap. Debitum*, quod matrimonium copula non consumatum minimè sufficiat ad significandum matrimonium Christi cum Ecclesia per Incarnationis mysterium contractum, nec vir ille dicatur carnem suam in plures diuisisse. docent *D. Thomas 4. distinct. 27. quaest. 3. art. 1. qu. 1. ad 3. & alij apud Sanchez lib. 7. disp. 83. num. 4. de impedimentis*.

23 Dicendum est idem prorsus de Professo ad nuptias transeunte, quod dictum est de Clerico in sacris constituto, quia eadem similitudo Bigamiae reperitur in Professo, cum post matrimonium similitudinarium per professionem cum Christo initum, affectet aliud matrimonium contrahere. Et hoc colligitur ex *cap. Quot quot 27. quaest. 1. communiter DD.* ità illum textum intelligentes; Ibi: quotquot virginitatem pollicitam praeuaricatae sunt professione contempta, inter Bigamos, idest qui ad secundas nuptias transierunt, haberi debebunt; vbi licèt sermo sit de foeminis, quae nec inter Virgines consecrabuntur; *Glossa in eodem cap.* Id à fortiori in viris procedit, atque ità esse irregularem hunc ex bigamia similitudinaria, quamuis vnicam & virginem ducat, & consumans ait *Sanchez lib. 7. de impedimentis disp.* 85. *nu.* 8. *& alij quos ipse citat*.

Et *Nauarrus cap. 27. num.* 195. inquit: similitudinaria est, quam incurrit ordine sacro insignitus, vel voto solemni adscriptus cum aliqua etiam vnica contrahens, & consumans. *cap. Quotquot citato & cap. fin. de bigamis*, licèt illa sit Virgo.

Dixi ordine sacro insignitus, vel voto solemni adstrictus, ad significandum quod nec laicus, nec minoribus tantum initiatus contrahens cum Vidua, siuè corrupta inualidè, siue nulliter propter aliquod impedimentum efficitur irregularis; vt in Sacra Poenitentiaria conclusum fuit; tum quia nullo Iure id cauetur; Et irregularitas non contrahitur, nisi in casibus a Iure expressis. *cap. Is qui de sententia excommunicationis in 6. & clarius infra dicam num.* 30.

24 An Bigamiae Irregularitas tollatur per ingressum Religionis, & aliae Irregularitates.

Quamuis *Anton. cap. fin. num. 9. de bigamis, & ibi Abbas nu. 2.* sen-

sentire videntur bigamiæ irregularitatem contractam antè Religionis professionem deleri hac emissa, secus si posteà contracta sit; Alij diuersa dicunt. Tamen vera sententia est, nullam deleri irregularitatem, præterquam in casibus in Iure expressis, nimirum quando oritur ex defectu natalium, idest eo quod quispiam illegitimus sit; constat quia *cap. primo de filijs Præsbyterorum*, tanquam quid speciale decernitur tolli hanc irregularitatem defectu natalium, & quidem non omnino, sed quoad ordines suscipiendos, manente dignitatum incapacitate; Ergo secus est in alijs irregularitatibus, quas tolli non est in Iure expressum. Fatentur tamen DD. huius sententiæ, professionem Religionis præbere causam facilioris dispensationis; ità *Sanchez lib. 7. de impedimentis disp. 86. num. 2. & 3. qui citat multos DD. in fauorem huius sententiæ.*

25 Quis possit in Bigamia dispensare.

Resp. In quacunque bigamia potest Papa dispensare; Ratio est, quia Papa potest dispensare in ijs, quæ sunt de Iure humano, bigamia autem est de Iure humano. *Nauarrus cap. 27. num. 197. S. Thomas lib. 4. distin. 27. quæst. 3. art. 3.* quem sequitur *Ancher. in cap. 1. de bigamia, & Rota decis. 447.* affirmat in omni bigamia, posse Papam dispensare, cum sit de Iure humano, & licet fuerit inducta a *S. Paulo cap. Lector cum Glossa distinct. 34.* dicente Episcopum debere esse vnius Vxoris Virum *1. Thimoth. 3.* Ad hoc respondetur Apostolum fecisse hoc præceptum, tanquam Episcopum particularem, non verò promulgasse illud tanquam Apostolum, & conditum a Deo; Quamuis in vera bigamia non soleat sine magna causa, ordinaria potestate dispensare, iuxtà *Rotam in prædicta decis. 447.* In interpretatiua verò & similitudinaria solet, & iustè potest cum iusta causa. *Nauarrus loc. cit.*

26 Præterea nemo alius (nisi quatenus illi concedatur a Sede Apostolica) potest dispensare in bigamia vera, & interpretatiua ad suscipiendos Ordines Sacros, vel ad vsum susceptorum; iuxtà omnes *cap. super eo de bigamis*. Immò hoc tempore Episcopum non videtur posse cum bigamis dispensare non solum ad suscipiendos Ordines Sacros, vel ad vsum susceptorum, verum neque ad minores, vel ad primam Tonsuram, vel ad beneficium etiam simplex, vt colligitur ex *Trident. sess. 23. cap. 17. ad finem*. Idemque expresè declarauit S. *Card. Congreg. apud Garziam 7. par. cap. 6. nu. 5. contra sententiam nonnullorum DD.*

27 In bigamia verò similitudinaria occulta, Episcopus dispensare potest cum eo qui contraxit cum Virgine, Iure sibi hoc concedente.

te. *cap.* 1. *cum Glossa, qui Clerici vouentes. Nauar. cap.* 27. *nu.* 197. *in fine*. Abbates verò, & alij Superiores Religiosi non possunt dispensare, nisi habeant specialia priuilegia. *Bonacina de Irregularitate disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 5. *num.* 15. *in fine qui multos DD. citat*. Hoc autem est obseruandum, Episcopum posse dispensare in irregularitatibus similitudinarijs, quæ ex peccato procedunt, si occultæ sint in susceptis, & in suscipiendis iuxtà formam *Concil. sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat. Toletus cap.* 62. *num.* 7. *in fine. Sanchez lib.* 7. *de imped. disp.* 86. *num.* 23.

28 Quæres vtrum Bigamus, qui Ordinibus fuit initiatus absque dispensatione, gaudeat priuilegijs Clericorum.

Resp. Gaudere, si est initiatus Ordine Sacro; Ratio est, quia non potest viuere vt laicus, ergo debet viuere vt Clericus, & consequenter gaudere debet priuilegijs Clericorum. Secus dicendum est si est initiatus solum minoribus ordinibus, hic enim priuatus est omni priuilegio Clericali, vt patet ex *cap. Vnico de bigamis in* 6. *vide Vgolinum* §. 5. *num.* 3. *Sayrum cap.* 5. *num.* 2. *Filiuccium qu.* 11. *Suarez. sect.* 5. *nu.* 4. *& seq. Bonacina loc. cit.*

29 An ad impetrandam bigamiæ dispensationem sit opus explicare ternas, vel quaternas nuptias interuenisse, & quid si concurrant simul duæ, vel tres species bigamiæ, scilicet veræ, interpretatiuæ, & similitudinariæ.

Tandem obseruandum est, in impetratione dispensationis bigamiæ, non esse necessariam mentionem ternarum, vel quaternarum nuptiarum, aut vlteriorum, sed satis esse referre binas nuptias, quia nullus textus trigamiæ meminit, sed solius bigamiæ. Præterea, quia adeò incapax est ordinis suscipiendi, ac repræsentandi coniunctionem Christi cum Ecclesia Trigamus, ac Bigamus; Item Iudex Reos morti tradens irregularis est sine peccato, imò quamuis cum merito contrahatur, tamen non est opus in dispensatione impetranda, vt mentionem faciat de illis, sed satis est dicendo se morte damnasse hominem. Et ità docent *Nauarrus lib.* 1. *Consiliorum titulo de bigamis*, in vtraque editione, *& toto Consil.* 2. *Henriquez lib.* 12. *de matrimonio cap.* 6. *num.* 9. *Sanchez lib.* 7. *de imped. disp.* 86. *num.* 24.

Tamen necessariò facienda est mentio, quando sunt diuersæ species bigamiæ, scilicet vera, vel interpretatiua, vel similitudinaria, vel si simul concurrant, quia sunt diuersæ species, vt si duo quispiam init matrimonia valida, & alterum cum corrupta, tunc adesset bigamia vera, ratione duplicis mattimonij, & interpretatiua, eo quod alterum cum corrupta fuerit contractum, & sic in reli-

reliquis casibus, in quibus plures species concurrerint; nam omnium mentio facienda est, vt in matrimonio quando adsunt impedimenta consanguinitatis, & affinitatis concurrentia, vel plures consanguinitatis gradus, mentio de omnibus facienda est, vt diximus. *Sanchez lib.7. de imped. disp.86. num.24.*

30 Quæsitum dignum, & notabile, de quo aliàs interrogatus fui, vt certior essem de mea sententia, nuper consului Sac. Pęnitentiariam, hoc modo videlicet.

Episcopus cuiusdam Ciuitatis consulit eruditissimos, & Sapientes Sac. Pęnitentiariæ Patres, vt dignentur sibi significare, quomodo se gerere debeat in sequenti casu.

Quidam Iuuenis in sua Diœcesi accepit Vxorem Viduam, & diù cum ea vixit, postea apparuit esse inter se consanguineos in quarto gradu consanguinitatis, miserunt Romam pro dispensatione, & interim eius Vxor mortua est, antequam Papa dispensasset; Talis Iuuenis nunc petit fieri Sacerdos. Quæritur an sit bigamus, & possit initiari Sacris Ordinibus absque Summi Pontificis dispensatione; humillimè deprecando de rescripto.

His verbis in Signatura conclusum fuit. NON INDIGERE, IVXTA NARRATA. Ratio est quia, ea quæ ab initio non valent, tractu temporis conualescere non possunt, hoc autē matrimonium ab initio irritum fuit, propter impedimentum dirimens consanguinitatis. Neq; obstat tempus, neque *filij* ab eo geniti, neq; bona fides, cum in hoc matrimonio putatiuo neque adsit bigamia vera, neque interpretatiua, nec similitudinaria; Tum quia nullo Iure id cauetur; Et irregularitas non contrahitur nisi in casibus a Iure expressis *cap. Is qui de sententia excommunicationis in 6. vide Nauarrum in manuali cap. 27. num. 195.* qui dicit quod fuit aliàs decisum, ac idem *Nauarrus lib. 1. titulo de bigamis, in toto Consilio 1.* Et rescriptum præfatum penès me seruatur.

31 Minor autem difficultas est, an filij nati ex præfato matrimonio putatiuo, sed inualido ob impedimentum occultum dirimens, censeantur legitimi, dum vterque contrahens, bona fide ex ignorantia impedimenti contraxit in facie Ecclesiæ, scilicet coram Parocho, Testibus & denunciationibus præmissis.

Respondeo legitimos esse, consequenter non esse Irregulares. *cap. Peruenit, & cap. Ex tenore qui filij sint legitimi. ità DD. communiter.*

Quamuis *Suarez disp. 50. sect. 1. num. 11. Filiuccius num. 132.* putant, id verum esse solum dum vterque bona fide contraxit, vt in casu nostro: Sed etiā veriùs satis esse si alter tantum sit in bona fide

fide, vt constat ex *dic. cap. Ex tenore*, tum quia sic etiam colligitur ex *cap. Peruenit citato*, vbi iudicatur legitima quædam fœmina, eo quod orta fuit ex matrimonio legitimè contracto, vbi in summa eiusdem *cap. habetur*, ad dicendum prolem illegitimam, non sufficit probare impedimentum matrimonij si fuit in facie Ecclesiæ contractum. Et ex *cap. Ex tenore citato*. Ibi ignaram; vbi asseritur filium susceptum ex Vidua, in matrimonio copulata cum Viro aliam Vxorem habente, censeri legitimum, quia ipsa inscia erat Coniugij, & matrimonium celebratum fuit in facie Ecclesiæ. Confirmatur etiam ex *l. Regia 3. tit. 3. par. 4. & l. 1. tit. 3. eadem parte*. Et ratio est vrgentissima, quod Proles quæ nihil mali gessit iure optimo ratione bonæ fidei alterius parentis, sit plenè legitima, Iuraque omnia legitimæ Prolis sortiatur. *Sanchez lib. 8. de dispensat. disp. 34. num. 46. Bonacina de Irregularitate disp. 7. qu. 2. punct. 3. num. 3. vbi alios* DD. *citat*.

P A R S X V I I I.

De Fornicatione simplici, & Concubinatu.

Q V Æ S T I O X X X V I I.

S V M M A R I V M.

1 *Quot sint species luxuriæ.*
2 *Quid sit simplex fornicatio.*
3 *An fornicatio sit peccatum mortale.*
4 *An liceat permittere Meretrices.*
5 *An peccent locantes domum Meretricibus.*
6 *Vtrum excusentur famuli comitantes herum euntem ad Meretricem, aut comitantes concubinam,*
7 *An absolui possit Concubinarius antequam eijciat concubinam.*
8 *An absolui possit filius familias, qui in domo patris retinet concubinã.*
9 *An sit deneganda absolutio Adolescenti, qui ex carnis fragilitate sæpiùs committit pollutionem.*

10 *Quandonam aliquis absolui possit antequam relinquat occasionem peccandi.*
11 *Quando fornicatores absolui possint.*
12 *Vtrum Maritus qui incepit copulam cum Vxore, possit ab ea desistere antequam ipse, & Vxor seminauerit.*
13 *Vtrum fornicans possit desistere ab incboata copula.*

1 SPecies luxuriæ sunt septem, nempè fornicatio, Adulterium, Incestus, Stuprum, Raptus, Sacrilegium, & peccata contra naturam. *D. Paulus ad Galatas,* inquit, qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt, & 1. *ad Corinth. 6.*

2 Fornicatio simplex est concubitus soluti cum soluta; ità communiter. Soluti dicuntur, qui sunt liberi a Coniugio, a voto, ab Ordine Sacro, a Religione, Professione, & a Cognatione.

3 Vtrum Fornicatio sit peccatum mortale.

Resp. Affirmatiuè, tum quia hoc apertè habetur ex D. *Paulo ad Corinth. 6.* tum quia valde repugnat rectæ rationi, & Iuri naturali, & est contrà bonam educationem, & institutionem Prolis. ità *Graffius 1. par. lib. 2. cap. 7. Lessius lib. 4. cap. 4. dub. 7. Filiuccius tract. 30. num. 39. & alij communiter:*

Ex dictis sequitur, fornicationem nunquam licitam esse, quia est intrinsecè mala, sicut Mendacium, & Periurium.

Dices; Dominus præcepit *Oseæ Prophetæ cap.* 1. vt sibi sumeret Vxorem fornicationum, & filios de fornicatione susciperet; Ergo signum est fornicationem non esse peccatum, alioquin Deus hoc non præcipisset Oseæ.

Respondeo Primò, ex hac obiectione ad summum sequi fornicationem fieri posse licitam dispensatione Diuina. *iuxtà Durandum 4. distinct. 33. qu. 2. nu. 10.*

Respondeo Secundò, Deum præcipisse Prophetæ, vt sumeret illam, quæ anteà fuerat fornicaria, vt de impudica fieret pudica, & honesta; Quisque enim solutus potest sibi ducere in Vxorem meretricem, & meretur, retrahendo illam a peccato.

Respondeo Tertiò, cum *Nicolao de Lyra* Vxorem dici fornicariam, eo quòd esset mulier gentilis, quæ dicebatur fornicaria ob fornicationem spiritualem, idest propter Idolatriam; Et ex his omnibus responsionibus constat ex illa obiectione non inferri fornicationem esse licitam. *Bonacina de ijs, quæ pertinent ad vsum matrimonij de fornicatione qu. 4. punct. 14. nu. 3.*

4 Vtrum liceat Principibus permittere meretrices in aliquo loco Ciuitatis.

Resp.

Resp. Affirmatiuè; Ratio est, quia etiam Deus permittit aliqua mala, vt vitentur maiora. D. *Thomas 2. 2. qu. 100. art. 2. quem omnes sequuntur. Bonac. loc. cit.*

5 Quæres vtrum locantes domos meretricibus excusari possint a peccato.

Resp. Affirmatiuè, etiamsi eas possint alijs commodè locare, modò locent ad habitandum, non ad meretricandum; Ratio est, tum quia vtuntur Iure suo, nullus autem peccat, vtendo Iure suo, tum qnia non censetur cooperari peccato illorum, nam locus se habet extrinsecè, & remotè ad peccatum, cum ex loco non soleat sumi occasio peccandi, vt ait *Valentia tom. 3. disp. 5. qu. 20. punct. 5. fol. 1133. & qu. 21. punct. 4. fol. 1171. Lopez, Azorius, Lessius, Nauarrus autem cap. 20. num. 15.* ait, præsertim quando locantur in ea parte Ciuitatis, vbi permittuntur habitare.

Prædicta Doctrina limitanda est, modò in domo quæ locatur non sit aliqua specialis commoditas, & aptitudo ad peccandum ratione situs, aut alterius causæ; Et modò inde non immineat aliquod graue detrimentum personis honestis, quæ domos vicinas inhabitant, intelligendo quando locantur intrà Ciuitatem. In his enim casibus non licet locare domos meretricibus absq; graui causa: vt inquit *Sanchez in summa lib. 1. cap. 7. num. 20. Lessius lib. 2. cap. 14. num. 39.* Vitandum enim est semper proximi scandalum, & damnum. *Bonac. loc. cit.*

6 Vtrum excusari possint famuli comitantes herum euntem ad meretricandum.

Resp. Posse excusari famulos comitantes herum, quando non possunt ab huiusmodi comitatu desistere absque graui damno; Ratio est, tum quia vtuntur Iure suo, tum etiam quia id faciunt sine vllo consensu in peccatum, quoniam non inducunt, neque iuuant directè ad illud; Sicut etiam famuli ministrantes mensæ Concubinariorum. Iuuantes Concubinam ad se ornandam. Et Opifices qui calceos, Sandalia, vel vestes vendunt meretricibus. *Nauarrus cap. 20. num. 16. Azorius 2. par. lib. 12. cap. 18. qu. 8. Sanchez loc. cit. & alij apud Bonacinam de ijs quæ pertinent ad vsum matrimonij qu. 4. punct. 14. num. 6.*

Aliter dicendum, si famulus submissis humeris scienter adiuuet herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, vel eidem deseruit deferendo scalam, aperiendo ianuam, aut quid simile cooperando, peccat enim mortaliter; & ratio est quia directè inducit, & iuuat herum ad peccatum illius virginis, vel alterius fœminæ, etiamsi id faciat metu notabilis detrimenti, vt pu-

ta ne a Domino malè tractetur, ne toruis oculis aspiciatur, ne domo expellatur; Aliter asserendo, incideretur in excommunicationem Sedi Apostolicæ reseruatam, cum sit vna de propositionibus damnatis ab Innocentio XI. num. 51.

7 Quæres, an Confessarius possit absoluere pœnitentem antequam dimittat concubinam, quam domi retinet.

Respondetur; Pœnitentem regulariter non esse absoluendum antequam dimittat concubinam, seù quamdiù persistit in proxima occasione peccandi, quam tenetur statim euitare, & quam potest relinquere; Ratio est, quia quamdiù pœnitens non dimittit concubinam, seù quamdiù persistit in proxima occasione peccandi, non censetur habere sufficientem dolorem, & propositum vitandi peccata in futurum, & sic non potest absolui. *Coninchus disput. 8. de pœnitentia dub. 18. num. 134. Filiuccius tract. 30. cap. 2. num. 56. & alij communiter.*

Dixi regulariter, nam si quis retinet domi Ancillam, cum qua primo Anno ter, vel quater repentina libidine correptus rem habuit; sed modò cum magno dolore & firmo proposito accedit, & cum Dei auxilio sperat fore, vt non amplius relabatur; absolui potest inquit *Graffius lib. 1. decisionum cap. 28. n. 13. & alij citati à Bonacina loco citato num. 12. eodem titulo*; Verum tamen, est magnam prudentiam opus esse in Confessario, ne absolutionem impendat indigno. Sed si talis sequenti Anno cum eadem peccauerit, esset recidiuus, & sic non erit absoluendus, nisi cessante causa peccati expellendo eam a domo sua.

Dixi, seù quamdiù persistit in proxima occasione peccandi, quia persistenti solum in remota occasione non est deneganda absolutio, alioquin absolutio deneganda esset omnibus, cum omnes existant in occasione remota, qualis est Valetudo, Diuitiæ, Consanguinei &c. aut necesse esset migrare ex hoc mundo in quo quid quid est, potest esse occasio peccandi, ità communiter DD.

8 Hinc colligi potest, filium familias, qui de domo patris non expellit seruam, cum qua peccare solet, posse absolui, modò habeat firmum propositum non peccandi ampliùs in futurum, & promittat se non amplius solum cum sola conuersaturum, & rogare eam, vt idem faciat; & Ratio est, quia hæc non dicitur occasio voluntaria respectu filij familias, qui non est sui iuris; quamquam omninò expedit, peccatum idem sepè committentibus differre absolutionem. *Ità Graffius loc. cit. num. 12. Lopez prima parte cap. 78.*

9 Colligi etiam potest, Confessarium non cogi ad denegandā abso-

solutionem adolescenti, qui sæpiùs in mollitiem incidit, ex carnis fragilitate, nam huiusmodi occasio non censetur voluntaria, cum adolescens non possit illam expellere; Verumtamen est, Confessarium debere salutares pœnitentias iniungere; Prætereà debere aliquandò differre absolutionem, vt pœnitens cum maiori proposito proponat euitare huiusmodi turpia peccata. *Coninchus de pœnitentia disput.* 8. *dub.* 17. *num.* 134. *Henriquez lib.* 12. *cap.* 6. *litt.* M.

10 Quando nam quis absolui possit antequam relinquat occasionem peccandi.

Respondet *Nauarrus cap.* 3. *num.* 15. *cum Lopez loc. cit. Zerola de pœnitentia cap.* 25. *quæst.* 17. posse aliquem absolui etiamsi non reliquat occasionem, concurrentibus his tribus conditionibus. Prima est dolor de peccatis præteritis. Secunda est firmum propositum non peccandi in futurum. Tertia est Credulitas qua credit se cum Dei auxilio non peccaturum, quandò se in ea occasione inuenerit. At si secunda vice esset recidiuus non debet amplius absolui, nisi priùs relinquat occasionem proximam. *Bonacina de fornicatione quæst.* 4. *punct.* 14. *num.* 17.

11 Additur, fornicatorem qui modò cum vna, modò cum alia congreditur, posse absolui, modò firmo costantique animo deliberauerit in posterum non peccare, dummodò nullam domi, vel alibi retineat, aut alat, *ità DD. citati.* Idem sentire videtur *Emmanuel Sà verbo absolutio num.* 12.

12 Quæres, vtrum Maritus qui incepit copulam cum vxore, possit ab ea desistere, antequam ipse, aut vxor seminauerit.

Respondeo, Primò Maritum non posse absque peccato mortali desistere contrà voluntatem vxoris ab inchoata copula; Ratio est, quia faceret iniuriam vxori, quæ habet ius petendi completam copulã, *Ità Caietanus* 2.2.*quæst.*154.*art.*1.*Sanchez lib.*9.*de matrimonio disput.* 19. *num.* 9.

Respondeo secundò, Maritum non peccare mortaliter retrahẽdo se a seminando de consensu vxoris, quamuis ipsa vxor non seminauerit, modò non sit periculum pollutionis extrà copulam; Ratio est, quia nulli facit grauem iniuriam, scienti enim & volenti non fit iniuria. Verum tamen est, hoc non esse permittendum, immò eos Confessarij reprehendere debent, quia frequenter est periculum pollutionis in altero coniuge, vel in vtroque, vt ait *Speculum loco proximè citando fol.* 346.

Respondeo tertiò, Maritum non posse absque peccato mortali desistere a copula quando ipse non seminauit, & vxor iam semiuit, nisi fortè adsit vrgentissima causa desistendi, *Ità speculum*

3. par.

3.par. art.15.Conclus. 5.Sanchez loc. citato,Henriquez lib.11.cap.16. num. 7.

Ratio est, quia si maritus destiterit prodigeretur semen fœminæ, & fieret contrà finem generationis, cum semen ordinatum sit ad generationem, quæ in præsenti casu sequi non posset; Non esset tamen peccatum mortale, si fœmina ipsa se retraheret, vel conaretur non seminare postquam maritus seminauit, quia nulli facit grauem iniuriam se retrahendo, nec facit contrà finem generationis in re graui, cum semen fœminæ non sit necessarium ad generationem, iuxtà communiorem sententiam, vt suprà dictum est.

Dixi nisi fortè adsit vrgentissima causa, quia ex causa vrgentissima potest maritus relinquere imperfectam copulam, etiamsi fœmina seminauerit, vt si graue periculum vitæ superueniat perficiendo; Vel ità exigat naturalis honestas, eo quod interim aliqui superueniant, aduertentes ad illum actum; & hoc verum est, etiamsi alioquin sequutura sit pollutio extrà vas, nam hæc pollutio non censetur voluntaria, sed præter intentionem, *vt ait Sanchez lib. 9. de debito coniugali disput. 19. num. 6.*

13 Rogabis, vtrum fornicans possit desistere ab inchoata copula. Respondetur posse, etiamsi fœmina renuat, aut etiam si adsit periculum effusionis seminis, aut alterius pecati in muliere; Ratio est, quia quilibet tenetur se retrahere a peccato; Idem dic de fœmina fornicante, potest enim se retrahere antequam vir seminet, etiamsi ipsa seminauerit, vt patet ex dicta ratione. *Ità Sanchez loc. cit. num. 7. Bonacina de ijs, quæ pertinet ad vsum matrimonij, quæst. 4. punct. 14. num. 17. & alij DD. apud ipsum.*



PARS

PARS XIX.

De Pollutione, seù Mollitie.

QVÆSTIO XXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *An Pollutio sit peccatum mortale.*
2 *An Pollutio in semidormiente sit mortale peccatum.*
3 *Quando nam Pollutio dicatur sufficienter voluntaria.*
4 *Quando nam Pollutio excusetur à mortali.*
5 *Vtrum à mortali excusetur pollutio, quæ sequitur ex agitatione itineris, vel cursu equi, vel ex positione corporis supini.*
6 *An pollutio proueniens ex causa veniali sit mortale peccatum.*
7 *An liceat procurare pollutionem ob sanitatem.*
8 *An liceat desiderare pollutionem, aut de illa iam sequuta gaudere.*
9 *An omnes pollutiones sint eiusdem speciei.*

1 POllutio voluntaria est peccatum mortale; Ratio est, tum quia pollutio est contrà ordinem naturæ, & contrà naturam generationis, vt paulo post ostendam, tum quia *1. ad Corinth. 6. dicitur neque Molles Regnum Dei possidebunt*. Ex quo deducitur Pollutionem, seù Mollitiem voluntariam esse peccatum mortale, cum excludat a Regno Dei, a quo non excludit veniale per se.

Dixi Pollutio voluntaria, quia pollutio quæ contrà vel præter voluntatem sequitur, non est peccatum, nullum enim est peccatum, nisi sit voluntarium.

2 Ex quo sequitur, Pollutionem in semiexpergefacto, non esse peccatum mortale, eo quod non sit sufficienter voluntaria, defectu pleni iudicij & aduertentiæ. *Ità Nauarrus cap. 16. num. 8. Valentia tomo 3. disput. 9. quæst. 3. punct. 3. col. 16. 76. Emmanuel Sà verbo luxuria. Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 14. num. 94. & 163. in prima editione & alij. communiter.*

3 Sed magna difficultas est in cognoscendo, quando nam pollutio dicatur sufficienter voluntaria, ità vt imputetur ad peccatum mortale. Ad quam difficultatem.

Respon-

Respondeo, tunc non censeri sufficienter voluntariam quantum pertinet ad præsentem materiam, quando prouenit ex aliqua causa necessaria, vel vtili, vel honesta. Quando verò prouenit ex causa, quæ neque necessaria est, neque vtilis, neque honesta, existimo pollutionem censeri voluntariam, & imputari ad peccatum mortale, modò proueniat ex causa proxima notabiliter influente in pollutionem; Si verò proueniat ex causa remota, aut ex causa quæ non influit notabiliter in pollutionem, pollutio non censetur sufficienter voluntaria, itá vt imputetur ad peccatum mortale; nisi adsit periculum consensus, vel intentio pollutionis. *Itá colligitur ex Suarez tertia parte quæst.* 80. *art.* 7. *in comm. folio mihi* 825. *Sanchez de matrimonio lib.* 9. *disput.* 45. *Lessio lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 14. *Vasquez* 1. 2. *disput.* 115. *cap.* 3. *num.* 9. *& in Opusc. de restituto cap.* 3. §. 2. *dub.* 6. *num.* 24. *& alijs citatis á Sanchez loc. cit.*

Ratio cur pollutio non sit peccatum, quando prouenit ex causa honesta, vtili vel necessaria est, tum quia qui eam patitur dicitur potiùs pati, quam agere; hæc doctrina militat etiam quando pollutio sequitur ex causa remota ipsius pollutionis, ad quam illa causa non disponit, nam pollutio indè sequens non censetur sufficienter voluntaria, cum non proueniat ex causa proxima, vel ex dispositione propinqua, sed proueniat per accidens, & præter voluntatem ex miseria naturæ nostræ contracta per peccatum originale, quæ multum nos excusat in hac materia. *DD. citat.*

4 Quando pollutio excusat a mortali.

Hinc sequitur, non committi peccatum mortale, quando pollutio sequitur vi naturæ, vel quando sequitur ex aliqua causa quæ habet alium effectum; nam pollutio inde sequens non censetur sufficienter voluntaria, vt quando sequitur ex comestione ciborum calidorum, vel locutione cum fœmina, cum qua habet necessitatem loquendi propter aliquod suum interesse. Itá *Nauarrus cap.* 16. *num.* 7. Multò minus est peccatum quando pollutio sequitur ex causa, quæ habet alium effectum, quæque assumitur propter vtilitatem, vel bonum finem, vt quando quis audit Confessiones; hoc tamen intelligitur, modò non sit periculum consensus in pollutionem, quia tunc potius debet omittere Confessiones, & quiduis aliud ad euitandum eam, quod tunc esset, quando quis expertus esset in similibus occasionibus ferè semper peccasse mortaliter, deliberatè consentiendo. *Filiuccius tract.* 30. *cap.* 8. *qu.* 6. *nu.* 149.

5 Sequitur, excusari a mortali pollutionem ex agitatione itineris pedestris, vel equestris, modo equitans non se componat ad eum

finem

finem, vel non habeat periculum consensus in pollutionem, vt suprà dixi ità *Sanchez loc.cit. num.7. Nauarrus, Lessius, Vasquez locis citatis*. Similiter excusari potest a mortali pollutio, quæ sequitur ex positione corporis supini, modò aduertenter, & data opera non iaceat tali modo, vt indè sequatur pollutio. *DD. citati*.

6 Præterea Addo, pollutionem non esse peccatum mortale, quando prouenit ex causa venialiter luxuriosa, vel leuiter influente in pollutionem, vt ex aspectu curioso, vel ex lectione curiosa; Ratio est quia huiusmodi causa leuiter concurrit ad pollutionem, consequenter non est simpliciter causa pollutionis, nec pollutio indè sequens censetur sufficienter volita, ità vt imputetur ad peccatum mortale. *Ità Vasquez loc. cit. Lessius loco citato, & alij apud Henriquez lib. 11. cap. 16. num.6.* Modò non sit periculum consensus in pollutionem, siuè distillationem, vel delectationem; si verò alias expertus sit sequi pollutionem, vel delectationem ex huiusmodi aspectibus, vel lectione curiosa ex libris profanis, tunc daretur causa ad pollutionem. *DD. citati*, & teneretur abstinere mortificando sensus.

7 Non est licitum procurare pollutionem propter sanitatem, nec Medicus potest præbere medicinam, quæ nihil aliud operetur, quam incitare naturam ad pollutionem. *Nauarrus loc. cit. Emmanuel Sà verbo luxuria n.11. & alij citati à Bonacina loco infrà citando.*

Ratio est, tum quia hoc est contrà naturam generationis, nam semen est à natura institutum ad copulam coniugalem, vt proles indè suscipiatur, & educetur, tùm quia si licitum esset ob sanitatem procurare pollutionem, homo sæpiùs sibi persuaderet licitum esse procurare pollutionem, & semen prodigere; sicque pateret via infinitis peccatis.

Præterea *Emmanuel Sà verbo luxuria num.* 10. addit, ceptam in somno pollutionem, non tenetur Enigilans reprimere, sufficit enim non placere.

Vtrum sit peccatum mortale procurare magnam commotionem spirituum ordinatorum ad pollutionem, vel ad magnam distillationem.

Respondeo cum *DD. citatis* esse peccatum mortale, quia huiusmodi actio est causa proxima pollutionis, & notabiliter in eam influit; sicut autem non licet procurare pollutionem, ità neque licet procurare dictam commotionem, vel distillationem.

8 Non est licitum desiderare pollutionem, vel de illa iam sequuta gaudere, vel affectu libidinis, vel propter delectationem ipsius; Ratio est, quia hoc esset consentire directè in pollutionem,

Oo quod

quod est peccatum, cum pollutio voluntaria sit peccatum mortale. Ob finem verò honestum licitum est gaudere de pollutione, vel ob sanitatem, vel ob sedatam tentationem, non autem ob pollutionem, *ità Nauarrus cap.16. num.7. Emmanuel Sà verbo luxuria num.11. Caietanus 2.2. quæst. 154. art. 4. & alij apud Emmanuel Sà loc. cit. ac etiam Lessius lib.4. cap. 3. dub. 14. Sanchez in summa lib. 1. cap. 2. num 17. Filiuccius tract. 30. cap.8. quæst. 5. num.144.*

9 . Pollutiones sunt eiusdem speciei, si secundum se sumantur; Ratio est, quia eandem habent contrarietatem, & deformitatem contrà rectitudinem. Per accidens tamen possunt esse diuersæ speciei, ratione circumstantiæ adiunctæ habentis diuersam specie malitiam; Nam si quis se polluendo habeat delectationem morosam, vel desiderium alicuius personæ solutæ vel coniugatæ, vel obstrictæ voto, præter malitiam pollutionis, contrahit culpam iuxtà qualitatem personæ, circà quam capit delectationem, vel desiderium &c. Et ista circumstantia est in confessione explicanda, vt aiunt communiter DD. Ratio est, quia talis speciei malitia est, qualis est finis, motiuum, & obiectum; Proindè si præter pollutionem intercederet personæ alicuius memoria, voluntas, siuè desiderium eam libidinem explendi cum illa, non solum esset Mollities, sed etiam alia luxuriæ species, cuius est copula re habita cum illa persona; puta adulterium mentale, si esset nupta, Incestus si esset consanguinea, sodomia si esset alterius sexus &c. *Ità Nauarrus cap.16. num.6.*

Prætereà additur, in Confessione explicandam esse circumstantiam personæ cum qua, vel cuius ope commissa fuit pollutio; Cooperatio enim, vel inductio ad peccatum est nouum peccatum in confessione aperiendum. *Ità Caietanus loco citata art. 2. Bonacina de ijs que pertinent ad vsum matrimonij, quæst. 4. punct. 10. num. 5. Azorius 3. par. lib. 3. cap. 25. quæst. 2. Filiuccius loco cit. num.155. Nauarrus cap. 16. num. 6.*

Atque hæc ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, ac Intemeratæ Virginis Mariæ dicta sint; quibus explicatur totus de Matrimonio Tractatus.

FINIS.

I N-





INDEX

Prior Partem; Secundus Quæstionem, tertius numerum denotat.

A

C

D

Quæ

De Debito Coniugali.

An

E

De Fornicatione simplici, & Concubinatu.

G

H

L

De Aliquibus Luxuriæ peccatis.

M

Quot

Os-

O

P

De Pollutione.

Rap-

R

T

De Testibus.

V

FINIS.

ERRATA	CORRECTA.
Pagina num. 3. in summario sine	sint.
Pag. 61. linea 10. copulam	copula.
pag. 218. num. 4 lin. 2. præter	propter.
pag. 260 num 22. vai	vas.
pag. 68. num. 9. lin. 2. impedimentibus	impedimentis.
pag. 14. §. octauo quator	quatuor.
pag. 89. lin. 5. iæculo	sæculo.
pag. 109. in summario num. 10. præscripta	rescripta.
pag. 119. lin. 1. putauit	putaui.
pag. 175. § Aduertendum lin. 5. copulam	culpam.
pag. 199. num. 3. lin. penul. in fine. substitum	substitutum.
pag. 236. num 18 lin. 2. peccatum	pactum.
pag. 238. num. 24. §. Dixi lin. 1. communionem	communiorem.
pag. 238. num. 25. §. Secus lin. vltima. facta	sacra.
pag. 252. num. 8. lin. 4. sid.	side.

